BIBLIOTHECA

CRITICA.

VOLUMEN SECUNDUM.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXXIII.

Wyttenbach, Daniel

BIBLIOTHECA

CRITICA.

VOL. II. PARS I.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXX.

1857. Apr. 25.

BONARUM LITERARUM AMANTIBUS,

AUCTORES BIBLIOTHECAE CRITICAE

S. D.

Quum primum hujus Bibliothecae ſcriptionem ſuſciperemus, in legentium ſtudiis reponebamus, utrum eam edita quarta parte vel finiremus vel perſequeremur. Nam, ut in Graecorum proverbio est, *Multos esſe thyrſigeros, paucos Bacchos;* ita videbamus, in his literis multos esſe, qui earum nomen conſectarentur & veluti thyrſum jactarent, paucos iis ita deditos, ut nobis ad ſcribendum alacritatem addituri viderentur. Nunc opinione res melius cecidit. Invenit libellus homines, a quibus benivole exciperetur, in primis in Belgio noſtro: non illos quidem magno numero, ſed tamen ejusmodi, qui numerum ſtudiis compenſarent, vehementerque cuperent, ut operam porro noſtram in hac ſcriptione collocaremus. Quorum deſideria ut negligamus, committere non posſumus. Et, ſi omnis opera in primis ad civium utilitatem referenda est,

* quid

quid eum laborem defugiamus, qui, cum ad communem omnium doctrinae fructum spectet, a civibus etiam expetatur? Neque vero ita hoc accipi volumus, ac si constituissemus civibus nostris prae ceteris favere, eorum laudes celebrare, supra exteros extollere, reticere errores aut excusare. Quamquam hoc non infrequens est vitium eorum, qui censuras novorum librorum scribunt. Rempublicam literariam ita in classes describunt, non ut ingenii et doctrinae, sed nationum ac regionum, censum sequantur. Hinc est, quod haud raro videamus, hunc in modum ab iis pronunciari: *ita solent v. c. Britanni, ita Galli: nos melius.* Qui puerilis est error, neque aliunde profectus, quam ex rerum humanarum & communis vitae ignoratione. Sunt enim apud omnes nationes, qui melius & qui pejus artem tractent: sunt vel principes, vel secundarii, vel tertiani, vel inferiores. Igitur classium ratio habenda est, non populorum: neque videndum, cujas quisque sit, sed quid dicat. Fuit hic quondam Spartanorum mos, ut, si in conventu sociorum a legato ignobilis civitatis optima dicta esset sententia, eam continuo quidem negligerent, postea vero a Spartano iterum proponi juberent, & ita probarent; ut prudentiae opinione auctoritatem patriae conciliarent. Vaelat haec rivalitas in aliis rebus: a literis & doctrinarum studiis absit, Una est & communis bono-

rum

rum Scriptorum civitas: cujus quidem jus non a vulgi opinione tribuitur, sed pariter doctrina diligenti, ejusque prudenti disertaque explicatione. Quibus virtutibus ut quisque maxime excellit, ita quemque nobiscum maxime conjunctum & civem nostrum arbitramur.

Sed habet provincia, quam suscepimus, non unam difficultatem, & paratam multorum vel invidiam vel reprehensionem. Quae a nobis antea diluendae sunt, quam ad rem veniamus. Est enim genus hominum, non quidem abhorrentium ab Antiquarum literarum studio, sed qui res, non verba, consectari se profiteantur, & totum illud, quod Critica vocatur, ad inane syllabarum aucupium rejiciant. Huic ea displicuit operae nostrae pars, quae in verbis interpretandis & lectione constituenda versatur. Est vero huic contrarium aliud genus eorum, qui verborum crisin solam quaerant, & eam partem supervacaneam censeant, quae rerum judicio cernitur. Et meminimus, de librorum argumentis & censurarum exordiis tam varie ab utroque hominum genere existimatum esse, ut ab his vana haec & inutilis loquacitas haberetur, illi jucundos in primis & utiles hos locos judicarent. Enimvero affirmare possumus, hanc ipsam partem longe plurimo nobis constitisse labore. Nam in verborum emendatione & interpretatione plurimum valet linguae scientia & usus, ac

felicitas quaedam vel ingenii vel temporis. In libri argumento describendo & Auctoris consilio explicando, longiore opus est tempore, diligente meditatione, & comparatione rerum in utramque partem, ac sententiae sollicita tamquam per vestigia indagatione. Quid igitur fecimus? Nimirum, mediam tenuimus viam. Non quidem nos eo consilio, ut studeremus utrisque, & apud neutros malam gratiam iniremus: longe enim ab ista calliditate absumus: sed, quod ipsa res & veritas ita postularet. Nam, cum Critices ea sit ratio, ut a verborum intelligentia ad rerum scientiam pergat, qui solas res consectantur, veluti aedificium sine fundamentis quaerunt: qui unice in verbis haerent, hi vero ita fundamenta curant, ut aedificium iis nullum superstruant. Quare viam, quam haud temere ingressi sumus, eandem haud temere persequamur:

Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδὸν

Sequitur, ut eos placemus, si qui forte putent se iniquius a nobis habitos esse. Quos nec nominare, nec peculiariter quemque compellare, attinet. Universe dixisse satis est. Nos, quum ad hanc Bibliothecam scribendam animum adjiceremus, legem nobis diximus, ut de laudibus & vitiis librorum exponeremus libere, vere, & accurate. Quam legem ut sancte

ser-

ſervaremus, omni quidem opera efficere ſtuduimus; an effecerimus, non est noſtrum ſtatuere, neque eorum, qui de nobis queruntur. Integros & prudentes appellamus judices. Horum ſententia, ſi quid inique aut falſo ſcripſimus;

——— ταῦτα δ' ὄπισθεν ἀρεσσόμεθ', εἴ τι κακὸν νῦν
Εἴρηται· τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν.

Quoad vero nec illi contra nos judicaverint, & ipſi nobis teſtes ſimus; omnia, quae diximus, ex veritatis ſtudio profecta eſſe, non eſt quod perperam nos feciſſe fateamur. Sed ejuſmodi eſt plerorumque ingenium, ut ſua maxime mirentur; neque vel bene factorum laudem ſatis amplam tributam ſibi facile arbitrentur, vel aequiſſimam ſecus factorum reprehenſionem leniter ferant. Hinc eſt, quod vir quidam doctus moleſte tulit, vitia quaedam libri ab eo editi commemorata eſſe: quamquam, & ipſius viri, & libri, laudes lubenter & honorifice praedicavimus. Sed, & hic, & reliqui, deſinent nobis iraſci, quum intellexerint, nil a nobis temere aut malevole, omnia veritatis & literarum cauſſa, dicta eſſe. Quod profecto intelligent, ſi cenſuras noſtras accurate relegerint, neque ipſi ſe nimium amaverint. Et quandoquidem ita fieri ſolet, ut in reprehendendis vitiis, praeſertim ſi gravia ſint &

frequentia, & cum vanitate scribentis conjuncta; acrius vehementiusque sententia significetur; dabimus operam, ut, quod adhuc efficere studuimus, omnis a nostra reprehensione absit acerbitas. Ceterum, ut hujus consilii animique nostri documentum exhibeamus, primum, hoc profitemur, non esse uberiorem fructum, quem ex hac scriptione capiamus, nisi ut aliorum admonitione nostros ipsi errores corrigamus: deinde, in ipso ingressu hujus Voluminis ita Veritati litabimus, ut, si qui prioris Voluminis loci correctione opus habeant, eam nunc ipsi expromamus.

PART. I. p. 19. In Cicerone de Or. I, 17. — *non sane, quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.* Recte, ut adhuc nobis videtur, locum interpretati sumus: *non laborabit, quemadmodum minora illa opera facere discat: ut nec Phidias laboravit, quemadmodum minora illa signa in clypeo Minervae efficeret.* At vero neglesimus locum similem, quo constructionis hujus auctoritas confirmatur: is est N. D. I, 2. *In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest.* Est vero hujus loci plane similis ratio: *ut nec reliquae virtutes, ita nec pietas, in specie fictae simulationis inesse potest.*

P. III. p. 19. In Cicerone de N. D. I, 1. *De qua* (sc. Natura Deorum) *tam variae sunt doctissimo-*

sinorum hominum tamque discrepantes sententiae ; ut magno argumento esse debeat, caussam, id est principium. Philosophiae, esse inscientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. Locum sanitati restituimus ejiciendo glossemate, *id est principium Philosophiae.* Neque tum in mentem nobis veniebat Sexti Empirici, cujus similis plane sententia est, Adv. Mathem. L. IX, 29. qui cum varias Dogmaticorum opiniones de notione Dei proposuisset, addit; *eas non opus habere confutatione; quippe inscientiam totius, seu de hac re nil sciri, satis apparere ex opinionum varietate:* Τὰ μὲν οὖν λεγόμενα παρὰ τοῖς Δογματικοῖς φιλοσόφοις περὶ τῆς τῶν θεῶν ἐννοίας ἐςὶ τοιαῦτα· οὐκ οἰόμεθα δὲ αὐτὰ χρείαν ἔχειν ἀντιῤῥήσεως· τὸ γὰρ πολύτροπον τῆς ἀποφάσεως τὴν ἀγνωσίαν τοῦ πάντος ἀληθοῦς ἐπισφραγίζεται·

P. III. p. 20. Ciceron. N. D. II, 16. *Ordo autem siderum & in omni aeternitate constantia, neque naturam significat; est enim plena rationis: neque fortunam, quae, amica varietati, constantiam respuit.* Non contemnenda videtur Davisii ratio, qua vocem *naturam* tuetur: cum ait, Lucilium ea, non ex interioris Stoicae consuetudinis, sed communis sermonis, vi usum esse. Atque dubium tollit Sextus Empiricus L. IX. 111-115, ubi eandem Stoicorum sententiam exponit,

qua

qua ita concluditur: ὁ κόσμος —— ἤτοι ὑπὸ φύσεως κινεῖται, ἢ ὑπὸ προαιρέσεως, ἢ ὑπὸ δίνης καὶ κατ' ἀνάγκην: ultimum tollitur; unde relinquitur, mundum non φύσει ἀφαντάστῳ i. e. *bruta*, sed νοερᾷ i. e. *sapiente*, gubernari. Praeterea, in Cicerone *naturam* ita esse accipiendam, suadet cum sequens pars disputationis, tum usus Veterum, qui his tribus caussis omnia fieri statuebant, *natura*, *casu*, *arte*. Ex his *natura* idem valet ac *necessitas*: *ars* idem ac *prudentia*, *ratio*, *voluntas*. Plato Leg. X. p. 665. H. λέγουσί πού τινες, ὡς πάντα ἐστὶ τὰ πράγματα γιγνόμενα καὶ γενόμενα καὶ γενησόμενα, τὰ μὲν φύσει, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ διὰ τύχην. Haec nobis observatio in mentem revocat locum Aristotelis, ubi φύσις reponendum est, Art. Poet. cap. 1, χρώμασι καὶ σχήμασι πολλὰ μιμοῦνταί τινες ἀπεικάζοντες, οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ συνηθείας, ἕτεροι δὲ δι' ἀμφοῖν: legendum ἕτεροι δὲ διὰ φύσιν quod & ipsa ostendit verborum sententia, & confirmatur ex Metaphys. I, 1.

P. III, p. 24. Ciceron. Off. II, 10. *Nam & voluptates, blandissimae dominae, majores partes animi a virtute detorquent*. Correximus: *meliores partes animi*. Neque nos adeo poenitet hujus conjecturae. Verumtamen non minus verisimilis nobis videtur haec correctio: *molliores partes animi*. Ita est in Tuscul. II, 20. *Hujus animi pars illa mollior ra-*

tioni

tioni sic paruit, ut severo imperatori miles pudens.

P. III. p. 43. In Longino Sect. XXXIII. reprehendimus Toupii conjecturam, pro κίνδυνος ὑμικρότητος reponentis κινδυνεύει σμικρότητος. Postea vidimus, ipsum Toupium in Indice sententiam suam repudiasse.

P. IV. p. 35. In Euripidis Hecub. v. 802. Correctionem nostram adhuc tuemur. Quod vero diximus, ἡγεῖσθαι θεοὺς non esse pro elegantia Euripidis, non attendimus ad animadversionem Musgravii in Supplementis, T. III. p. 334., qui opportune dictionis exemplum ex Euripide protulit, Bacch. 1327. Εἰς τοῦδ' ἀθρήσας θάνατον, ἡγείσθω θεούς: *Hujus quis mortem intuens, non dubitet deos esse.* Nam, quin νομίζειν θεοὺς bonum esset, minime dubitavimus.

Ceterum, quod nullas hactenus peculiares, easque ineditas, adjecimus Disputationes, factum est librorum, quorum censurae agendae erant, multitudine. Quare, si quando vel plures hujus scriptionis socios, vel majus otium, nacti erimus; plures quotannis prodibunt Bibliothecae hujus partes, &, confectis censuris, aliquid loci relinquetur peculiaribus Disputationibus. Nunc quidem duas adjecimus ejusmodi particulas. Harum altera habet Animadversionem Valckenarii ad res Ptolemaeorum, prodita in libro, qui in paucorum est manibus, eorum quidem, qui nostras

*5 lite-

literas tractant. Altera continet auctoris, nomine tantum nobis cogniti, conjecturas aliquot ad Callimachum; quae cum doctrinae haud vulgaris indicium haberent, noluimus iis locum in hoc libello negare.

Denique varietatis & novitatis caussa, retinuimus *Breviores Relationes*; hac tamen lege, ut integrum nobis servaremus, de quibusdam libris alia deinceps Bibliothecae parte latius exponere. Ita valete, Bonarum Literarum Amantes, nobisque favete.

BIBLIOTHECAE CRITICAE PARS QUINTA

I.

THEOCRITI, BIONIS, ET MOSCHI *Carmina Bucolica. Graece & Latine. Latino carmine pleraque reddita ab Eobano Hesso, nonnulla ab Higtio, subjecit: Graeca ex Edd. primis, Codd. & aliunde emendavit, variisque lectionibus instruxit,* L. C. VALCKENAER. 8. *maj. Lugduni Batavorum. Apud* LE MAIR, 1779.

Cum multa sint & varia criticae artis munera, tum unum omnium & primum, idemque longe difficillimum, veram & germanam constituere Auctorum scripturam. Praeclarum est, obscurorum sententias locorum patefacere, rerum gestarum monumenta & antiquitatis rationem explicare, instituta inventaque in omni veteris doctrinae parte interpretari, eamque cognitionem ad ingenii vitaeque

usum conferre: & habent singula ea munera hanc vim, ut sine iis Critices laus intelligi nequeat. At vero nisi certa lectio constituta sit, eique, tamquam fundamento, superstruatur omnis illa interpretatio; necesse est, quod saepius fieri videmus, opiniones informari eas, quae, licet opera & artificio exornatae, tamen, reprehensa una alteraque syllaba, veluti somnia evanescant.

At, quod diximus, idem verae lectionis constituendae munus, unum omnium est longe difficillimum. Et primum quidem adsit oportet doctrina prope infinita, Linguae & totius Antiquitatis accurata scientia, usus ipsius Auctoris, ejusque ingenii, morum, consuetudinis, & vitae rerumque certa cognitio: tum judicio acri opus est, quo vera secernantur a falsis &, veluti aurificis statera, expendantur: denique felicitas quaedam ingenii accedere debet, quae, quid res postulat, ita celeriter subjiciat, ut non humana diligentia excogitatum, sed divino motu expromtum, videatur. Haec erat illa veteris Grammatices professio, cujus nunc, turpi hominum ignorantia, nomen in contemtu jacet.

Quod si quis eorum, quae de illius muneris difficultate diximus, documenta quaerat; excitamus Graecos Bucolici carminis poetas. Hi, propter miram dulcedinem ac suavitatem, ex eo inde tempore, quo Veterum monumenta instaurari coeperunt, apud

om-

omnes venustiores homines in deliciis fuerunt; & multos nacti sunt viros doctos, qui carmina eorum a vitiorum labe purgarent. Fuerunt qui hoc agerent superiore aetate, Casauboni, Heinsii. Fuerunt nostra aetate Reiskii, Wartoni, Toupii, Brunckii. Fuerunt qui per alios libros idem vel dedita opera vel obiter agerent. Quis non putet, post tot tantosque viros lectioni suam tandem sanitatem constitisse? Tantum abfuit, ut opus affectum ab aliis, a Valckenario demum perfectum esse videatur. Quo loco admonendi videntur vel imperiti vel malevoli, ne *ita* haec a nobis dicta accipiant, ac si jam ad eam sanitatem revocata sit vetus lectio, ut nullum sit in Valckenariana editione verbum, quin ab iis Auctoribus profectum sit. Nos dicimus de ea vel veritate vel verisimilitudine, quae maxima in hoc Critices genus cadere potest; ut, adhibitis omnibus ad restituendam veterem scripturam subsidiis, jam constet, qua quaevis lectio auctoritate nitatur, quantamque partem veritatis habeat. Et vero hoc est, quod a Valckenario perfectum esse affirmamus; quo viro nemo erat instructior iis facultatibus, quibus operis illius absolutio cerneretur. Qui quidem cum hoc unum sibi proposuerit; facile intelligitur, quid sit quod, relicto copioso illo & fuso commentandi genere, breve atque adstrictum secutus sit notandi genus, quo lectionis cujusque auctoritas verbo aesti-

maretur. Quamquam paratas jam habebat in Bionem & Moſchum luculentisſimas animadverſionum copias. Et poterat profecto eadem ubertate ornare Theocritum: quod illuſtri oſtenderat documento in ejus Adoniazuſis, quas a Toupio ſingulari opera tractatas ita retractaverat, ut non ſpicas legere ſed mesſem facere videretur.

Ne vero univerſe tantum de hac editione dixisſe videamur, peculiariter eam ſpectemus, & criticae rationis ſpecimina ex Bione & Moſcho proferamus.

BIONIS ID. I. v. 7.

Κεῖται καλὸς Ἄδωνις ἐπ' ὤρεσι, μηρὸν ὀδόντι
Λευκῷ λευκὸν ὀδόντι τυπεὶς, —

Elegans memoratur correctio Jo. Ruardi:

Κεῖται καλὸς Ἄδωνις ἐπ' ὤρεσι, μηρὸν Ἄδωνις
Λευκῷ λευκὸν ὀδόντι τυπείς.

Ib. v. 60, 61.

—— τί γὰρ τολμηρὲ κυνάγεις;
Καλὸς ἐὼν τοσσοῦτον ἔμηνας θηρσὶ παλαίειν;

Est oratio Veneris ad mortuum Adonin. Pro ἔμηνας, quod ſenſu neutro non dicitur, Brunckius V. Cl. ediderat ἐμεινας, & propoſuerat aliam quoque

que ex conjectura lectionem ἐμήναο. At Valckerius ita ex vero corrigit:

— τί γὰρ τολμηρὲ κυναγὲ,
Καλὸς ἐὼν τοσσοῦτο μέμηνας θηρσὶ παλαίειν;

Ibid. v. 65.

Δάκρυον ἁ Παφία τόσσον χέει, ὅσσον Ἄδωνις
Αἷμα χέει· τὰ δὲ πάντα ποτὶ χθονὶ γίγνεται ἄνθη.

Higtius, disciplinae quondam Valckenarianae alumnus, & his literis praematuro fato ereptus, hoc Bionis Idyllium carmine Latino Trochaico eleganter vertit, & huic quoque loco haud incommodam adjunxit sententiam:

Interim flentes ocelli tot dederunt guttulas,
Guttulae quot e jacentis effluebant vulnere.
Sorbsit omnes terra, laetos tot remittens flosculos.

Verumtamen venustior veriorque sententia existit ex alia lectione, quam primus ex ingenio protulit Valkenarius.

— τὰ δὲ παχνὰ ποτὶ χθονὶ γίγνεται ἄνθη.

id est, inquit, πηχνὰ sive πεπηγμένα, *terrae affixi sanguinis grumi Venerisque lacrymae mutantur in flores.*

Ibid. v. 77.

Ῥαῖνε δέ μιν μύρτοισιν, ἀλείφασι, ῥαῖνε μύροισι.

Lectio vitiosa est: neque sibi constant libri. Brunckius ex Cod. Paris. ediderat: ῥαῖνέ δέ νιν καλοῖσιν ἀλείφασι. Hoc a correctore profectum judicat Valckenarius, & recte probat elegantem Ruhnkenii correctionem:

Ῥαῖνε δέ μιν Συρίοισιν ἀλείφασι ——.

IX. Tres hi versus exstant:

Οὐ καλὸν, ὦ φίλε, πάντα λόγον ποτὶ τέκτονα φοιτῆν,
Μηδέ τι πάντ' ἄλλω χρέος ἴσχεμεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
Τεχνᾶσθαι σύριγγα· πέλει δέ τοι εὐμαρὲς ἔργον.

In versu secundo, cui sensus non constat, sanando duo ex superiori seculo principes literarum operam posuerunt, Grotius & Salmasius. Ille conjecerat: Μηδ' εἰ παντελέως χρέος ἴσχεμεν, ἀλλα καὶ αὐτόν. Hic Μηδέτι πάντ' ἄλλω. At levissima mutatione verissimam lectionem restituit Valckenarius:

Μηδ' ἐπὶ πάντ' ἄλλω χρέος ἴσχεμεν·

Id est: *neque ad omnia alterius opera indigere.*

XV,

XV, 8.

Χ' ὥπως ἐν κώραις Λυκομηδίσιν ἀπαλέγοισα
Ἀηδήνη τ' ἄπαςον Ἀχιλλέα Δηϊδάμεια.

Nullus in Bione desperatior locus est, etsi Jo. Ge. Gu. Koehlerus, qui peculiarem de eo disputationem edidit Jenae 1772, nullum hic vitium vidit, & dignam tali judicio versionem adjecit: *Et quemadmodum Deidamia, quem nondum experta, Achillem inter filias Lycomedis contemnens fastidierit.* Rectissime Valckenarius probat palmariam Ruhnkenii emendationem:

Χ' ὥπως ἐν κώραις Λυκομηδίσιν ἀγκὰς ἔχοισα
Πηλείδην ἀγαπάζει Ἀχιλλέα Δηϊδάμεια.

MOSCHI. ID. II. v. 102. Europa ad aspectum tauri hortatur amicas, ut secum ad eum accedant eique insideant:

Δεῦτ' ἑτάραι φίλιαι καὶ ὁμήλικες, ὄφρ' ἐπὶ τῷδε
Ἑζόμεναι ταύρῳ τερπώμεθα· δὴ γὰρ ἁπάσας,
Νῶτον ὑποςορέσας, ἀναδέξεται, οἷά τε νηῦς.

Comparatio tauri cum nave, nescio quomodo, huic quidem loco non satis convenire videtur. Valkenarius correctionem proponit verisimilem, quâ pro οἷά τε νηῦς substituatur οἷά τ' ἀπήνα: *tanquam plaustrum.*

Ibid. Ultimus Idylli versus,

Καὶ Κρονίδῃ τέκνα τίκτε, καὶ αὐτίκα γίνετο μήτηρ.

hic igitur versus, ut indignus Auctore hujus carminis, uncinis inclusus est.

ID. III, v. 7.

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἰ αἴ
Βάμβαλε σοῖς πετάλοισι· καλὸς τέθνακε μειλιχίδας.

Verissima correctione restitutum est Βάμβαλε pro vulgato Λάμβανε.

ID. IV. v. 88.

Νῦν δέ μοι οἴχεται υἱὸς ἐπ' ἀλλοτρίης νέον ἆθλον
'Εκτελέων.

Est Alcmenae oratio de filio Hercule; ut sponte intelligatur, certissimam esse conjecturam Valkenarii, eamque jure receptam in contextum, υἱός pro οἷος.

ID. V. v. 1.

Τὰν ἅλα τὰν γλαυκὰν ὅταν ὤνεμος ἀτρέμα βάλλῃ,
Τὰν φρένα τὰν δειλὰν ἐρεθίζομαι, οὐδ' ἔτι μοι γᾶ
'Εντὶ φίλα, ποτάγει δὲ πολὺ πλέον ἄμμε γαλάνα.

Ver-

Verſu tertio libri veteres ſcripti Leidenſis ac Moscuenſis & editio Trincavelliana Stobaei, habent ποθίη vel ποθείη. Porro, judice Valkenario, προσάγειν non dicitur a Graecis eo ſenſu, quem hic locus requirit. Quare ita ſcripſiſſe poëtam arbitratur:

— οὐδ' ἔτι μοι γᾶ
Ἐντὶ φίλα, ποθέει δὲ πολὺ πλέον ἅδε γαλάναν.

i. e. *deſiderat vero illa, nempe ἁ φρὴν ἁ δειλὰ, multo magis mitem undarum tranquillitatem.*

Sed hae, paucae ex multis, correctiones ſatis habent indicii, unde de reliquis exiſtimari posſit; quas quidem referre, infinitum ſit. Nam praeter lectiones codicum ſcriptorum & conjecturas virorum doctorum, novis in eodem genere ſubſidiis uſus est Valckenarius. Adhibita ſunt ad Theocritum excerpta Salmaſii ex libris Palatinis facta, quae nunc in bibliotheca Academiae Lugduno Batavae ſervantur, & collatio codicis optimi Pariſini a Ruhnkenio confecta: ad Bionem & Moſchum expoliendos profuerunt lectiones codicum Pariſinorum a Villoiſono excerptae, & nonnullae quas ex ſcripto Arſenii Violeto bibliothecae Moſquenſis enotavit Matthaeus. Conjecturae denique accesſerunt aliquot antea non editae, Hemſterhuſii, Pierſoni, Eldikii & aliorum.

II.

PANEGYRICI VETERES, *Quos ex Codice MS. Librisque collatis recensuit, ac notis integris, iisque partim ineditis, Christiani Gottlibii Schwarzii, & excerptis aliorum, additis etiam suis, instruxit & illustravit* WOLFGANGUS JAEGERUS. *Philosoph. in Academia Altdorf. Prof. Publ. Tomi II. Norimbergae.* 1779. 8.

Qui bonas literas ita colunt, ut earum fructum prudentia & virtute aestiment, eos decet in iis quidem maxime versari & quasi habitare Auctoribus, qui principes sunt ingenio ac doctrina, neque tamen eos negligere, qui secundo, tertio, vel posteriore sunt loco. Habet enim variarum aetatum classiumque cognitio magnam vim ad intelligendas caussas conversionis & in utramque partem conditionis literarum. Veluti, ut hoc utamur, orationes Demosthenis, Ciceronis, eorumque aequalium, abundant exemplis in omni genere eloquentiae; ut non sit quod, praeter illa, ejus laudis studiosi alia requirant. Et tamen eorum, qui postea fuerunt, orationes lectionem habent ma-

gno-

gnopere cum utilem tum jucundam: utilem, quod ex eorum virtutibus & vitiis discere licet, quid fugiendum quid sequendum sit: jucundam, quod observatio comparatioque exemplorum veterum, quae posteriores imitando expresserunt, rationisque ad quam imitandi studium composuerunt, res est plena humanissimae voluptatis. Ex hoc genere sunt Panegyrici Latini, quorum de recentissima editione exponemus. Est enim in iis habitus eloquentiae labentis quidem & multis partibus fractae, sed tamen fulcientis ruinam suam studio, & erigentis se Veterum imitatione. Neque fieri facile potest, quin ab ejus lectionis initio miremur orationis cum diversitatem ab illa Veterum praestantia, tum ipsius inaequabilem varietatem. Cujus depravationis causa non, ut vulgo putant, unica fuit libertatis amissio: quamquam ea multum valuit: sed fuerunt aliae complures, quas omnes enumerare infinitum est. In primis fuit ea, quod Caesares, quique re publica potirentur, plerumque nec literas alerent, nec consilia sua ad humanitatem referrent. Ceterum gravissima, sine dubio, pestis in ipsa hominum imbecillitate latuit. Ita enim natura comparati sumus, ut optima quaeque longo usu nobis sordescant, & nova deinceps alia ex aliis cupiamus. Quare, vera sanaque eloquentia quum similitudine ac simplicitate naturae constitisset, fuerunt levis ingenii homines, qui, taedio constitutae rationis & ignorantia

recti

recti, novum & mirabilius quaererent genus. Quod genus quum in publicum proderetur, patronam invenit multitudinem, ut imperitam ita novitatis admiratricem. Hoc est illud acuminis & argutiarum studium, quod Florum aliosque cepit, quod prudentes etiam viros, Vellejum, Senecam, & utrumque Plinium infecit. Atque bene habebat, si, quo deflexerat, constitisset eloquentia. Nunc, quod modo celebrabatur orationis genus ipsum tempore vilescere coepit, & novum deinceps pejus inductum est. Ita, quum semel statu mota esset eloquentia, tantum abfuit ut eum reciperet, ut potius jam non sensim laberetur sed praeceps in pejus rueret quaque deinceps aetate, & ita quidque pulcherrimum haberetur, ut quidque longissime a naturae ratione abesset. Ad hanc morum sensuumque labem quum alia pestis accederet, infelix adulandi necessitas, noli quaerere, quae monstra nata sint orationum. Hinc intelligitur, quantam ad bene dicendum vim adferat libertas civilis. Nam quum subinde existerent, qui corruptas seculi sui aures negligerent, & recta ratione ad eloquentiam eniti studerent: quum frequentes essent officinae rhetorum, qui hunc veluti incudem dies noctesque tunderent, ut ad Antiquorum exempla ipsi sua opera conformarent; quis non putet, unum aliquod excusum esse opus, quod exempli formam expleret? Nunc vel perfectissimum opus tale fuit, ut, cum multas dicendi vir-

virtutes mirareris, tamen nescio quid requireres. Hoc nimirum erat illud libertatis bonum, quo, veluti ſpiritu, oratio animatur: quodque ſi abſit, tanquam ex effoetis ac debilitatis lateribus, non ſana generoſaque vox, ſed inanis fractusque ſonus editur.

Neque tamen eo valet noſtra disputatio, ut his Panegyricis nullam laudis partem relinquamus. Immo quod initio diximus, eorum cognitio & comparatio cum Veteribus utilisſima eſt ad cognoscendas eloquentiae converſiones. Nam etſi ea aetate florerent, qua & libertatis ſpiritus defecisſet, & ipſa eloquentia cum in rerum judicio tum in verborum delectu graviter laboraret, habent tamen haud rara verborum ſententiarumque lumina & nonnumquam felici quodam impetu ad priscam illam ſublimitatem ſe attollunt; ut iis non ingenium adeo ac doctrina, ſed temporum felicitas defuisſe videatur.

Ceterum quamquam complures fuerunt & hodieque extant Caeſarum Laudationes Latinae, veluti Plinii, Auſonii, Claudiani, Metii Voconii, Corippi: illi tamen, de quibus hoc loco dicemus, peculiariter Panegyricorum Veterum nomine feruntur, & conjunctim eduntur. Numero ſunt undecim: *Cl. Mamertini* duae ad Maximianum Augustum. *Eumenii* quatuor: una, pro reſtaurandis Scholis ad Galliarum Praeſidem: altera, Panegyrica ad Conſtantium Chlorum Caeſarem: tertia, item Panegyrica ad Conſtantinum Augustum: quarta gratiarum actio ad eundem.

dem. *Incertorum Auctorum* duae panegyricae: altera, Maximiano & Constantino dicta, altera eidem Constantino. *Nazarii* Panegyrica in Constantinum Augustum. *Mamertini*, junioris, Gratiarum actio ad Julianum Augustum. *Pacati* Panegyrica oratio in Theodosium Augustum. Et fuerunt fere rhetores, atque in Gallia, quae tum eloquentiae studiis florebat, oratoriam factitabant: ejusque artis commendatione nonnulli eorum ad summos honores, ipsum etiam Consulatum, pervenerant. Quo magis intelligitur, quum ne praemia quidem sua Eloquentiae defuerint, plus ad ejus detrimentum valuisse seculi labem, quam ad florem reliqua omnia adjumenta.

Sed exponamus de nova editione. Quum Chr. G. Schwarzius, insigni vir doctrina, in Plinii Panegyrico eximiam operam navasset, spem conceperant harum literarum studiosi, fore ut reliquos Panegyricos ad eandem rationem ederet. Nam & exempla eorum in eodem, ex quo Plinium emendaverat, vetere codice extabant, & singularibus dissertationibus corruptos eorum locos sanaverat. Quam spem quum Schwarzii obitus praevertisset, scriptae ejus animadversiones & vetus codex in Moerlii, Antistitis Rev. Ministerii Norimbergensis & Professoris primarii, manus inciderunt: qui eas copias Jaegero tradidit, eumque ad conficiendam novam Panegyricorum editionem hortatus est. Quae quidem minime vulgaris fuit copiarum Schwar-

zia-

zianarum felicitas: ut & pervenirent ad possessorem humanum, qui eas lubenter in publicam utilitatem proderet, & nanciscerentur editorem, qui recte iis scienterque uti posset. Totum igitur opus in duo volumina distributum est: quorum priore continentur *Cl. Mamertini* orationes duae ad Maximianum, *Eumenii* quatuor, *Incertorum* duae: posteriore, *Nazarius*, *Mamertinus Junior*, *Pacatus*; quibus adjectum est carmen *Corippi* in laudem Justini Augusti minoris. Orationi cuique praefixa est vita Imperatoris de quo agitur, Observatio de Auctore, & Argumentum Orationis, desumta plerumque ex editione in usum Delphini a Jacobo de la Baune facta: duae tamen disputatiunculae ab ipso sunt Schwarzio, altera de Mamertino, altera de Eumenio. Orationi Latinae subjectae sunt eadem pagina Animadversiones; in quibus quam rationem secutus sit Editor malumus ipsius quam nostris verbis intelligi. „ Prima, inquit, merito mihi cura fuit textus, cu„ jus multa vitia ope librorum, praecipue Moetlia„ ni, emendavi. Equidem facile agnosco, non „ omnia vulnera, quae librariorum incuria scripto„ ribus hisce inflixit, esse persanata. Sed malui „ ea, ubi non aderant praesentissima remedia, su„ spensa manu tractare aut manum omnino abstinere, „ quam sumenda quidlibet audendi licentia, in re„ prehensionem temeritatis incurrere. Porro id „ quoque efficere curavi, ut, unde lectio quaeque

„ ducta

„ ducta ſit, & quibus quaſi gradibus ad eam, quam „ habet, formam textus pervenerit, intelligatur. „ In adjumentis interpretandi obſervationes Schwar- „ zii, quibus utrumque Mamertini Panegyricum illu- „ ſtravit, V Diſſertationibus Academicis publice „ olim propoſitis, nec non eas, quas ad quartum „ Panegyricum Eumenii, in uſum praelectionum „ conſcripſit, nondum adhuc editas, nec tamen „ auctore ſuo indignas, edere integras, ex adno- „ tatione reliquorum dilectum facere viſum est. „ Quotiescumque enim rem unam eandemque a duo- „ bus pluribusve, quod haud raro accidit, propo- „ ſitam fuiſſe vidi, illius tantummodo notam, quam „ vulgo dicunt, ſelegi, qui vel primus eam rem „ tetigit, vel omnium optime explicavit: qua ra- „ tione id me conſecutum eſſe ſpero, ut nil omnino „ ex iis, quae illuſtrandis orationibus hisce inſer- „ viant, deſiderari poſſit, neque tamen ſupervaca- „ nea legantur. Mea animadverſione tum demum „ opus eſſe judicavi, cum variae lectionis ratio red- „ denda erat, vel quaedam uberius & liberalius „ declaranda, vel ſententiae aliorum dubiae aut falſae „ eſſe videbantur, cet."

Ita Editor univerſe rationem conſilii ſui exponit. Nos peculiariter cognoscamus, propoſitis ſpecimi- nibus, quomodo eam re & facto perſecutus ſit. Atque ex primo quidem volumine ſpectemus animad- verſiones ad Mamertinum: quarum longe maxima

pars

pars est à Schwarzio, eaque moles, ut vix hujus editionis modo convenire videantur: veluti ab initio, de constructione particularum *cum* & *tum* tota pagina consumitur; mox sequens animadversio, de loci scriptura & de *Pinariis*, sex paginas complet; neque magnopere quid novi habet. Sed nimirum Editor religioni sibi ducebat, aliquid ex Schwarziana crisi circumscribere. Videamus deinceps exempla, & judicium subinde nostrum interponamus.

CL. MAMERTINI Panegyricus, Maximiano Augusto dictus. Cap. I. §. 5. *Et sit licet hic illi Urbi natalis dies, quod pertinet originem populi Romani; vestri imperii primi dies sunt principes ad salutem.* Hoc loco Schwarzius docte Latinitatem dictionis explicat. Poterat adjungere locum Taciti Ann. I, 9: *idem dies accepti quondam imperii princeps, & vitae supremus.* Atque in eodem genere aliae sunt ejus animadversiones: veluti mox II, 1, de formula *cum maxime*, & III, 3 *aliquid vice gratiae referre.*

IV, 3. *An non illud malum simili monstrorum biformium in hisce terris fuit.* Quum alii libri habeant *& hisce terris*, nisi vera est, certe haud abhorret a verisimilitudine correctio Lindenbrogii ad Anthol. Lat. I. p. 22 *biformium & excetris fuit.* Neque mentio ejus omittenda erat ab Editore.

V, 3. *Quid enim opus erat multitudine, cum ipsi*

pugnares, ipse omnibus locis totaque acie dimicares? ipse hosti undique, & qua cederet & qua fugeret, occurreres? errorernque adversariis pariter ac tuis faceres — Toto quippe praelio ferebare; non aliter quam magnus amnis solet, hibernis imbribus auctus & nivibus, passim fluere, qua campus est. Haec de Maximiano dicuntur contra Chaibones & Herulos pugnante. Quo loco interpretum, quod sciamus, nemo notavit hanc imaginem ex Homero ductam esse. Et vero haud postremum est intrepretis officium, exempla imitationis notare. Sed ita de Diomede canit Homerus Il. E, 85.

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,
Η'ὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.
Θῦνε γὰρ ἀμπεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς,
Χειμάῤῥῳ, ὅς τ' ὦκα ῥέων ἐσκέδασσε γεφύρας,
Τὸν δ' οὔτ' ἄρ τε γέφυραι ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
Οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων
Ἐλθόντ' ἐξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος.

Hinc quoque colorem duxit Panegyricus Incertus de Constantino Aug. IX, 5. *Toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni, quem abruptae radicitus sylvae & convulsa funditus saxa sequerentur.* Sed uterque verborum ornatum ex Latinis assumsit poëtis qui Homericam imaginem expresserant: veluti Lucretio I, 287. Virgilio Aen. II, 496.

XII.

XII. 523. Ad imitationis genus pertinet quoque locus proximus: *Ita cuncti Chaibones, Eruli cuncti, tanta internecione caesi interfectique sunt, ut extinctos eos relictis domi conjugibus ac matribus non profugus aliquis e praelio, sed victoriae tuae gloria nuntiaret.* Non enim dubium, quin adumbrata sit oratio ex Cicerone Pro Leg. Manil. IX. — *tanta fuit (nostra calamitas) ut eam ad aures L. Luculli non ex praelio nuntius, sed ex sermone rumor afferret.*

VI, 2. *Illum tamen primi consulatus tui duspicalem diem tacitus praeterire nullo modo possum:* Schwartzii adjecta est animadverfio sane quam longa & verbosa, quae tandem eo redit, ut *primi* legatur pro vulgato *primum.* Haud minoris fuerat utilitatis notasse formulam Ciceronianam, quae petita est Orat pro M. Marcello, I. *Tantam enim mansuetudinem — tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam, tacitus nullo modo praeterire possum.* Ceterum, non adeo necessarium videtur, quod in fine hujus loci vocem *opera* revocat ex depravata lectione codicis Cuspiniani, ut oratio ita expleatur: *unoque sol curriculo suo, eoque brevissimo, & officia te Consulis inchoantem videret, & imperatoris opera implentem.* Quis enim dubitet, quin *officia* quoque ad vocem *imperatoris* pertineant?

Ib. 3. *Vidimus te Caesar, eodem die pro Republica & vota suscipere & conjuncta debere.* Elegans

est, noſtra ſententia, & probabilis correctio Schwarzii, pro *conjuncta* legentis *convicta.*

Ib. 4. Exemplum proferre juvat adulatoriae eloquentiae: *Bona venia Deûm dixerim, ne Jupiter quidem ipſe tanta celeritate faciem caeli ſui variat, quam facile, tu, Imperator, togam praetextam ſumto thorace mutasti, hastam poſito ſcipione rapuisti, a tribunali temet in campum, a curuli in equum tranſtulisti, & rurſus ex acie cum triumpho rediisti; totamque hanc urbem, repentina tua in hostes eruptione ſollicitam, laetitia & exſultatione & aris flagrantibus & ſacrificiis & odoribus, & accenſis numini tuo luminibus implesti. Ita utroque illius diei ſupremo tempore, bis divina res pari religione celebrata est: Jovi, dum pro futuris fovetur: tibi, dum pro victoria ſolvitur.* Quis non egregiam dicendi facultatem in hoc loco agnoscat? Quo magis dolendum est, haec ingenii & doctrinae bona turpis adulationis argumento ſubjecta fuisſe. Ceterum Jaegerus docte *aris flagrantibus*, pro *fragrantibus*, tuetur.

VII. Tale quoque est illud exemplum, quod quin apponamus, facere non posſumus, cum expresſam istius eloquentiae ſignificationem habeat: *Tale igitur auſpicium illius anni quid ſequebatur, niſi novum aliquod & ingens miraculum? Quod autem majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgresſione? qua tu, primus omnium Imperatorum probasti,*

basti, Romani imperii nullum esse terminum, nisi qui tuorum esset armorum. Atque Rhenum antea videbatur ipsa sic Natura duxisse, ut eo limite Romanae provinciae ab immanitate barbariae vindicarentur. Et quis umquam ante vos principes gratulatus est, Gallias illo amne muniri? Quando non cum summo metu nostro Rheni alveum minuit diu serena tempestas? Quando non cum securitate nostra illius diluvia creverunt? Credo, itidem optimam illam fertilemque Syriam, velut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano sponte se dederent regna Persarum. Verum hoc Jovis sui more, nutu illo patrio, quo omnia contremiscunt, & majestate vestri nominis consecutus est. Tu autem, Imperator invicte, feras illas indomitasque gentes, vastatione, praeliis, caedibus, ferro, ignique domuisti. Herculei generis hoc fatum est, virtuti debere quod vindicat. Exinde igitur soluto animo ac libero sumus. Licet Rhenus arescat, tenuique lapsu vix laeves calculos perspicuo vado pellat, nullus inde metus est. Quidquid ultra Rhenum prospicio, Romanum est. Operae pretium est animadvertere, quae sint in hoc loco sententiarum lumina, qui verborum ornatus, quae imaginum efficacia. Sed has omnes laudes, nescio quomodo, obruit adulationis labes. Est vero similis huic locus alterius Panegyrici, *Eumenii* Paneg. ad Constantin. Aug. cap. XI. *Inde est igitur, Imperator, pax ista, qua fruimur. Neque enim Rheni jam*

gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. Quam libet ille aut arescat aestu, aut resistat gelu, neutro hostis audebit uti vado. Colorem duxerunt ex Cicerone: veluti Orat. de Provinc. Consul. XIV. *Alpibus Italiam munierat ante natura, non sine aliquo divino numine. Nam si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset: numquam haec urbs summo imperio domicilium ac sedem praebuisset. Quae jam licet considant. Nihil enim est ultra illam altitudinem montium usque ad Oceanum, quod sit Italiae pertimescendum.* Orat. in L. Pisonem XXXII. *Cujus (Caesaris) ego imperio non Alpium vallum contra adscensum transgressionemque Gallorum, non Rheni fossam gurgitibus illis redundantem, Germanorum immanissimis gentibus objicio & oppono. Perfecit ille, ut, si montes resedissent, amnes exaruissent, non naturae praesidio, sed victoria sua rebusque gestis Italiam munitam haberemus.* Sed imitationis mentionem nullam fecit Editor, nisi Homericae illius notissimae, quae apud Virgilium est Aen. X, 115.

Annuit & totum nutu tremefecit Olympum.

VIII, 1. *Illa quondam Romanae potentiae aemula & inimica Carthago.* Dictio est Sallustiana, Catil. 10. *Carthago, aemula imperii Romani.* Vellej. II, 1. — *remoto Carthaginis metu, sublataque imperii aemula:* ubi vid. Ruhnkenius.

XI, 6. *Ut enim omnia commoda caelo terraque parta, licet diversorum numinum ope nobis provenire videantur, a summis tamen auctoribus manant, Jove, rectore caeli, & Hercule pacatore terrarum: sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus facit, tu tribuis effectum.* Schwarzius proponit conjecturam C. Rittershusii, pro *facit* legentis *faciem*, eamque docte tuetur.

XII, 2. *Quo denique pacto effugere poenas reipublicae potest? Nisi si haustu terrae devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapiatur.* Nisi locum Euripidis ante oculos habuit Rhetor, certe ab illo ad alios haec sententia venit: Med. 1306.

Δεῖ γάρ νιν ἤτοι γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω,
Ἢ πτηνὸν ἆραι σῶμ' εἰς αἰθέρος βάθος,
Εἰ μὴ τυράννων δώμασιν δώσει δίκην.

Virgilius Aen. XII, 892.

—— *opta ardua pennis*
Astra sequi, clausumve cava te condere terra.

CL. MAMERTINI *Panegyricus Genethliacus, Maximiano Aug. dictus.* Observationes Schwarzii diximus ita longas & verbosas esse, ut potius modo Dissertationum, quibus primum proditae sunt, quam editioni Auctoris conveniant. Veluti observationes ad hoc primum caput paginas explent no-

 vem,

vem, nec facile verbum absque animadversione praetermissum est. Multae sunt vel pervulgatae, vel comparatae ad reprehensionem disceptationemque variae lectionis quamvis manifesto falsae & dudum explosae. Paucae aliquid habent quod a vulgari cognitione paulo sit remotius. In his sunt v. c. *Majestati vestrae laudes canunt*, pro *majestatis*. De *quinquennalibus Imperatorum*. De verbo *vovere*. Neque tamen hoc in eam partem accipi volumus, ac si nil fere exquisitioris doctrinae esset in Schwarzii animadversionibus: nam quae ad sequens caput pertinent, quamquam & ipsae sunt decem paginarum, habent haud pauca cum ad Latinitatis tum ad rerum observationem utilia: v. c. de dictionibus, *Sui majestate*, pro *sua majestate*: *Perstringere*, *Praestinguere*, *Praestringere*, *oculos*: *Approbare*: *Discursus* pro *cursus*.

III, 5. *Jupiter* — *in adversa coeli nitentem impetu rapit solem*. Docta est explicatio Jaegeri, de conjuncto Jovis & Solis numine, ex sententia Platonicorum & Orphicorum recentiorum. Commode ad verborum vim ostendendam adfertur locus Ovidii Met. II, 72.

Nitor in adversum, nec me, qui cetera, vincit
Impetus: & rapido contrarius evehor orbi.

III, 6. *Hercules*, *tuus auctor*, *dum inter homines erat*,

prat, terras omnes & nemora pacavit, urbes dominis crudelibus liberavit. Quamquam ſententia non ſit abſurda, tamen pro *nemora* malimus *maria*, quod niſi ab Auctore ſit, tamen ejusmodi est ut ita ſcribere debuerit. Habet hoc magis efficacem oppoſitionem ad terras, & est ita de Hercule proditum & a Rhetoribus frequentatum. Plutarch. Theſ. p. 4. A. dicit Herculem, ἐπὶ τοὺς πανταχοῦ πονηροὺς βαδίζοντα καθαίρειν γῆν καὶ θάλατταν. Ariſtides T. I. p. 32. Ἡρακλῆς — ἐκάθηρε τὴν Ἑλλάδα, —— πάντας ἐφεξῆς ἐπιὼν τούς τε ἐν ταῖς νήσοις καὶ τοὺς κατ᾽ ἤπειρον. Et continuo: Ληςὰς δὲ χερσαίους τε καὶ θαλαττίους — πανωλεθρίᾳ διαφθείρων. Mox: καὶ τὰς ὄρνις τὰς περὶ Στύμφαλον διαφθείρουσας τὰ πολλὰ τῆς Ἀρκαδίας, εὗρεν ὅπως ἐκβάλῃ· ὥσπερ οὐ μόνον γῆν καὶ θάλατταν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀέρα αὐτῷ προσῆκον ἐλευθεροῦν. Arrianus Indic. p. 524. περὶ Ἡρακλέους λέγουσιν, ἐπελθόντα αὐτὸν πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν καὶ καθάραντα ὅτι περ κακὸν ——. Libanius, T. I. Orat. Baſilica. p. 106: πάντα τὸν (ἐν) ἐκείνῃ τόπον ἐπῆλθεν, ἀνακαθαιρόμενος γῆν τε καὶ θάλατταν; delendum est ἐν, ex Thom. Mag. V. Ἀνακαθαίρομαι.

IV, 1. — *Vos continuo rerum curſu gerendarum non modo amoenitas locorum, aut nobilitas urbium, ſed*

ne ipsa quidem victoriarum vestrarum laetitia, remoratur. Elegans locus, quem cum exemplo, unde ductus est, conferri haud inutile erat. Cicero Pro Leg. Manil. XIV. *Unde illam tantam celeritatem & tam incredibilem cursum inventum putatis? Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut venti aliqui novi, tam celeriter in ultimas terras pertulerant: sed hae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non AMOENITAS ad delectationem, non NOBILITAS URBIS ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.* Ita Rhetor Ciceronianam ubertatem ad breviorem orationem contraxit: &, quod de suo adjecit, si quidem proprium ejus sit, *ne ipsa quidem victoriarum vestrarum laetitia*: hac igitur figura sententiae vim mirifice auxit.

VI, 6. *Vobis Rhenus, & Ister, & Nilus, & cum gemino Tigris Euphrate, & uterque, qua Solem accipit & reddit, Oceanus, & quidquid est inter ista terrarum & litorum, tam facili sunt aequanimitate communia, quantum sibi gaudent esse communem oculi diem.* Prior periodi pars ad poeticum spiritum adsurgit. Comparatio ab *oculis* ducta quamquam verissima, tamen haud scio an hoc loco minus apte posita sit & frigeat. Pro *qua Solem* veteres editiones habuerunt *qualem*; unde Gruterus fecit *qua Lucem*: quam correctionem receperunt Cellarius, & sequentes Editores.

tores. At verior est Schwarzii correctio *qua solem*, quamque in contextum recepit Editor. Enimvero poterat moneri, eandem correctionem propositam fuisse a Davisio ad Caesar. Bell. Civil. I, 39. & confirmatam loco Pacati I, 1. — *ab ultimo Galliarum recessu, qua littus oceani cadentem excipit solem.*

VIII, 5. *Etenim cum nihil animo sit velocius, Vos, quorum igneae immortalesquae mentes minime sentiunt corporis moras, pervecti estis ad Vos mutua desiderii celeritate.* Notanda erat imitatio Virgiliana Aen. VI, 730.

Igneus est ollis vigor & coelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

IX. Stulta, profecto, est adulatio, qua Rhetor, in argumento *itineris per Alpes*, Imperatores cum Hercule exaequat: frigida quoque est comparatio eorum cum Hannibale. Et habet tamen Hannibalis ex Alpibus in Italiam ingredientis descriptio per se ipsa mirificam vim, ut ei ad summam laudem nil nisi locus suus deesse videatur; adeo animus imaginum efficacia percutitur, adeo rerum futurarum exspectatione suspensus tenetur: *Tunc, Poeno ex summis Alpibus viso, Italia contremuit: statim, pecu agroque deserto, omnes familiae rusticanae silvas & ferarum cubilia petiverunt. Quo nuntio accep-*

accepto, omnibus oppidis matres Italae pensa e manibus abjecerunt: parvos liberos abreptos ad templa traxerunt: ibi aedes sacras passo capillo suo quaeque verrebat: vario planctu ploratuque futuris cladibus omina dabant: Thrasymenum & Cannas dolore praesago praecinebant. Hactenus egregie & ad sensum animi mirifice: qui quidem sensus nescio quomodo evanescit, quum continuo in comparationem hanc incidimus: *Nunc autem, ut primum ex utrisque Alpium jugis vestrum numen effulsit, tota Italia clarior lux diffusa; omnibus, qui suspexerant, aequa admiratio atque dubitatio injecta, quinam de illis* (lege cum Grutero *Dei illis*) *montium verticibus orirentur? an his gradibus in terras coelo descenderent? Ut vero propius propiusque coepti estis agnosci; omnes agri oppleti, non hominibus modo ad visendum procurrentibus, sed etiam pecudum gregibus remota pascua & nemora linquentibus: concursare inter se agricolae, nunciare ignotis visa: arae incendi, thura poni, vina libari, victimae caedi, cuncta gaudio calere, Diis immortalibus laudes gratesque cantari: non opinione traditus, sed conspicuus & praesens Jupiter cominus invocari: non advena, sed Imperator Hercules adorari.* Et habet ista quoque descriptio suas laudes, quamquam adspersas illas adulationis & frigidae comparationis labe. Sed nimirum non ingenio tantum opus est ad inveniendum, sed judicio quoque ad collocandum & limandum. Et quoniam de Hannibale men-

mentio facta est, venit nobis in mentem pervulgati de illo dicti, *eum vincere scire, victoria uti nescire*; ita Rhetor noster scit invenire, inventis prudenter uti nescit. Itaque quum ad scholasticam curiositatem adulandi necessitas accederet, omnis ingenii flos periit. Ceterum *ignotis* receptum est ex probabili Schwarzii conjectura, pro eo quod in omnibus libris est *totis*, & cujus in locum editores substituerant *notis* vel *totis vicis*. Lindenbrogius ad Consol. ad Liviam Aug. ỷ. 136. *totis* tuebatur ex Tertulliano de Spec. 16. *Nuntiant invicem quod simul ab omnibus visum est.* Idem continuo transponebat sequentia, *arae poni, thura incendi:* sed retinenda est vulgata lectio, cui auctoritas repeti potest ex haud indocta observatione Jaegeri ad I. Mamertin. Paneg. VI, 5.

XII, 1. Quandoquidem vitia quaedam Rhetoris notavimus, non committere debemus, quin moneamus, non ita haec a nobis notari ac si plura majoraque sint in eo vitia quam laudes. Immo contra, laudes multae magnaeque, vitia non ad modum multa sunt. Sed ea est eloquentiae ratio, ut plus valeant ad reprehensionem & vituperium pauca σφάλματα, quam ad laudem multa κατορθώματα. In vitiis quoque eminet perversum illud acumen, quod est in voce *Lumen: Ipsa etiam gentium domina, Roma, immodico propinquitatis Vestrae elata gaudio, Vosque ex speculis suorum montium prospicere*

conata, quo se vultibus Vestris propius expleret; ad intuendum cominus, quantum potuit, accessit. Lumina siquidem Senatus sui misit, beatissimae illi per eos dies Mediolanensium civitati similitudinem majestatis suae libenter impertiens, ut ibi tunc esse sedes imperii videretur, quo uterque venerat Imperator.

XV, 4. *Ubi sylvae fuere, jam seges est: metendo & vindemiando deficimus.* Apparet Ovidianus color ex Heroid. I, 53.

Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Ceterum, verbo significandae sunt in illa Panegyrici parte praestantiores quaedam Schwarzii animadversiones, quibus vel Latinitatis vel rerum ratio exponitur. Veluti, VII, 7. *Sic vos estis juniores, ambo seniores*: egregie restituitur codicis lectio, *Sic vos fertis quasi ambo juniores, ambo seniores*: ejusque dictionis probitas docte confirmatur. VIII, 3. *Quid simile concitus equus aut velivola navis*: ita ex codice, ante erat *concitu.* IX, 3, Vocis *inaccessibilis* pravitas notatur. Ib. *Eant nunc rerum veterum praedicatores.* X, 5, *ignotus* pro *ignarus.* XIII, 3, *vacare* pro *carere.* XVII, nomina barbararum gentium ex Geographiae monumentis illustrantur.

Ex secundo Volumine item spectabimus MA-

MER-

MERTINUM, cujus superest, *pro Consulatu Gratiarum actio ad Julianum Augustum*, sive is idem sit atque superior, sive, quod veri est similius, alius; quippe LXX anni inter utriusque aetatem intercedunt.

III, 2. *Testor immortalem Deum, testor ad vicem numinis mihi sanctam conscientiam meam.* Non abs re fuerat, excitari locum Ciceronis Off. III, 10. *Cum vero jurato sententia dicenda sit, meminerit Deum se adhibere testem, id est, ut arbitror, mentem suam, qua nil homini dedit Deus ipse divinius.*

IV, 2. *Ingenua suberant indignis cruciatibus corpora, nemo ab injuria liber, nemo intactus a contumelia.* A plerisque libris abest *suberant*, Atque ita hunc locum explicaverat J. Ph. Dorvillius ad Charit. p. 397, ut commode subintelligeretur verbum quod ad conficiendam sententiam requireretur. At Jaegerus *suberant* recepit ex codice Moerliano & & aliis.

X, 3. *Maximum tibi praebet parsimonia tua, Auguste, vectigal.* Opportune adfertur ab Editore locus Ciceronis unde hic expressus est; Paradox, 6, 3. *non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia:*

Ibid. *Quidquid enim alii in proprias cupiditates prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur.* Loco *proprias*, libri editi habuernut *prodigas.* Illud recte Jaegerus revocavit & libris cum aliis tum Moerliano.

XIII.

XIII. Cum multa habet haec oratio verborum sententiarumque lumina; tum locum quo honesta atque eadem efficacissima Juliani laudatio continetur, quam orator sub aliorum persona elegantissime conficit: *Multi post exactos reges imperium universae reipublicae solitarium cupierunt. Nota sunt recordantibus nomina eorum, videlicet qui, in propria furentes, adfectati regni supplicia pependerunt. Mitto veteres, qui saxo praecipites dati, quorum bona publicata, domus erutae, interdicta posteris nomina: non paucos hujusmodi furore vecordes & nostra aetas tulit, qui propter caecam imperandi libidinem in ferrum ruerunt. Si hos Deus paullisper vitae redditos adloquatur: „Heus, „verbi gratia, Nepotiane atque Sylvane, per infestos gladios praesentesque mortes imperium petivistis. At nunc „ultro vobis potestas regnandi datur, ut ea, qua Julianus, „conditione regnetis: ut pro omnium otio die noctuque „vigiletis: &, cum domini vocemini, libertati civium „serviatis: saepius praelium quam prandium capessatis: „nihil cuiquam auferatis, & ultro omnibus largiamini: „nulli gratificemini: in neminem saeviatis: toto orbe „terrarum nullius virginis fama violetur: sit lectulus, „etiam sine concessis ac legitimis voluptatibus, Vestalium toris purior: aestate Alamannicum pulverem, „hieme pruinam Thraciae, intectis verticibus perferatis". Profecto verborum ipsorum molestiam delicatae aures non poterunt sustinere: tantis negotiis territi, non modo imperium sed etiam vitam perosi, ad inferiores aliquos inferos*

feros redire properabunt. Videbunt enim justum principatum laboribus, curis, vigiliis inquietum: cujus illi faciem amoenam & amabilem contemplantes laborum aspera non videbant. Utiles neque indoctae sunt Jaegeri animadversiones ad hunc locum: veluti de *Nepotiano: Sylvano*: de verbo *gratificari*: de *concessis voluptatibus*, eas esse conjugiales, quod eo tempore, mortua uxore Helena, viduus esset Julianus. Neque tamen praeterea duarum rerum commemoratio erat omittenda. Altera est conjectura, quamquam non verisimilis illa, Jer. Marklandi, Epist. Crit. p. 17. pro *in propria furentes*, legentis *improba furentes*. Altera est imitatio Ciceroniana, cujus vestigia in fine hujus loci exstant: Ep. ad Div. I, 9. *Hic meae vitae cursus offendit eos fortasse, qui splendorem & speciem hujus vitae intuentur, sollicitudinem & laborem perspicere non possunt.*

XVI, 2. In celebri illo Crassi prensantis dicto ad Scaevolam: *Quaeso, inquit, Muci, paullisper abscedas, nec comitatu tuo honestari me putes.* A plerisque editionibus aberat *me*, quod recte ex libris scriptis revocavit Jaegerus. Atque ita quoque correxerat H. J. Arntzenius ad G. Arnaldum Dissert. de Vitis Scaevolarum p. 24.

XX, 1. *Juris civilis scientia, quae Manlios, Scaevolas, Servios, in amplissimum gradum dignitatis evexerat, libertinorum artificium dicebatur.* In libris

omnibus est *evexerit:* sed Jaegerus correctionem veram aliorum, *evexerat*, recepit. Ceterum hic non omittenda erat Arntzenii animadversio ad Diss. de Vit. Scaev. p. 23. qui primum notat, in Excerptis Vossii esse *extulit*, cum ipse Vossius conjecisset *erexit.* Deinde ex codice Guelpherbitano legit *officium* pro *artificium.* Denique pro *Manlios* probat ex Vossii excerptis *Manilios:* de quo Valer. Max. V, 8, 3.

XXVIII, 4. *Illic, pro sancta divinitas! gaudentibus cunctis, quo ore, qua voce, Ave, inquit, Consul amplissime. Dignatus osculo oris illius, divinis adfatibus consecrati, dexteram dedit, illam dexteram, inmortale pignus virtutis & fidei.* Jaegerus, quod raro facit, correctionem expromit: neque adeo infeliciter. Nam quum in codicibus Moerl. & Gud. sit: *Dignatus osculo illis divinis affatibus consecrari*, corrigit, *Dignatus osculo & illis divinis affatibus consecrare:* & opportune excitat locum Pacati XX, 2. *Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est.* Moneri quoque poterat de imitatione ducta ex Cicerone Ep. ad Div. VII, 5. *hominem tibi trado in manum tuam istam, & victoria & fide praestantem.*

Jam defungi liceat hac censura, ex qua, speramus, apparuisse, haud exiguam operam Panegyricis nova hac editione praestitam esse. Nam & menda frequenter sanata sunt, & loci difficiles ex-

explicati. Animadversiones Jaegeri magis quidem illae commendantur delectu illustrationis & judicio diligentique commemoratione variarum lectionum, quam inventione aut exquisita doctrina: sunt tamen perutiles ad intelligendos Scriptores quibus adjectae sunt. Quae profecto haud minima laus est.

III.

EURIPIDIS MEDEA. *ex duabus recentissimis editionibus:*

altera

SAM. MUSGRAVII, *in Operibus, quae extant, omnibus Euripidis. Oxon. Voll. IV, 4. maj.* 1778.

altera

R. FR. PH. BRUNCKII, *in libro, cujus haec est inscriptio: Aeschyli Tragoediae, Prometheus, Persae, & Septem ad Thebas: Sophoclis Antigone: Euripidis Medea. Ex optimis exemplaribus emendatae. Argentorati.* 1779. 8. *min. pagg.* 400.

Quanta sit vis ac praestantia operae, quam in Euripide exornando navavit Musgravius, V. Cl., ex superiore nostra censura suspicari magis quam intelligere licet. Est enim tanta ejus operae copia & varietas, ut, si quidem accurate de ea exponere velimus, singulis fere tragoediis singulae disputationes dandae sint, certe, non nisi pluribus

cen-

censuris munere nostro defungi posse videamur. Quare nos & postea, si quando locus erit, in hoc argumento versabimur, & nunc, in fabula Medea, cum Musgravii, tum Brunckii crisin spectabimus. Nam Brunckius, V. Cl., qui & doctrina est ea, ut Graecas literas scriptis egregie illustret, & eo animo, ut ad earum studium augendum ac frequentandum nec labori nec sumtibus parcat: *Brunckius igitur*, quum Sophoclem ad formam Euripidis Musgraviani edere pararet, non se his finibus continuit, sed eodem edendi consilio Aeschylum atque Euripidem complexus est. De quibus peculiarius tunc dicemus, quum illae majores editiones prodierint. Nunc in gratiam juvenum Academicorum & virorum Graecae venustatis studiosorum nonnullas Tragicorum fabulas quatuor singularibus vulgavit voluminibus formae octavae. De quibus facere non possumus, quin referamus, ita quidem, ut primum hoc loco unam ex illis, quod *diximus*, Medeam seligamus & cum Musgraviana crisi componamus, deinde universe de reliquis moneamus. Habuit vero Brunckius ad Euripidem expoliendum copias librorum cum editorum, tum scriptorum, in quibus in primis fuit, codex bibliothecae regiae Parisiensis Num. 2712, in quo sunt Euripidis fabulae sex, Sophoclis septem, & totidem Aristophanis. Ex hoc codice, quo usus jam erat

Musgravius, bonas lectiones haud paucas protulisse se affirmat Brunckius.

Sed Euripidis Medea cum sit una ex primariis Graecorum tragoediis, fuerunt haud pauci, qui ejus imitatione idem argumentum tractarent: ex Graecis Neophron, cujus fragmentum opportune attulit Brunckius: ex Latinis, Ennius, Attius, Pacuvius, Ovidius, quorum fabulae perierunt, & Seneca, cujus cum aliis tragoediis ad nostram aetatem pervenit Medea. Ovidius etiam partem argumenti ornavit in Epist. Her. IX, & Metamorphoseon libro VII. Horum locos fragmentaque non fere commemorarunt neque ad Euripidis comparationem adhibuerunt Editores novissimi, cum de industria & brevitatis caussa uterque, tum Brunckius etiam casu, quippe qui ad hanc fabulam similes Terentii sententias aliquoties attulit. Et hic quidem subitaneo edendi consilio obsecutus, orationis emendandae praecipuam habuit curam: ceterum ingenio indulgens non fere ad legis alicujus necessitatem se adstrinxit.

Prologum agit nutrix Medeae, eumque celebratissimis illis versibus orditur;

Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν — —.

qui

qui ex Ennii versione frequenter memorantur, cum ab aliis, tum in primis a Cicerone:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset ad terram trabes,
Neve inde navis inchoandae exordium
Coepisset, quae nunc nominatur nomine
Argo, —.

Ovidius quoque sumtam ab Euripide sententiam ipsi Medeae tribuit. Her. XII, 7.

Hei mihi, cur umquam juvenilibus acta lacertis
Phryxeam petiit Pelias arbor ovem?
Cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argo,
Turbaque Phasiacam Graja bibistis aquam?

Caussam addit Nutrix:

Nam numquam hera errans mea domo efferet pedem
Medea animo aegra, amore saevo saucia,
Jasonis, ——

Οὐδ' ἂν κτανεῖν πείσασα Πελιάδας κόρας
Πατέρα, κατῴκει τήνδε γῆν Κορινθίαν
Ξὺν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισιν, ἁνδάνουσα μὲν
Φυγῇ πολιτῶν, ὧν ἀφίκετο χθόνα.

Mirum est quam variis doctorum hominum conjecturis tentatus sit ultimus horum versuum. Canterus pro φυγῇ malebat φυλῇ vel ψυχῇ: Barnesius

 πο-

πολίταις: Piersonus, φυγὰς πολίταις: Musgravius, Ὀργῇ πολίταις, *placens, ingenio & moribus, civibus iis ad quorum terram venit:* Brunckius locum restituisse sibi videtur, corrigendo πολίτας, quod in contextum adeo recepit, & φυγῇ, quod, ut ait, perperam superiores cum ἁνδάνουσα conjunxerant, refert ad ἀφίκετο, *placens civibus, ad quorum regionem fugiens venerat.* Quae nobis correctio duabus de caussis displicet: altera, quod constructionem duram habet: altera, quod ἁνδάνειν τινὰ *placere alicui* non Graecum videtur. Nam quod ejus usus probitatem repetit ex Orest. 1634. οὐ γάρ μ' ἁνδάνουσιν αἱ κακαὶ, ibi μ' insertum est a Kingio; & si ab Euripide esset, valeret μοὶ, quod in μ' contrahi solet, ut ipse Brunckius bene animadvertit alio hujus fabulae loco v. 40. Et, quod ἀρέσκειν τινὰ *placere alicui* frequentatur, minime valet eo, ut ἁνδάνειν τινὰ probum sit. Nobis aliquando in mentem venerat φύσει *ingenio* pro φυγῇ. Neque tamen repugnamus, si quis vulgatam tueri velit; quippe quam & libri omnes retinuerunt, & haud indocte vindicavit Aem. Portus, cujus notas ab Editoribus neglectas miramur.

Pergit Nutrix: „ At nunc in contrarium omnia conversa sunt. Jason ad regias nuptias animum adjiciens Creontis, Corinthiorum regis, filiam ducit. Misera Medea Deos testatur & sacramenti religionem,

nem, quod a Jasone pro maximis beneficiis malam gratiam accipit: indulgens dolori, & cibo abstinens, conficit se lachrimis, & oculos humo defixos tenet; neque magis amicorum admonitiones admittit, *quam rupes aut fluctus marinus.*" Ita quidem est in Graecis, v. 28.

ὡς δὲ πέτρος, ἢ θαλάσσιος
Κλύδων, ἀκούει νουθετουμένη φίλων.

Atqui Valckenarius, cujus observatio minime omnium silentio praetereunda erat, vere eleganterque emendavert ad Hippolyt. p. 196.

ὡς δὲ πέτρος ἐνθαλάσσιος
Κλύδων', ἀκούει νουθετουμένη φίλων.

id est, *ut autem pelagi rupes immota fluctus lacessentes, sic audit illa monitus amicorum.* Ita Seneca in Hippol. 580, nutricem facit loquentem:

Ut dura cautes undique intractabilis
Resistit undis, & lacessentes aquas
Longe remittit, verba sic spernit mea.

Hinc, eodem judice Valckenario, colorem duxit Virgilius in Didonis descriptione Aen. VI, 469.

Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
Nec magis incoepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes

 " Ti-

„Timeo" inquit Nutrix „ quorsum haec evadant: tale ingenium est Medeae, ut injuriam haud inulta ferat, nec lacessita vinci se patiatur; v. 44.

> Δεινὴ γάρ· οὔτοι ῥαδίως γε συμβαλὼν
> Ἔχθραν τις αὐτῇ καλλίνικον οἴσεται.

Emendationem Mureti V. L. III, 11. καλλίνικον ᾄσεται, *victoriae hymnum canet*; hanc igitur emendationem cum probabilem, tum probatam Cantero & Musgravio, silentio praeteriit Brunckius.

Paedagogus, duos Medeae filiolos ex stadio domum reducens, eam alloquitur verbis iis, quae ex Ennio servavit Nonius.

> *Antiqua herilis fida custos corporis,*
> *Quid sic extra aedes exanimata eliminas.*

Cujus responsio, v. 56, extat apud Ciceronem Tusc. III, 26.

> *Cupido cepit miseram nunc me, proloqui*
> *Coelo atque terrae Medeäi miserias.*

> Ἐγὼ γὰρ εἰς τοῦτ' ἐκβέβηκ' ἀλγηδόνος,
> Ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
> Λέξαι, μολούσῃ δεῦρο, Μηδείας τύχας.

Pro μολούσῃ Musgravius ex duobus codicibus μολούσαν

λοῦσαν memorat, ſed vulgatum tuetur, auctoritate Philemonis, qui Comicorum more, hoc verſu ad feſtivitatem abuſus eſt, apud Athen. L. VII, p. 288. D.

Ὡς ἵμερός μ᾽ ὑπῆλθε γῇ τε κ᾽ οὐρανῷ
Λέξαι μολόντι τοὖψον ὡς ἐσκεύασα.

Brunckius, poſt Muſgravium, recte contendit μ᾽ ὑπῆλθε poſſe accipi pro μοὶ ὑπῆλθε; attamen μολούσαν praefert, idque Graecum eſſe pronunciat, *etiam ſi* μ᾽ pro μοὶ accipiatur. In quo nos ab eo diſſentimus, neque auctoritatem exemplorum, quibus illud conficere voluit, probamus. Valet ille diſſenſus caſuum, ſi poſterior eorum ſit accuſativus, qui referatur ad infinitivum. v. c. Med. 813. —— σοὶ δὲ συγγνώμη λέγειν τάδ᾽ ἐστι, μὴ πάσχουσαν, ὡς ἐγὼ, κακῶς; & hoc loco ferri poſſet, ἵμερός μοι ὑπῆλθε μολούσαν λέξαι. Igitur vel accipienda eſt lectio ὑπῆλθε με — μολούσαν: vel cum Muſgravio, ὑπῆλθε μοὶ — μολούσῃ. In poſteriore ratione unum nos male habet, quod Veteres & Tragici ὑπέρχεσθαι fere cum accuſativo conjungunt: ut ex iis intelligitur, quae expoſita ſunt a Valckenario ad Phoeniſſ. 464. Veruntamen, neque ſua deest auctoritas dativo, v. c. Iſocrates Panath. p. 578. νῦν δ᾽ οὐδὲν ὑπέρχεταί

μοι

μοι τοιοῦτο. Aeſchines Epist. V. p. 124. ὅταν δ' αὖ πάλιν ὑπέλθῃ μοι λογισμὸς. Julianus Imp. Or. VIII. p. 252. D. & Miſopogone p. 353. D. ὕπεισι δέ μοι ἐκ τῶν Πλάτωνος ὅσα ὁ Ἀθηναῖος διεξῆλθε ξένος. Apud Herodotum I, 30. ἵμερος ἐπείρεσθαι με ἐπῆλθέ σε: veriorem lectionem codices habent μοὶ, quam probat Valckenarius ad VII, 46. p. 531.

Paedagogus narrat, novum acceſsiſſe Medeae malum; quippe Creontem conſtituiſſe, Medeam cum filiis in exilium expellere. In hujus mali commiſeratione ſermo eorum conſumitur: in quo haec animadvertenda est Paedagogi dictio, v. 84:

ἄρτι γιγνώσκεις τόδε,
Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ,
Οἱ μὲν δικαίως, οἱ δὲ καὶ κέρδους χάριν,
Εἰ τούσδε γ' εὐνῆς οὕνεκ' οὐ στέργει πατήρ;

Musgravius memorat emendationem J. Gulielmii, Veriſ. I, 16, pro δικαίως legentis διὰ κλέος, *gloriae cauſſa:* ipſe, cum nil definiat, in eam partem pronior est, ut ei verſus intercidiſſe videatur. In Supplemento T. III. p. 341. tamen acutam & ſpecioſam proponit correctionem;

Οὐ μὴν δικαίας οὐδὲ Κύπριδος χάριν,

Atqui

Atqui pudici matrimonii nullam Medeae gratiam refert Jason, si quidem susceptorum liberorum amor; novo matrimonio minuitur. Quam correctionem silentio praetermittens Brunckius hunc versum spurium esse judicat. Nos quidem non audemus obelo eum notare: cum, quod illa argutia non abhorrere videtur ab Euripidis ingenio; tum, quod satis commodum parit sensum, quem eleganter expressit H. Grotius, Excerpt. ex Trag. & Comic. p. 190.

Adeone morem seculi ignoras, sibi
Ut quisque cupiat esse melius quam alteri,
Pars, jure, pars privata dum inhiant commoda,
Quando iste sobolem posthabet lecto pater.

Brunckius addit, huc forte respexisse Terentium Andr. II, 5.

Verum illud proverbium est, vulgo quod dici solet:
Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.

Hoc ejusmodi est, ut haud infrequentes in Terentio sint Euripideae sententiae; neque tamen eas ab ipso Tragico sumsisse videatur Terentius, sed ab ejus aemulo & imitatore Menandro.

Abit Paedagogus cum pueris, quos, monitu Nutricis, a Medeae conspectu in aliud conclave abducit. Interea Nutrix, in scena remanens, Medeae gemitus exaudit, ad quos ipsa seorsim respondet. In ejus

ejus oratione haec est dictio, quae nonnihil difficultatis habeat.

Δεινὰ τυράννων λήματα, καί πως
Ὀλίγ' ἀρχόμενοι, πολλὰ κρατοῦντες
Χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλουσι.
Τὸ γὰρ εἰθίσθαι ζῆν ἐπ' ἴσοισι
Κρείσσον· ἔμοιγ' οὖν, εἰ μὴ μεγάλως
Ὀχυρῶς τ' εἴη καταγηράσκειν·
Τῶν γαρ μετρίων, πρῶτα μὲν, εἰπεῖν
Τοὔνομα νικᾷ, χρῆσθαί τε μακρῷ
Λῷστα βροτοῖσι· τὰ δ' ὑπερβάλλον —
Τ' οὐδένα καιρὸν δύναται θνατοῖς,
Μείζους δ' ἄτας, ὅταν ὀργισθῇ
Δαίμων οἴκοις, ἀπέδωκεν.

Versum secundum ita Musgravius interpretatur: *pauca aliorum voluntate, pleraque suâ agentes.* Scholiastes duas adfert rationes interpretandi; alteram, illam a Musgravio probatam; alteram, non minus probabilem, certe memoratu dignam, *ira regum a parvis initiis profecta, ipsorum potestate & licentia, augetur ac radices agit:* atque sententiam videtur Euripides Homericam secutus esse Il. A, 80. Mox Musgravius post ὀχυρῶς delet τ': Brunckius recte corrigit ὀχυρῶς γ', & τὸ δ' ἄρ' εἰθίσθαι, ut nobis quoque in mentem venerat. Tum Musgravius con-

jicit:

jicit: οὐδένα καιρὸν ἀδείματα θνατοῖς, *Nullo tempore timoris vacua sunt.* Brunckius bene monet καιρὸν hoc loco non esse *tempus*, sed *opportunitatem*. Poterat quoque notari elegans usus verbi δύνασθαι, pro *efficere*, *praestare*. Thucydides VIII, 36. αἱ ἀγγελίαι τοῦτο δύνανται, *haec est vis rumorum*. Demosthenes Pro Corona. p. 233. τί δὲ τοῦτ' ἠδύνατο, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐγὼ διδάξω. Ceterum Grotius, quamquam pervulgatam interpretationem secutus, eleganter hunc locum vertit:

Effera regum pectora, pauca
Cogi, multum cogere sueta,
Iras aegre ponere norunt.
Ego, si magnas non detur opes
Ad supremum perferre diem,
Aequo discam sub jure pati.
Rebus modicis, primum nomen
Dulcius ipsum est: deinde & melius
Durare datum: nequit aetatem
Perferre, modum quidquid superat.
Quin clade premit graviore domos,
Simul ut fortuna reflavit.

Progreditur Chorus mulierum Corinthiarum, Medeae familiarium & amicarum; quaerit ex Nutrice, qui sint ejulatus Medeae qui audiantur: jubet advocari Medeam, ut ejus dolorem verbis & colloquio leniat.

leniat. „ Ad versum 148 non erat negligenda Scholiastae animadversio; quae eo valet, duplicem antiquitus fuisse hujus loci interpunctionem, alteram Didymi, eamque hodieque pervulgatam, qua uterque horum versuum Choro tribuitur:

> Ἀΐες ὦ Ζεῦ, καὶ γᾶ, καὶ φῶς
> Ἰαχὰν, οἵαν ἁ δύστανος
> Μέλπει νύμφα·

alteram Apollodori Tarsensis, qua prior versus ad Medeae orationem refertur. Neque caret haec ratio sua specie; cum ob caussas a Scholiaste explicitas, tum quod ita Chorus orditur v. 208. Ἰαχὰν ἄιον πολύστονον γόων: & 132. Ἔκλυον φωνὰν, ἔκλυον δὲ βοὰν, τᾶς δυστάνου Κολχίδος. Ceterum, hac ratione probata, et ipse Apollodorus, & qui eum sequuntur, probasse oportet correctionem secundi versus hanc:

> Ιαχὰν ἄιον, τὰν δύστανος. ——

Porro v. 158. Κείνῳ τόδε μὴ χαράσσου. *Ne irascaris propterea Jasoni.* Musgravius acute corrigit Δεινῶς τόδε μ. χ. quod vix aequum erat exigere a Medea, ut omnino non irasceretur. Brunckius, conjecturam suam ipse veram judicans, eam in contextum recipit: Κείνῳ λίαν μὴ χαράσσου. Nutricis

cis verba, 173:

Οὐκ ἔστιν ὅπως ἐν τινι σμικρῷ
Δέσποινα χόλον καταπαύσει.

eadem expressit Seneca Med. 393:

Non facile secum versat aut medium scelus
Se vincet: irae novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium.

Mox v. 215. Chorus ait, *Medea invocat Jovis Themidem, quae eam in Graeciam advexit* Δι' ἅλα νύχιον, Ἐφ' ἁλμυρὰν πόντου κλῇδ' ἀπέραντον. Quae Musgravius ita interpretatur: *diurna nocturnaque per mare navigatione ad numquam clausa Bosphori claustra.* Magis nobis placet Brunckii interpretatio, *per mare occidentale ad difficile transitu Bosphori claustrum.*

Jam prodit Medea & Choro calamitatem exponit suam, sedata quidem oratione, sed tamen ad ejus ingenium significandum & misericordiam commovendam efficace. Ejus hic est exitus, ut a Choro petat, ne ipsi silentium vel officium suum deneget, si rationem ulciscendae injuriae reperisset. Chorus recipit ei, nil se hujus consilii patefacturum. Illius orationis initium variis laborat difficultatibus, ex quibus se interpretes expedire non potuerunt:

Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
Μή μοί τι μέμφησθ'. οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
Τοὺς δ' ἐν θυραίοις· οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς
Δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥαθυμίαν.
Δίκη γὰρ οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν,
Ὅστις, πρὶν ἀνδρὸς σπλάγχνον ἐκμαθεῖν σαφῶς,
Στυγεῖ δεδορκὼς, οὐδὲν ἠδικημένος.

Musgravius primum in Notis locum non male explicat: si hoc est non male explicare, ex verbis corruptis sinceram sententiam extorquere. Deinde in Supplemento correctionem adhibet versui tertio, τούς μεν ἐργμάτων ἀπὸ, & quarto, οἵ τ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς: hoc sensu, *Novi multos mortalium, alios ob facinora egregia, alios vero ob rerum externarum copiam, honore dignos, qui ab ignavo pede & socordia infamiam consecuti sunt.* Brunckius vero locum ad sanitatem & sententiae perspicuitatem revocasse sibi videtur, scribendo ὀμμάτων ἔπι: atque, post Musgravium, haec a poëta ad significandos Atheniensium mores referri arbitratus, ita sensum exponit: *alii sunt oratores & demagogi, qui domi tractant rempublicam, in civium conspectu*, ὀμμάτων ἔπι: *alii classium & exercituum praefecti, procul ab urbe*, ἐν θυραίοις, *rem gerentes: qui nullam partem reipublicae suscipiunt*, ἀφ' ἡσύχου ποδὸς, *otio contemtum sibi conciliarunt.*

runt. In qua quidem crisi partem veri vidit Brunckius, non intercedere distinctionem inter τοὺς ὀμμάτων ἄπο & τοὺς ἐν θυραίοις. Sed cum alibi suavis & jucunda, tum hoc loco utilis & fructuosa est Ennii comparatio. Locus hic ex ejus versione laudatur a Cicerone Ep. ad Div. VII, 6. *Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quam ignoverunt Medeae, quae Corinthum, arcem altam, habebant matronae opulentae, quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi vitio illae verterent, quod abesset a patria:*

Nam multi suam rem bene gessere, & poplicam, patria procul.
Multi, qui domi aetatem agerent, propterea sunt improbati.

Non est, quod virorum doctorum conjecturas referamus, quorum alii aliter hunc locum in versuum modos redigere tentarunt. Illud potius agendum, ut ex Ennianis vestigiis Euripidis lectionem indagemus. Igitur nobis videtur ita in exemplo suo habuisse Ennius:

—— οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς τε δωμάτων ἔπι,
Τούς τ' ἐν θυραίοις. ——

Multos enim novi, qui patria procul rem suam bene gesserunt, auctoritatem & opes adepti sunt. Ennius

 addi-

addidit *patria procul*, quod in Graecis non quidem diserte expressum est, sed tamen ex antecedentibus intelligitur: horum alii *rem suam* bene gesserunt & δωμάτων ἄπο σεμνοὶ evaserunt, alii *publicam*, & ἐν θυραίοις clari fuerunt. Θυραῖα sunt *res externae*, & hoc loco *res publica*, quae *rei familiari* opponitur: vox est Euripidi frequens v. c. Electra 291. θυραῖοι sunt alieni, nulla nobis cognatione conjuncti: Alcestide 814: Menalippe ap. Stob. Grot. p. 331. Denique versu sexto legendum δ' ἄρ' pro γάρ:

Δίκη δ' ἄρ' οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν.

Neque enim caussa exponitur antecedentium, sed sequentia iis simpliciter subjiciuntur. Bene totam sententiam & ad Ennii exemplum vertit Grotius, una hac parte deceptus, quod ὀμμάτων ἄπο ex abundanti retinuit: Excerpt. p. 138:

Ne quaeso vitio vertite, Ephyreae nurus,
Patria quod absum. Rem suam multi bene
Et publicam gessere peregrino in solo
Proculque ab oculis: desides alios domi
Inertis otî caeca caligo tegit.
Respectus aequi nullus apud illos sedet,
Qui quempiam, non ante perspecta indole,
Odere, nulla vulnerati injuria.

Medea

Medea doloris sui primariam exponit caussam, ✝. 232:

> Ἐν ᾧ γὰρ ἦν μοι πάντα γιγνώσκειν καλῶς
> Κάκιστος ἀνδρῶν ἐκβέβηχ' οὑμὸς πόσις.

Nam maritus meus, in quo mihi erant omnia γιγνώσκειν καλῶς, *pessimus virorum factus est.* Haec verba Graeca, quum sensu prorsus careant, Canterus corrigit, γιγνώσκω καλῶς, Var. Lect. IV, 11. eamque correctionem opportune simillimis locis ex Euripide confirmat. Musgravius haud longe discedit, conjiciendo, γιγνώσκεις καλῶς. Reiskio placebat γίγνεσθαι καλῶς. Enimuero, ut Canteri rationem maxime probamus, ita utramvis reliquarum praeponimus Brunckii conjecturae γιγνώσκειν καλὰ, *in quo situm erat, ut bona omnia experirer:* quod vix Graecum esse judicamus. Ceterum eadem usus est sententia Ovidius in Ep. Med. ad Jas. v. 161:

> *Deseror, amissis regno patriaque domoque,*
> *Conjuge: qui nobis omnia solus erat.*

Medea ad commiserationem sexus muliebris pergit, quo nil infelicius esse affirmat, 236:

> Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
> Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος

Λαβεῖν· κακοῦ γὰρ τοῦδ' ἔτ' ἄλγιον κακόν,
Κἀν τῷδ' ἀγὼν μέγιστος, ἢ κακὸν λαβεῖν,
Ἢ χρηστόν.

Versu tertio Musgravius edidit — τοῦτο γ' ἄλγιον, ex duobus codicibus: Brunckius, τοῦτ' ἔτ' ἄλγιον. Nobis vulgata placet, & pro γὰρ legendum videtur γ' αὖ vel δ' αὖ; neque enim causſam, sed connexionem, requirit ſententia: quod vidit etiam Grotius, qui eam ita vertit:

Primum necesse est, dotis impensa gravi
Virum parare, corporis dominum tui:
Malo huic deinde gravius affine est malum,
Nam commodo durove jungaris viro,
Quantum est pericli?

Creon ſuperveniens Medeam inclementer alloquitur, eamque cum liberis regno ſuo excedere jubet. Illa reſpondet primum gemitu & commiſeratione calamitatis ſuae, deinde Creontem interrogat, quae ſit cauſſa tam inhumani mandati: v. 284.

Ἐρήσομαι δὲ, καὶ κακῶς πάσχουσ' ὅμως,
Τίνος μ' ἕκατι γῆς ἀποστέλλεις, Κρέον.

Brunckius conjicit:

— καὶ ξένη περ οὖσ' ὅμως,

Quam-

Quamvis peregrina, tamen interrogabo: quod nos quidem haud magis probamus atque vulgatum. Seneca hunc locum ita tractavit, ut, quid in Euripidis textu habuerit, non appareat: v. 192.

> Med. *Quod crimen, aut quae culpa multatur fuga?*
> Cr. *Quae caussa pellat, innocens mulier rogat.*

Mox Creon respondet: Δέδοικά σ', οὐδὲν δεῖ περιαμπίσχειν λόγους: ubi Brunckius παραμπέχειν recepit, vulgatum tamquam mendosum rejiciens: vellemus etiam addidisset, quid illud esset mendi. Porro est in Creontis responsione, Κλύω δ' ἀπειλεῖν, ὡς ἀπαγγέλλουσί μοι: ubi Musgravius, δ' ἀπειλεῖν σ' ὡς ἀ. μ. Brunckius ex conjectura recepit, χόλῳ δ' ἀπειλεῖς: — acute quidem & accommodate ad tollendam tautologiam, *audio, ut mihi narrant, te minari*, quae tamen an ejusmodi sit, ut ferri nequeat, non statuimus.

Tum vero callida oratione & precibus Creontem adgreditur Medea; eique tandem persuadet, ut unum hunc ei concedat diem, quo profectionis & exilii necessaria sibi paret subsidia. Initium ducit a sententia, qua queritur, saepius damno sibi fuisse sapientiae opinionem: v. 299.

> Χρὴ δ' οὔποθ' ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ,
> Παῖδας περίσσως ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.

Χωρὶς γὰρ ἄλλης, ἧς ἔχουσιν, ἀργίας,
Φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ·
Σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ,
Δόξεις ἀχρεῖος κ' οὐ σοφὸς πεφυκέναι·
Τῶν δ' αὖ δοκούντων εἰδέναι τι ποικίλον
Κρείσσων νομισθεὶς ἐν πόλει, λυπρὸς φανῇ.

In primo verſu mendum haeret. Adſentimus Brunckio in reprehenſione vulgatae, quid enim ſit ἄλλη ἀργία, non videmus: laudamus etiam diligentiam, qua ex codice Pariſino notavit lectionem ἀλκῆς pro ἄλλης. Quod autem veram eam & ſenſum abſolvere affirmat, in hoc vero ab eo diſſentimus: neque facile nobis probetur illa interpretatio: *Nam, ſi nullo valeant robore, in reprehenſionem otii incurrent apud cives*; quippe quae ſequuntur non ad otii, ſed ipſius ſapientiae, reprehenſionem pertinent. Nobis aliquando in mentem venit:

Χωρὶς γὰρ ἄλλης, ἧς ἔχουσιν, αἰτίας,

Nam praeter aliam, in quam incurrunt, reprehenſionem, invidiam ſibi contrahunt. Et vero Poëta reſpicere videtur ad ſeculi ſui mores, ut communia quaedam eſſent omnium philoſophorum crimina: veluti apud Platonem Apol. Socr. p. 361. D. ἵνα δὲ μὴ δοκῶσιν ἀπορεῖν, τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν, ὅτι τὰ με-

μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ζητεῖ, καὶ θεοὺς μὴ νομίζει, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖ· Hinc Ruhnkenius lucem attulit Xenophonti Mem. Socr. I, 2, 31. — οὐκ ἔχων ὅπῃ ἐπιλάβοιτο, ἀλλὰ τὸ κοινῇ τοῖς φιλοσόφοις ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπιτιμώμενον ἐπιφέρων αὐτῷ καὶ διαβάλλων πρὸς τοὺς πολλούς. Ne cui vero ſcrupulum injiciat, αἰτίαν ἔχειν ſimpliciter dici; tritus est hic uſus bonorum Scriptorum conſuetudine. v. c. Thucydid. VI, 46. πολλὴν τὴν αἰτίαν εἶχον ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν. Lyſias Or. contr. Frumentar. p. 165. πολλαῖν ἤδη ἐχόντων ταύτην τὴν αἰτίαν. Iſaeus Or. de Aſtyphil. p. 76. τοιαύτην αἰτίαν ἔχοντος Θουδίππου. Xenophon Cyropaed. V, 3, 18. διὰ τὸ σὺν πολλοῖς αἰτίαν ἔχειν. Atque ita Latini dicunt, *crimen habere*; vid. Burmannus ad Phaedr. I, 3, 11. Grotius difficultatem contextus interpretando lenire tentaverat:

Prudens parentum liberos nemo ſuos
Velit eminere literarum laudibus;
Quippe otioſo deditos negotio
Infeſta ſimul invidia popularis premit.
Nam docta quisquis promit in vulgus nova,
Famam occupantis vana, non docti, refert:
Idem putatus ceteris ſapientibus
Plus ſapere, fieri non potest quin ſit gravis.

 His

His Medea continuo addit, v. 302:

Ἐγὼ δὲ κ' αὐτὴ τῆσδε κοινωνῶ τύχης·
Σοφὴ γὰρ οὖσα, τοῖς μὲν εἰμ' ἐπίφθονος,
Τοῖς δ' ἡσυχαία, τοῖσδε θατέρου τρόπου,
Τοῖς δ' οὖν προσάντης· εἰμὶ δ' οὐκ ἄγαν σοφή.

Tertium versum Musgravius, post Piersonum, tanquam spurium e contextu ejecit, quippe ex v. 813. a mala manu invectum: huc accedit, quod in optimo codice Parisiensi non in oratione exstat, sed margini adscriptus est. Quarto versu Musgravius ejusdem Piersoni correctionem, eamque plurium librorum scriptorum auctoritate confirmatam, probat, Τοῖς δ' αὖ, & vulgatum temere in contextu relictum esse notat. Porro meliorem judicat lectionem eam, quam Scholiastes secutus videtur, προσάντης εἰμὶ κ' οὐκ ἄγαν σοφή. Atque ita exhibuit etiam Brunckius, omittens tertium quoque versum, crisin tamen Piersoni & Musgravii non commemorans. Ceterum Musgravius, cujus sensum offendit duobus deinceps versibus εἰμὶ repetitum, acute, ut omnia, corrigit:

Τοῖς δ' αὖ προσάντης λῆμα, κ' οὐκ ἄγαν σοφή.

In Creontis oratione v. 325:

Ἀλλ' ἔξιθ' ὡς τάχιστα, μὴ λόγους λέγε.

Mus-

Musgravius correctionem Valckenarii ad Phoen. p. 181. μὴ λόγους πλέκε, silentio praetermisit: eandem in textum revocavit Brunckius.

Medea contra instat, v. 328:

Μὴ πρός σε γονάτων, τῆς τε νεογάμου κόρης.

Sententiam oratorie exornavit Seneca, Med. v. 285:

Per ego auspicatos regii thalami toros,
Per spes futuras, perque regnorum status,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
Precor brevem largire fugienti moram,
Dum extrema gnatis mater infigo oscula
Fortasse moriens.

Versu 337:

ΚΡ. Ἕρπ', ὦ ματαία, καί μ' ἀπάλλαξον πόνων.
ΜΗΔ. Πονοῦμεν ἡμεῖς, κ' οὐ πόνων κεχρήμεθα.

Medeae dictum, ex quo commodus sensus elici nullus potest, ita refinxit Musgravius:

Πόνος μὲν· ἡμεῖς δ' οὐ πόνῳ κεχρήμεθα;

Molestia quidem est: at nos nonne in molestiis versamur? Correctionem laudat Brunckius, eamque in contextum recipit, & opportune confirmat simili

ex

ex Tragico dictione, Orest 1639.

Tandem Creon Medeae unum concedit diem: Ἥκιστα τοὐμὸν λῆμα ἔφυ τυραννικὸν, inquit, *concedo tibi quod petis*: προὐννέπω δέ σοι, Εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ, καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονὸς, θανῇ: haec Seneca fabulae suae accommodavit, veluti v. 252:

Non esse me, qui sceptra violenter geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,
Testatus equidem videor haud clare parum.

Et v. 294:

Etsi repugnat precibus infixus timor,
Unus parando dabitur exilio dies.
— Capite supplicium lues,
Clarus priusquam Phoebus attollat diem
Nisi cedes Isthmo.

Medea, postquam discessisset Creon, Chorum alloquitur v. 364. „ Undique misera sum, inquit, quis neget? neque tamen usque adeo misera, ut mihi ratio desit, qua inimicos meos ulciscar. Quid enim? putesne me adeo esse abjectam animo, ut supplex essem Creonti, nisi hac una spe, ut eum perderem." Nil potest efficacius excogitari oratione Medeae, ad significandum affectum mulieris incensae dolore injuriae & cupiditate vindictae. Hinc Seneca prologum

logum suum adumbravit: quem si quis ad Euripidis comparationem adhibeat, intelliget profecto, quid intersit inter duos Tragicos. Apud Graecum omnia verisimiliter dicuntur ex ingenio & moribus Medeae, quae naturae impetu aufertur: apud Latinum sub Medeae persona nescio quis subest sonus Rhetoris ampullantis.

Venit *Jason*, Medeam iratam verbis lenire tentans, novas nuptias necessitate atque utilitate communium liberorum excusans, eique exilii vitaeque subsidia promittens. Illa, indignatione & odio, ejus beneficia repudians, omnibus eum modis exsecratur. Jason se meditata oratione defendit: quam confutat Medea. Hoc est illud Euripidis artificium, quod in contrariis orationibus cernitur, quarum utraque tam probabiliter exornata est, ut quamcumque audias ea probanda videatur. Bona cum mala caussa in certamen componitur: illam sophistarum more tuetur & omnibus artis rationibus exornat Jason; ut vix *Medea* reperire posse videatur, quid ei opponat. Haec vero simplici responsione, & naturae veritate, facile illam solvit. Sed ad Jasonis alloquium ita insit Medea v. 470:

Ὦ παγκάκιστε, τοῦτο γάρ σ' εἰπεῖν ἔχω,
Γλώσσῃ μέγιστον εἰς ἀνανδρίαν κακόν,
Ἦλθες πρὸς ἡμᾶς, ἦλθες —

Medium versum spurium judicat Brunckius; rationem in primis hanc secutus, quod εἰπεῖν γλώσσῃ frigeat. Atque haec non conjunguntur; quippe secundus versus, per se habet sententiam, & levi mutatione ita corrigendus:

Γλώσσῃ μέγιστον εἰς ἀναιδείαν κακόν,

O pessime omnium! hoc enim vere te appello, o nequissime! qui adjutricem impudentiae habes linguam; ausus es in conspectum venire meum? ausus es? Nam de impudentia hic agi, apparet ex iis, quae continuo sequuntur:

Οὔτοι θράσος ἐστὶν, οὐδ' εὐτολμία,
Φίλους κακῶς δράσαντ' ἐναντίον βλέπειν,
Ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
Πασῶν, Ἀναίδει' —

Proclivis est librariorum negligentia ad confundendas has voces; eandemque medicinam Philostrato Vit. Ap. V, p. 209, adhibuit Wyttenbachius Epist Crit. p. 60. Et hominum error ipsas res confundit, neque raro ἀναίδεια cohonestatur ἀνδρείας nomine; unde invaluit ille euphemismus quem notat Plato Rep. VIII. p. 498. D. ὑποκορίζόμενοι, ὕβριν μὲν παίδευσιν καλοῦντες, ἀναρχίαν δὲ ἐλευθερίαν, ἀναίδειαν δὲ ἀνδρείαν. Plutarchus

T. *II.* p. 46. C. οὐ καλὴν οὐδ' ἀληθῆ διδάσκειν ἀπόδειξιν ἀνδρείας τὴν ἀναισχυντίαν. Quibus addatur Thucyd. III, 82.

Mox v. 477:

εὖ δ' ἐποίησας μολών.
Ἐγώ τε γὰρ λέξασα, κουφισθήσομαι
Ψυχὴν, κακῶς σε, καὶ σὺ λυπήσῃ κλύων.

Commode monet Brunckius, hinc profecisse Terentium Andr. IV, 1, 6. *Atque aliquis dicat, nihil promoveris. Multum. Molestus certe ei fuero, atque animo morem gesfero.* Poterat eadem opera moneri de imitatione Ovidii, Ep. Med. ad Jas. v. 21:

Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas.
Hac fruar: haec de te gaudia sola feram.

Vers. 507:

Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους;
Οὓς σοι προδοῦσα, καὶ πάτραν, ἀφικόμην·
Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν
Δέξαιντό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.

Brunckius versu tertio, quamquam ex codice, tamen deterius recepit καλῶς τ' ἂν οὖν: illud tamen recte probaverat Valkenarius ad Hipp. p. 259, & secu-

secutus erat Musgravius. Ceterum duo versus Enniani, ex hoc loco sumti, extant apud Ciceronem de Orat. III, 58:

Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum ne paternam? anne ad Peliae filias?

Longe ab Euripidis simplicitate abit Seneca v. 451:

Ad quos remittis? Phasin & Colchos petam,
Patriumque regnum, quaeque fraternus cruor
Perfudit arva? Quas peti terras jubes?
Quae maria monstras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symplegadas?
Parvamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?
Quascunque aperui tibi vias, clusi mihi.

Totam orationem Jasonis una interrogatione confutari dicit Medea v. 590: — ἓν γὰρ οὖν κτενεῖ σ' ἔπος, quod satis bonum efficit sensum: sed cum libri fere habeant ἓν γὰρ ἐκτενεῖ σ' ἔπος, Brunckius induxit ἐκκτενεῖ, cujus verbi usum vellemus idoneis auctoritatibus probasset.

Forte Aegeus, Athenarum rex, Corinthum transiens, ad Medeam venit. Hic, postquam Delphicum oraculum de librorum prole suscipienda consuluisset, ad Pittheum, Troezenes regem, contendebat, ut ab eo interpretationem oraculi peteret. Medea cala-

calamitates ſuas, injuriasque a Jaſone illatas, ei narrat: rogat, ut ſe exulem Athenis ſuscipiat: ſpem ei oſtendit ſuscipiendae prolis. Hac ſpe inductus Aegeus recipit Medeae quod petit, ejusque jusſu religioſisſimam ſacramenti fidem adjicit, ſe Medeam ab omni vi tutam praeſtiturum, ſi Creontis aut aliorum ſatellites eam Athenis repeterent atque abducere conarentur. His confectis, Aegeus Troezenen abit. *Tum* vero Medea gaudio exſultans, opinione ſua vindictam praecipit: triumphat, portum ſibi aperiri, malorum conſilia rata inſtructaque esſe, eorumque rationes exponit Choro. Arcesſam, inquit, Jaſonem, *eique* blandis verbis affirmabo, me omnia ejus facta & novas nuptias probare; hoc unum orabo, ut liberos nostros ipſe apud ſe retineat. Non quidem ego, ut eos *hostibus* ludibrio relinquam, ſed ut *hostes* ipſa meos hac fraude perdam. Nam vestitum ſponſae per liberos meos mittam, ut eorum exilium a patre deprecetur. Illa, quum vestitum induerit, & ipſa continuo peribit, & quisquis eam tetigerit. Tum vero impium committendum est ſcelus: liberos interficiam; ita ſuadet necesſitas" Frustra eam ab hoc propoſito dehortatur Chorus, cujus ſuavisſimum ſubſequitur melos ad laudes Athenarum compoſitum.

V. *681*, ubi Medea ex Aegeo quaerit" quid ei Apollo reſponderit:

Θέμις δ' ἂν ἡμᾶς χρησμὸν εἰδέναι θεοῦ;

Brunckius ex codice Parif. & editione Lafcaris recepit: Θέμις μὲν ἡμᾶς χ. ε. θ. quod hoc loco vix fanum esfe potest. Nobis aut nil mutandum videtur, aut pro δ᾽ ἂν legendum δ᾽ ἄρ᾽.

V. 746. Aegeo perfuadet Medea, ut ei facramenti religione affirmet, numquam fe eam traditurum hostibus, fi quando eam Creontis aut Peliae cognati ad poenam expetant:

> Πελίου δ᾽ ἐχθρὸς ἐστι μοι δόμος,
> Κρέων τε· τούτοις δ᾽, ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς
> Ἄγουσιν οὐ μεθεῖς ἂν ἐκ γαίης ἐμέ·
> Λόγοις δὲ συμβὰς, καὶ θεῶν ἀνώμοτος,
> Φίλος γένοι᾽ ἂν, κἀπικηρυκεύμασι
> Οὐκ ἂν πίθοιο·

Tractaverat hunc locum M. A. Muretus V. L. VII, 3. (non VIII, 3, ut est apud Musgravium) qui recte correxit v. 3. μεθῆς ἂν pro μεθεῖσαν, & v. 4. ἀνώμοτος pro ἐνώμοτος. Musgravius ita edidit ut exhibuimus; &, quod Muretum latuerat, vidit mendam infidere in Οὐκ ἂν πίθοιο, pro quo reponere tentavit, Ὦκ᾽ ἂν πίθοιο, *celeriter obtemperes*. Brunckius verfu tertio ex conjectura recepit μεθεῖ᾽ ἂν, cujus formae bonitatem vellemus ufu Graecorum confirmasfet. Verfu ultimo idem recepit ex conjectura, Σύ γ᾽ ἂν πίθοιο, quod non repudiamus. Nobis aliquando in mentem venit, verfum

ſum quartum & ſextum ita conſtituere:

Λόγοισι δὲ ξυμβὰς θεῶν ἀνώμοτος,
Τάχ' ἂν πίθοιο·

V. 782. Medea, narrans Choro quid Jaſoni dictura ſit, haec dicit:

Μολόντι δ' αὐτῷ μαλθακοὺς λέξω λόγους,
Ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα, καὶ καλῶς ἔχειν
Γάμους τυράννων, οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει,
Καὶ ξύμφορ' εἶναι καὶ καλῶς ἐγνωσμένα·

Tertium verſum Valckenarius ad Phoen. p. 433 ſpurium judicavit: ejusque auctoritatem ſequuntur noviſſimi Editores. Ultimum, quem Musgravius ejusdem falſitatis crimine ſollicitavit, recte vindicat Brunckius: qui quidem, nostra ſententia, nimium ſe praebet ſeverum tertio ſequentium verſuum, ubi Medea exponit, quid conſilii ſequatur in exorando Jaſone, ut liberos ab exilii ſocietate eximeret:

Παῖδας δὲ μεῖναι τοὺς ἐμοὺς αἰτήσομαι,
Οὐχ ὡς λιποῦσα πολεμίας ἐπὶ χθονὸς
Ἐχθροῖσι παῖδας τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι·

Quamquam & nobis frigere videtur illa repetitio, neque ſine probabilitatis ſpecie ſuſpicatur Brunckius, eum confictum esſe ex v. 1059:

Οὔτοι ποτ' ἔςαι τοῦθ', ὅπως ἐχθροῖς ἐγὼ
Παῖδας παρήσω τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι·

Sed hoc loco ad ſententiae abſolutionem neceſſarius est ille verſus, & fortaſſe leni mutatione corrigatur:

Ἐχθροῖσιν αὐτοὺς τοῖς ἐμοῖς καθυβρίσαι·

Locum vitioſum in Cantu Chori v. 851, Musgravius ita conſtituit, niſi vere, certe acute & probabiliter:

Πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν
Ἢ πόρος, ἢ φίλων
Ποίνιμος σε χώρα
Τὰν παιδολέτειραν ἕξει,
Τὰν οὐχ ὁσίαν κατ' ἄλλων·

Verſu primo vulgatur, Ἢ πόλις, ἢ φίλων: tertio, Πόμπιμον σε χώρα: quinto — ὁσίαν; μετ' ἄλλων—. Est haec quidem melior aliis aliorum correctionibus, neque tamen ſatis ad locum perſanandum, in quo nobis gravius mendum ſubeſſe videtur. Brunckius recepit πόρος: ceterum nil animadverſionis adjecit. In ſequente Antiſtrophe, cum in verbis, tum interpunctione, Musgravius aliquid correctionis expromit, quod Brunckius in contextum recepit: veluti

veluti 862, Πῶς δὲ θράσος ἐνθέμενα Χειρὶ, pro vulgato Π. δ. θ. ἢ φρενὸς ἢ χειρί.

Venit Jaſon, cui Medea illud, quod modo ad Chorum dixerat, perſuadet. Ejus oratio cum est callida & mire probabilis, tum ſuis temperata affectibus. Pueri ejus ad ſponſam patris abeunt, eique a matre adferunt dona veneno infecta.

Verſu 876. — τὰς δ' ἐμὰς ὀργὰς φέρειν Εἰκός γ'. *Brunckius* levi quidem, ſed vera, correctione recepit Εἰκός σ'. Idem longius repetit mutationem, quum v. 947. ita ex conjectura orationem conſtituit:

Σὺ δ' ἀλλὰ σὴν κέλευσον αἰτεῖσθαι πατρὸς
Γυναῖκα, παῖδας σοὺς ἀφιέναι φυγῆς·

In omnibus libris est —— παῖδας τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα. Brunckii ſenſum offendit haec dictio, quae intra breve ſpatium aliquoties occurrit. Ceterum, Seneca, qui in hujus Actus conſtitutione longe ab Euripide discedit, in ultima tamen ejus parte propius ad eum accedit, v. 843:

Huc gnatos voca,
Pretioſa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati, matris infauſtae genus,
Placate vobis munere & multa prece
Dominam & novercam: vadite & celeres domum
Referte greſſus, ultimo amplexu ut fruar.

 Pae-

Paedagogus redit cum pueris, nuntians herae, eos impetrasse quod petiissent: sponsam lubenti animo dona accepisse. Medea, instantis facinoris horrore perculsa, cum gemitu eum excipit: mox, caussam doloris dissimulans, eum cum pueris ad consueta pensa redire & domum ingredi jubet. Tum ipsa liberorum caedem reputans in diversas distrahitur partes: modo inimicorum vindicta eam ad scelus incitat, modo naturae affectus ab eo revocat: tandem ira & injuriae dolore victa, in pejorem decernit partem. Hic est ille nobilissimus locorum, saepius a philosophis in exemplum positus animi a se dissidentis & ratione cupiditateque secum pugnantis. Ovidius eum transtulit ad illud argumentum, quo Medea in Colchide Jasonis amore capta secum deliberat de fuga ex patria, ac vicissim deinceps amore & pietate ad contraria consilia impellitur, Metam. VII. Seneca, non satis habens in ipsa re & ingenio Medeae ad eam partem exornandam, Furiarum subsidium adhibuit. Neophron, propius ad Euripidem accedit. Egregia est hoc Actu Musgravii emendatio, v. 1022, ubi Paedagogus, Medeae gemitu perculsus, eam consolatur:

Paed. Θάρσει, κρατεῖς τοι καὶ σὺ πρὸς τέκνων ἔτι·
Med. Ἄλλους κατάξω πρόσθεν ἡ τάλαιν' ἐγώ·

Priorem versum, ex quo nulla ratione commodus sensus

ſenſus extorqueri poterat, eleganti veraque correctione ita ſanavit Musgravius:

Θάρσει· κατάξῃ καὶ σὺ πρὸς τέκνων ἔτι·

Hanc Brunckius justis laudibus celebrat, & in contextum recipit. Sed ut haec ingenii felicitate exſtitit animadverſio Musgravii, ita ex interiore Graecae linguae cognitione profecta est altera, qua v. 1062, χεῖρα δ' οὐ διαφθερῶ, in hanc ſententiam exponitur, *Non corrumpam dexteram meam miſericordia.* Brunckius commode adtulit fragmentum Neophronis, quod est in Stobaeo Gesn. p. 172. & Grot. p 107. emendatum, ut ait, a ſe ex codice ſcripto: quod quale ſit non capimus; nam vix una alteraque est levisſima varietas, quae a vulgata lectione disſentiat: nec, quis ille ſit ſcriptus liber, ſignificatur.

Dum Medea exitum fraudis, quam ſponſae paraverat, exſpectat, accurrit nuntius anhelanti *ſpiritu, fugere* eam hortans. Illa nil quidquam territa, contra gaudio exſultans, eum totam rem exponere jubet. Haec igitur fabulae pars narratione nuncii peragitur: cujus ſumma eo redit: ſponſam, donorum pulchritudine captam, ea continuo induisſe, & paulo post occulto veneno conſumtam flagrasſe: Creontem, ad filiae auxilium properantem eamque amplexatum, eodem incendio confectum esſe. Atque illae nunciorum narrationes, quamquam

 ſubinde

ſubinde a veriſimilitudine loci temporisque abhorrere videantur, ea tamen ſolertia eoque artificio ab Euripide compoſitae ſunt, ut res abſentes manifesta efficaceque oratione repraeſententur, & fere oculorum ſenſui ſubjiciantur. Medea, conſiliorum ſucceſſu laeta, jam ad liberorum caedem adgreditur, neque illa effuſo animo, ſed reluctanti: tamen ſtat ſententia: v. 1242:

> Ἄγ' ὦ τάλαινα χεὶρ ἐμὴ, λάβε ξίφος,
> —— —— ἀλλὰ τήνδε γε
> Λαθοῦ βραχεῖαν ἡμέραν παίδων σέθεν,
> Κἄπειτα θρήνει·

In quibus paucis verbis verior certiorque est ſignificatio affectus Medeae, quam in omnibus Senecae ampullis.

Verſus 1190, vel mendo vel difficultate loborat;

> Ἤδη δ' ἀνέλκων κῶλον ἔκπλεθρον δρόμου
> Ταχὺς βαδιστὴς τερμόνων ἀνθήπτετο·

Jamque tantum temporis praeterierat, quanto curſor ad calces ſtadii perveniat: haec est ſententia, quae ex his verbis extorqueatur, ſed qua ἔκπλεθρον omittatur. Musgravius, post Reiskium & Tyrwhittum, corrigit ἐκπλέθρου δρόμου: & pro ἀνέλκων malit ἀνεικὼς, ut ἀνιέναι κῶλον ſit *crus laxare,*

celeriter

celeriter currere. Priore correctione nil verius est: posterior non placet, quamquam nec vulgatum probamus. Porro secundo versu malit ἂν ἤπλετο: Brunckius, qui ex Musgravii crisi ἐκπλέθρου probat, edidit ἀνθήπλετ᾽ ἄν. Sensus igitur hic efficitur: *Et jam celer cursor, movens pedem, ad calces spatii sex jugerorum pertingeret.*

Versu 1230.

Κεῖνται δὲ νεκροὶ, παῖς τε καὶ γέρων πατὴρ,
Πέλας, ποθεινὴ δακρύοισι συμφορά·
Καί μοι τὸ μὲν σὸν ἐκποδὼν ἔστω λόγου·
Γνώσῃ γὰρ αὐτὴ ζημίας ἀποστροφήν:

Musgravius versu secundo pro δακρύοισι, primum δυσνοοῦσι, tum βασκάνοισι, reponere tentat. Nobis, cum Brunckio, neque illa correctio, neque vulgata lectio, placet: neque etiam reliquae mutationes nobis probantur, quas Brunckius ob eandem, ut videtur, caussam silentio praetermisit;

Καί μοι τὸ μὲν σὸν ἐκποδὼν ἔστω λόγου·
Δώσῃ γὰρ αὕτη ζημίας ἀποστροφή·

Medea postquam domum intrasset ad peragendam liberorum caedem, subsequitur cantus Chori, qui eam revocat a scelere, & subinde respondet ad clamorem, qui in scena exauditur, puerorum intereuntium. Tum Jason, qui praesens adfuerat ca-

lamitati sponsae & Creontis, ad Medeam properat: non tam ad eam puniendam, quam ad liberos servandos, ne ipsi cum matre caedis regiae supplicium luerent. Fores clausas necquicquam perfringere conantem Medea ex alto aedium mordaci acerbaque reprehensione excipit, liberos simul interfectos narrans. Hinc alternae exprobrationes & crimina. Jason, ad omnium rerum desperationem adductus, solus relinquitur. Medea, peracto dramate, alato curru aufugisse fingitur. Chori est exordium v. 1260:

Ἰὼ γᾶ τε, καὶ παμφαὴς
Ἀκτὶς ἀελίου, κατίδετ',
Ἴδετε τὰν ὀλομέναν
Γυναῖκα, πρὶν φοινίαν
Τέκνοις προσβαλεῖν χέρ' αὐτοκτόνον.

Ita locum constituit Musgravius, quem sequitur Brunckius: ante quatuor versibus continebatur: eratque — κατείδετ' εἴδετε, pro quo Reiskius malebat κατείργετ', εἴργετε. At Ennius, cujus versio extat in Fragmentis, receptam lectionem tueri videtur, quamvis multis partibus ab Euripidis oratione discrepet: sive exemplum habuerit libri tam diversum ab iis, quae hodie sunt: sive ingenio ipse suo obsecutus sit:

Juppiter, tuque adeo summe Sol,
Quei res omnes inspicis,
Queique tuo lumine
Mare, terram, ac coelum
Contines, inspice hoc facinus,
Priusquam fiat prohibe scelus.

Verſ. 1279.

Χαλεπὰ γὰρ βροτοῖς ὁμογενῆ μιάσμα-
τ' ἐπὶ γαῖαν αὐτοφόνταισι· ξυνοι-
δα θεόθεν πίτνοντ' ἐπὶ δόμοις ἄχη·

Musgravius haec ita constituit ex conjectura:

Χαλεπὰ γὰρ βροτοῖς ὁμογενῆ μιάσματ'
ἐπιτεῖναι αὐτοφόνταισι ξύνοι-
κα θεόθεν πιτνοῦντ' ἐπὶ δόμοις ἄχη·

Sententiam interpretatur: *Piacula enim dementiae potenter hominibus intendunt luctus, qui divinitus in homicidarum domos incidere solent & cum iis habitare.* Neque deterior est Brunckii ratio, qui primi verſus fine punctum ponit & ſententiam definit, ſecundo σύνῳδα ex libris, tertio πιτνοῦσ' ex conjectura recipit, ceterum vulgatam retinet. Veruntamen ita ſe rem habere putamus, ut neutra ratione locus ad ſanitatem restituatur, contra mendum adhuc ſubesſe videatur.

Fuit

Fuit igitur, quod post Musgravium egregiam Euripidi navaret operam Brunckius. Quorum in eodem genere, eadem animadversionis brevitate, eadem Graecae linguae scientia, aequali denique venustatis sensu, dissimilis tamen est via & ratio. Musgravii plures sunt locorum corruptorum emendationes: pauciores Brunckii. Ille in notis eas memorat, hic in contextum recipit. Ille frequentius doctrinae copias expromit: hic ad confirmandam correctionem satis habet, eam vel explicasse, vel cum simili Tragici loco contulisse. Ille tempore hanc operam confecit: hic paucis mensibus, &, haud dissimilis Reiskio, morae impatiens eodem editionis consilio cum tribus Tragicis Aristophanem quoque complexus est: suaeque in Comicum operae specimen brevi se proditurum pollicetur. Nam quod de multitudine vitiorum chalcographicorum ait Brunckius, emendationem Musgravii laudans, v. 1022. κατάξῃ, *tales correctiones Oxoniensibus operis duodecim circiter millium mendorum veniam impetrare:* hoc igitur duriu quam verius ab eo dictum videtur.

IV.

IV.

DE PALAESTRA NEAPOLITANA *Commentarius in Inscriptionem Athleticam, Neapoli A.* 1764. *detectam, &c. Accedit de Buthysiae Agone Puteolano Dissertatio. Neapoli A.* 1770. 4. *ex Typographia Donati Campi.*

Nulla temere gens est, quae majorem, quam Itali, de antiquitate bene merendi opportunitatem habeat, & studiosius constantiusque in hoc genere elaboret. Verum, quantum animus fructum capit ex monumentis antiquis, quae per illos in lucem proferuntur, tantum taedii & offensionis devorat legendis verbosis, jejunis, & temere corrasis explicationibus, quae his monumentis adjunguntur. Etenim illi, relictis fontibus, unde Sigonii, Manutii, Victorii, & similes seculo XVI fluxerunt, id est, neglectâ Veterum Scriptorum assidua lectione, rivulos, eosque turbidissimos, & multum sordium trahentes, consectari coeperunt. Saepius igitur ab illis testes citantur Rosinus, Knippingius, Pitiscus, quos nemó Batavorum, ne refellendi quidem caussa, nominare audeat, quam Cicero, Livius, Plinius; aut si forte horum quoque testimonia afferuntur,

tur, facile patet, alienâ fide laudari. In horum Antiquariorum numerum, tantum abest, ut Nicolaus Ignarra, V. C., de cujus libro sententiam dicimus, referendus sit, ut potius cum Fabretto, Maffeo, & Corsino, quibus elegantiores lapidum vetustorum interpretes vix tulit Italia, comparandus videatur.

Magistro usus est Alexio Symmacho Mazochio, viro doctissimo, cui librum inscripsit. Sed acrior in discipulo vis judicandi est, major etiam rerum delectus. Saepe ille quidem a re propositâ digreditur. Sed hanc evagationem tantâ eruditione compensat, ut longissimam quamque digressionem lectu dignissimam esse, fateare. Scribendi occasio ipsi nata est ex Inscriptione Athleticâ, quae multa singularia, nec aliunde cognita, complectitur, effossa Neapoli A. 1764. Hanc parte aliqua mutilatam mira sagacitate supplevit, & pererudito commentario illustravit. Initio consilium erat, nihil, nisi quod ad hujus Inscriptionis explicationem pertineret, in medium afferre. Sed mox patriarum rerum amore invitatus, omnia Neapolitanorum studia palaestrica, inde ab Augusto, usque ad Commodum complexus est, & per hanc occasionem multas antiquitatis partes e tenebris in lucem vocavit. Denique adjecit dissertationem de Buthysiae agone Puteolano. Inscriptionem, quam diximus, Flavio Archibio dedicavit ἡ Φιλοσέβαστος καὶ φιλορώμαιος Ἀλεξανδρέων περιπολιστικὴ εὐσεβὴς σύνοδος. Hic

Cl.

Cl. Ignarra p. 20. docet, Alexandrinos tam devotos fuisse numini majestatique Augusti, ejusque successorum, ut urbem suam de illorum nominibus appellarent. Quam in rem affert Stephan. Byz. v. Ἀλεξάνδρεια ἐκλήθη δὲ ἐπὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν Σεβάστη, καὶ Ἰουλία, καὶ Κλαυδία, καὶ Δομιτιανὴ, καὶ Ἀλεξευτηρία. In postremo nomine, quod manifeste vitiosum est, sic ingenium experitur: καὶ ἄλλ' ἐξ εὐετηρίας; hoc est, ipso interprete: *& alia nomina, pro temporum opportunitate.* Sed primum constructio ἄλλως, non ἄλλα, postulat: deinde εὐετηρία non *temporis opportunitatem*, sed *felicem annonae proventum* significat: vide Perizon. ad Aelian. V. H. II. 17. Alia igitur medicina depravato loco quaerenda. Tum forma non aliunde nota, περιπολιστικὴ σύνοδος, ut bene comparatur cum Latino *circumforaneus*, sic minus recte a περιπολέω ducitur. Non succurrebat viro doctissimo locus Phrynichi apud Pollucem VII. 203. Ὦ κάπραινα, καὶ περίπολις, καὶ δρομάς. ubi περίπολις est meretrix περιπολιστικὴ, *circum oppida vagans*, quam περίδρομον vocat Theognis v. 581. Nollem etiam huc trahi corruptam glossam Hesychii: Πολιστὴν Σικελίαν· ἀντὶ τοῦ, νῆσον. quam viri docti verissime sic correxerunt: Πόλιν· τὴν Σικελίαν· Mox p. 25. athletas περιπολιστικοὺς comparat cum νικηφόροις περιαγειρομένοις apud Platonem

tonem Polit. X. p. 521. nescio, an bene. Nam σύνοδος περιπολιστικὴ est, quam Galli dicunt, *une troupe ambulante*. At νικηφόροι περιαγειρόμενοι sunt victores ludorum, qui munuscula exigunt a spectatoribus; de quibus quae Ruhnkenius ad Timaei Lex. Platon. p. 153. disputat, non videtur legisse.

P. 32. in transitu sic corrigit Pausaniam VI. 13. ut pro Ἥρᾳ τῇ Λακεδαιμονίᾳ legat Ἥρᾳ τῇ Λακινίᾳ. Nihil verius.

P. 35. bene illustrat rarissimam vocem, quae in hoc marmore occurrit, παραδοξονίκης, eamque vindicat Plutarcho in Cimon. p. 521. Nec minus erudita est annotatio de formula laudandi hyperbolica, πρῶτος ἀνθρώπων, quae saepe in hoc lapide repetitur: quam cum recte cepisset, non debebat ad argutias delabi, & πρῶτον ἀνθρώπων explicare athletam, qui in primo pari decertarat.

P. 52. Docta est digressio de Inscriptione Panormitana, ubi jocularem prodit Inscriptionem, ex tabula aerea descriptam: ῬΩΜΗ ΚΕΦΑΛΗ ΚΑΘΑΡΟΥ. qua Graeculus Latinae linguae imperitus exprimere voluit Latinum: *Roma caput mundi.*

P. 55. Praeclare demonstrat, τὰ ἐν Ἡρακλείᾳ ἐπινίκια Τραϊάνου, quae in hoc marmore commemorantur, esse illos ipsos *quinquennales agonas*, *qui Trajani appellantur*, apud Plinium X. Ep. 79. post iselasticos factos a Trajano, apud eundem X. Ep.

119.

119. Ex qua animadversione, nescio, plusne lucis Plinius, an marmor vetus capiat. Verum quod in priore Plinii loco *Tianorum* pro *Theanorum* reponit, id dudum legitur in bonis Editionibus. Aliis quoque indiciis deprehendimus, nihil doctissimo Ignarrae tam defuisse, quam bonorum librorum copiam.

P. 62. docet, πενταετηρίδα & *quinquennalia* non semper quinque annorum spatium significare, sed interdum καταχρηστικῶς poni pro quovis sacro conventu, sive, quod idem est, vocabula πενταετηρὶς & πανήγυρις synonyma esse. Qua palmaria animadversione, nemini dubium sit, quin multae Chronologorum rixae componi possint.

P. 76. erudite disputat de sacro agone Ephesino, qui in lapidibus apud Gruterum Βαλβίλλεια; sed in hoc Neapolitano Βαρβίλλεια dicitur rectius, a Barbillo, Astrologo, cujus mentionem facit Dio *Cassius* L. LXVI. p. 1084.

P. 80. In marmore haec erat lacuna: Ἐχε ..... Ἄργους ἀσπίδα· quam Cl. Ignarra sagacissime explevit, hoc modo: Ἐχελίδας τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα· confirmans conjecturam ex Stephano Byz. v. Ἐχελίδαι.

Haec omnia ex commentario in Inscriptionem athleticam delibavimus. Sequitur p. 89. diatriba de Palaestra Neapolitana, ex qua longam adversus vanissimum nugatorem, Martorellium, disputatio-

 nem

nem ſubaltam vellemus. Melius enim est, abſurde dicta ridere, & contemnere, quam ſerio refellere.

P. 102. Longiuscula eſt disputatio de *Ephebeo*, cujus tectum V. C. in abſidem curvatum fuisſe putat, inductus loco minus intellecto 2. Maccab. IV. 12. Ἀσμένως γὰρ ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν γυμνάσιον καθίδρυσε, καὶ τοὺς κρατίστους τῶν ἐφήβων ὑποτάσσων, ὑπὸ πέτασον ἦγεν· quod interpres vulgatus ſic vertit: *Etenim auſus est ſub ipſâ arce gymnaſium conſtituere, & optimos quosque Ephebørum in lupanaribus ponere.* Hic vir doctus πέτασον accipit pro aedificio ad petaſi formam testudinato, creditque, eam vocem ab interprete vulgato, cum *fornicem* vertere debuisſet, *lupanar* verſam esſe, contumeliae causſâ. Sed haec ratio contorta est, & a vero aliena: πέτασος eſt, τὸ τῶν ἐφήβων φόρημα, ut recte explicat Heſychius, & ὑπὰ πέτασον ἄγειν ſignificat *ad certamina gymnica vocare.* Latini locutione non prorſus diſſimili dicunt, *ſervos ad pileum vocare*, pro excitare ad ea agenda, quae liberi homines agere ſolent, ſive ad libertatem vocare. Illud miror, nec Cl. Ignarram, nec quemquam alium vidisſe, verbum ὑποτάσσων in illo Maccabaeorum loco expungendum eſſe, tanquam variantem lectionem vocum ὑπὸ πέτασον.

P. 117. Varias vocis γυμνάσιον notiones exponit, in primis illam minus tritam, qua pro *balneo* dicitur.

P. 132.

P. 132. Ex occasione disserit de *favissis templorum*, easque in lapidibus antiquis *loca abdita*, & *loca obscura* dictas ostendit. Quae tam similia sunt iis, quae de his *favissis* ad Liv. V. 50. scripsit Drakenborchius, ut inde sumta putares. Sed illum plagii suspicione absolvit summa, de qua ante diximus, bonorum librorum inopia. Eodem modo an excusari possit Jacobus Rhoerius, illa ipsa de favissis tradens, Fer. Daventr. Cap. 2. p. 16. viderint alii.

P. 167. Profert marmor Graecum ex Ducis Nojae museo, in quo hoc distichon scriptum est:

ΣΗΜΑ ΦΙΛΕΙΝΩ
ΤΟΥΤΟ ΦΙΛΩ ΔΕΙ ΜΕΝ
ΘΕΡΑΠΟΝΤΙ.
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ ΓΑΣΗΣ
ΕΙΝΕΚΕΝ ΕΥΝΟΙΑΣ

Quod Cl. Ignarra minus feliciter sic distinguit:

Σῆμα Φιλείνῳ (τοῦτο φίλῳ δεῖ μὲν θεράποντι)
Ἱπποκράτης πάσης ἕινεκεν ἐυνοίας.

Scribendum:

Σῆμα Φιλείνῳ τοῦτο φίλῳ δεῖμεν θεράποντι
Ἱπποκράτης πάσης εἵνεκεν ἐυνοίας.

In-

Incertus Poëta Anthol. III. p. 300. Αὐτῷ καὶ τεκέεσσι γυναίκί τε τύμβον ἔδειμεν Ἀνδροτίων. Atque ita, his ſcriptis, correxisſe video virum elegantisſimum, V. M. Giovenazzium ad Livii Fragm. p. 44.

Nunc venimus ad locum hujus Diatribes maxime memorabilem, p. 182. ubi de Petronio Arbitro multa nova, nec ante cuiquam cognita, traduntur. Satis conſtat, Scriptorem Satyricôn, qui confiĉto ex Taciti Annalibus nomine T. Petronius Arbiter dicitur, à viris ſummis, fratribus Valeſiis, multo recentiorem, quam vulgo putetur, habitum esſe: cum quidem Henricus illum ad tempus Gallieni, Hadrianus ad Antoninorum, neuter ſatis certis argumentis, referret. Tandem exortus est Cl. Ignarra, qui idoneis, nec facile convellendis, rationibus, id quod tantum ſuspicatus erat Hadrianus Valeſius, demonſtraret, Satyricôn Scriptorem extremo Antoninorum tempore vixisſe. Disputationis ſumma haec est: Vix potest dubitari, quin Petronius in illa ipſâ urbe, in qua Trimalchionis coenam inſtruxit, hoc est, Neapoli, libros Satyricôn conſcripſerit, & Neapolitanorum in primis mores perſtrinxerit. Nec tantum multi Graecismi, ſed etiam idiotismi, quorum nonnulli adhuc plebis Neapolitanae ore frequentantur, illum in hac urbe vel natum, vel educatum arguunt. Jam temporis, quo vixit, indicium ipſe praebet

Cap.

Cap. 44. 57. 76. aliisque locis, Coloniam appellans Neapolim, colonicosque Magistratus commemorans. Quod facere nullo modo potuit, nisi sub extremis Commodi temporibus, quibus demum Neapolim coloniam factam esse, Cl. Ignarra p. 220. tam accurate demonstravit, ut nihil dubitationis superesse videatur. Denique Petronius Cap. 76. mentionem facit Mathematici, Serapionis. *Atqui hunc* sub Antonino Caracallâ vixisse, scimus ex Dione Cassio LXXVIII p. 1313. Mittimus alia, quibus vir doctissimus usus est, argumenta; quae singula & sola etsi non multum ponderis habent, *tamen in* unum collata Petronium ex optima aetate, in qua illum Burmanni aliorumque admiratio collocarat, ad hanc deteriorem facile detrudunt. Sed erunt fortasse, qui dicant, fieri non posse, ut Petronius, qui vulgo *Latina Siren*, si *Dis* placet, appellatur, aetate vixerit in barbariem inclinante. Est sane ejus oratio elegantissima: sed eadem multis maculis inquinata. Placetque nobis judicium eruditissimi Ignarrae, Petronium elegantiam habere ab assidua veterum lectione & imitatione; sordes a seculi Antoniniani contagione. Sic Lactantius, Scriptor disertissimus, elegantiam a Ciceronis studio traxit, barbarismos ex aetate, qua vixit, Constantini.

P. 192. erudite demonstrat, Pinacothecam, quam Petronius Cap. 83. commemorat, non esse diver-

ſam ab ea, quam Philoſtratus vidit, atque enarravit. Verum non ſequimur ejus opinionem, e quatuor Imaginum libris, quos Suidas a Philoſtrato ſcriptos tradit, duos intercidisſe. Omnes ſane Imagines ſuperſunt: ſed quae nunc in duo libros, olim in quatuor dividebantur. Vidimus Pariſiis in bibliothecâ regiâ Imaginum codicem Ms. in quo L. II. Cap. 11. notatur: Φιλοςράτυ εἰκόνων γ. & L. II. Cap. 27 Φιλοςράτυ εἰκόνων δ. Talis igitur codicis fidem Suidas ſecutus est

P. 230. Sequitur docta & copioſa Disſertatio de Buthyſiae agone Puteolano, qua multum lucis affunditur marmori Graeco apud Gruterum p. 1105. Nollemus tamen, vir eruditus p. 247. 264. ad ludibria originum orientalium delapſus esſet, imitatione magistri Mazochii, quem, conſtat, omnia Graeca & Latina ex Hebraïca linguâ repetiisſe, & his nugis Vosſii Etymologicon, quod nuper Neapoli recuſum est, referſisſe.

P. 243. non vulgari eruditione disputat de Numis Graeciae Italicae & Siculae, in quibus Achelous, ubertatis agrorum ſymbolum, ſignatus est.

P. 286. Per occaſionem profert Epigramma Graecum, marmori inſcriptum, quod ipſi *elegantisſimum*, nobis nec elegans, nec valde vetustum videtur:

Πατρίδος ἐκ Σμύρνης βροτοὶ μ' Εὐθάλεα καλέεσκον,
Εἵνεκ' ἐμῆς ὥρης, καὶ μεγέθυς ἐρατοῦ.

Ἀλλά

'Αλλά με μοῖρ' ὀλοὴ, πρὶν ἰούλοις πλῆσαι παρειὰς,
Ἥρπασε πὰρ φιλίων, οὓς τοκέας ἐκάλουν.

In quo cum Diphthongi οι in βροτοὶ, & αι in πλῆσαι ante consonantem corripiantur, hinc vitiosae prosodiae praesidium petit. Sed, quid hac de re in Angliâ & Belgio, patrum memoriâ, disputatum sit, vir egregius nescivisse videtur. In tertio autem versu nihil est, quod hanc opinionem confirmet, si levi mutatione scribas: πρὶν ἰούλοις πλῆσα παρειάς.

Ex his speciminibus, quantum bonae frugis Cl. *Ignarrae* libro insit, satis superque, arbitramur, intelligi posse.

V.

XENOPHONTIS HISTORIA GRAECA. *Recensuit, Animadversiones & Indicem adjecit Sam. Frid. Nathan. MORUS. Gr. & Lat. Lingu. Professor Lips. Accedit Leunclaviana Versio.* 8 *maj. Lipsiae. Sumtibus E. B. Schwickerti.* 1778.

Ex quo tempore Jo. Aug. Ernestus, vir egregius, Xenophonteos Memorabilium Socratis libros edidit, latius paulatim per Germaniam serpere coepit Graecae venustatis studium, ejus in primis quae a Socratico fonte manavit: neque defuerunt Lipsienses docti ex disciplina Ernestina, qui legentium studiis & magistri exemplo excitati operam suam in edendis compluribus Xenophonteis scriptis ponerent. Primum, Jo. Aug. Bachius uno volumine minores aliquot vulgavit libellos, Oeconomicum, Apologiam Socratis, Symposium, Hieronem, Agesilaum: docte, profecto, & eleganter. Quem virum nisi praematuri acerbitas fati abstulisset, haberet profecto Jurisprudentia, qui antiquos illos Cujacios & Gothofredos referret. Deinde, Car Aug. Thiemius universa Xenophontis opera quatuor voluminibus formae octavae ex Welsiano exemplo repetiit. Et invenit illa editio multos emtores: non quidem illa propter

propter aliquam criticam dotem, quae nulla fuit: ſed propter commendationem praefationis Erneſtinae, qua promittebatur quintum volumen, quo & indices & ſuperiorum Editorum aliorumque virorum doctorum animadverſiones, & omnino critica ſilva, continerentur. Qua ſpe qui ad librum emendum inducti ſunt, qui profecto multi ſunt, aegre ferunt fidem nondum liberatam: ſive culpa ea ſit librarii, ſive Editoris. Itaque partem illam ſi quis expleat, non quidem vanitate tituli, ſed ex re atque vero, is & magnam apud veteres emtores gratiam ineat, & editioni novos emtores conciliet. Sed eorum, qui postea ſingulos libros ederent, memorandus eſt Zeunius, de quo postea referetur, & is, de quo nunc dicere conſtituimus, S. Fr. N. Morus, vir accuratae doctrinae & ſingularis modestiae.

Et in adornanda hac editione tria ſibi propoſita fuiſſe, ait: primum, ut Historiae ſtudioſis intellectus rerum, temporum, locorum, causſarum, omnisque nexus, facilior redderetur: alterum, ut Critices ſtudioſis indoles textus Xenophontei & causſae lectionum dijudicandarum exponerentur, quantum quidem a ſe, codicibus deſtituto, fieri potuisſet: tertium, ut tironibus exhiberetur aliquid adminiculi ad dictionem Xenophontis ſubtilius intelligendam. Itaque triplex factum eſt Animadverſionum genus. Primum, quod quavis pagina ſubjectum eſt

Graecae orationi, ad constituendam lectionem pertinet: ad quod quidem explendum munus, libris caruit scriptis, sed prudenter diligenterque usus est editis. Huic deinceps infima paginae parte subditum est alterum genus Animadversionum, quibus res Historicae, Geographicae, & sententiae obscuritas, illustrantur: quo in genere locis, qui copiosius tractandi viderentur, qui numero fuerunt novem, peculiares disputationes seorsim datae sunt novem: prima est, de annis belli Peloponnesiaci numerandis: secunda, de decem praetoribus Atheniensibus, qui ad Arginusas pugnarunt: tertia, de Psephismate Canoni: quarta, de nomine *Dariaei*, regis Persarum, & genealogia tradita L. II, 1, 6: quinta, de Theramenis cognomine; *Cothurnus*: sexta, de Scriptore Anabaseos, seu librorum de Expeditione Cyri, utrum is fuerit Xenophon, an Themistogenes: septima, de Dercyllidae cognomine *Sisyphus*: octava, de Insulis *Sphagiis*: nona, de *Pallene* aut *Pellene*, Arcadiae aut Laconicae oppido. Tertium denique Animadversionum genus refertur ad Graecae dictionis vim explicandam, & continetur *Indice Graecitatis* ad calcem subjecto.

Jam vero laus Editoris censenda est mediocritate, diligentia, brevitate. Res obscurae haud paucae illustrantur, non quidem adhibitis interioris doctrinae copiis, sed tamen utiliter ex observatione rerum Geographicarum & Historicarum. In ver-

verborum autem corruptela sananda magis judicio & Grammatica ratione, quam ingenii felicitate valuit; ut, quamquam palmarias correctiones nullas protulerit, tamen levius adfectis locis levi saepius mutatione consuluerit. Denique animi moderatio ubique apparet; quippe raro ipse decernit statuitque, plerumque sententiam aliorum judicio relinquit: porro in aliis reprehendendis modestiam ac lenitatem sequitur, & in locis desperatis ignorantiam ipse suam ingenue profitetur. Atque ejusmodi fere crisis est Mori, non solum in hoc Xenophontis libro, sed in reliquis etiam, quas quidem vidimus, ab eo factis Veterum Auctorum editionibus. Sed universae huic descriptioni subjungamus indicia singularium locorum.

Initium operis Xenophon ab eo duxit loco, in quo Thucydides substiterat. Alcibiades exul, ab exercitu receptus, fractas Atheniensium opes instaurat, atque in Hellesponto compluribus praeliis navalibus Lacedaemonios vincit. Chalcedonem quoque oppugnat, I, 3, 3. ἀπετείχιζε τὴν Χαλκηδόνα παντὶ τῷ στρατοπέδῳ ἀπὸ θαλάττης ἐς θάλατταν, καὶ τοῦ ποταμοῦ ὅσον τ' ἦν, ξυλίνῳ τείχει. Lenissima correctione, quae nobis quoque in mentem venerat, sententiam constituit Morus, legendo ὅσον γ' ἦν.

Dum Byzantium obsidebant Athenienses, ib, 13, Clearchus Lacedaemoniorum praefectus ad Pharnabazum

bazum contendit, ftipendium petiturus militibus; καὶ ναῦς ξυλλέξων, αἳ ἦσαν ἐν τῷ Ἑλλησπόντῳ ἄλλαι, καταλελειμμέναι Φρουρίδες —— Morus quoque orationis difficultatem percepisſe videtur, qui eam interpretatione lenire voluit. Nos olim correximus — ἐν τῷ Ἑλλησπόντῳ πάλαι καταλελειμμέναι φρουρίδες.

Alcibiades cum victrice clasſe Athenas rediens faustis acclamationibus plebis excipitur, aliis aliter ejus & male facta excuſantibus, & bene facta laudantibus, 4, 6: hoc etiam dicebant, *ejus inimicis contingere* τοιούτοις δοκεῖν εἶναι, οἷοις περ πρότερον. Ita recte Morus edidit ex conjectura, in quam nos etiam aliquando incidimus, pro lectione omnium librorum τοιοῦτος & οἷος·

Reliqua pars hujus libri ſpecimen habet inſigne levis & ingrati Athenienſium animi. Alcibiades, parva accepta clade, imperio ſubmovetur, & in ejus locum decem ſufficiuntur duces. Hi, victis gravi praelio Lacedaemoniis ad Arginuſas, domum reduces, non praemiis & honoribus, ut meriti erant, afficiuntur, ſed capitis damnantur, quod naufragos ex praelio non ſuſtulisſent. Hic est locus ille nobilitatus Socratis conſtantia, qui, quo die praeſes fuit concionis, noluit populum in ſuffragia mittere. Sed plus valuit apud concitatam plebem calumnia malevolorum, quam vel Socratis conſtantia, vel amicorum defenſio. Ex his Euryptolemus

caus-

causſam dixit pro ducibus: cujus oratio, ut reliqua loci pars, multas ſuscepit corruptelas. Veluti, 7, 11: Οὐχ᾽ ἂν ὑμεῖς γέ μοι πείθοισθε, τὰ δίκαια καὶ ὅσια ποιοῦντες· Καὶ ὅθεν μάλιστ᾽ ἀληθῆ πεύσεσθε, καὶ οὐ μετανοήσαντες ὕστερον εὑρήσετε σφᾶς αὐτοὺς ἡμαρτηκότας ἐς τὰ μέγιστα θεούς τε καὶ ὑμᾶς αὐτούς· Morus, vitium ſubodoratus, corrigere tentavit transponendo: Ὅθεν καὶ — & ἡμαρτηκότας τὰ μέγιστα ἐς θεούς τε κ. ὑ. ἀ. Gravius ſubest mendum, quod nobis ita ſustuliſſe videmur, ut legeretur: —— ποιοῦντες· Καὶ οὐχ᾽ ὕστερον, ὅταν μάλιστα τ᾽ἀληθῆ πεύσεσθε, μετ᾽ εὑρ——· Simile mendum est infra, in eadem Euryptolemi oratione—: μεταμελήσει δὲ ὕστερον· ἀναμνήσθητε, ὡς ἀλγεινὸν καὶ ἀνωφελὲς ἤδη ἐστί· πρὸς δ᾽ ἔτι καὶ περὶ θανάτου ἀνθρώπους ἡμαρτηκότες· Recte judicavit Morus, corruptam eſſe orationem, ac duas memorat conjecturas, alteram Stephani, Leunclavii alteram: de quibus ipſe non ſtatuit. Nos aliquando ita locum conſtituimus: —— μεταμελήσει δὲ ὕστερον, ἂν μνησθῆτε, ὅτ᾽ ἀλγεινὸν ἤδη πρὸς δ᾽ ἔτι καὶ ἀνωφελές ἐστι, περὶ θανάτου ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ἡμαρτηκότες· i. e. *poenitebit vero postea, recordantes, quum nil proficietis dolendo, vos peccaſſe viro bono capite damnando.*

Liber II. converſionem Athenarum continet. Lyſander Athenienſium claſſem ad Aegoſpotamos funditus perdit: mox Athenas ipſas diuturna obſidione

ad

brone, deinde Dercyllida; &, re bene gesta, pacem cum regiis praefectis constituunt. In Europa bellum Eleis inferunt Lacedaemonii, & civium quorumdam conjurationem mature opprimunt. Deinde bellum contra Tissaphernem instaurant, &, duce Agesilao, feliciter gerunt. Interea Tithraustis, qui Tissapherni successerat, artibus, Thebani, Argivi, & Corinthii, arma contra Lacedaemonios capiunt. Locri, Thebanorum socii, Phocenses invadunt: quibus auxilio veniens Lysander ad Haliartum interficitur.

Dercyllidas persequens Pharnabazum & Tissaphernem, 2, 12, ipse quoque Maeandrum trajicit, πορευομένοι δὲ καὶ οὗτοι οὐδέν τι συντεταγμένῳ τῷ ϛρατεύματι — ἐξαίφνης ὁρῶσιν ἐκ τοῦ ἀντιπέρας σκοποὺς ἐπὶ τῶν μνημάτων Recte, post Palmerium, Morus σκοποὺς recepit, pro vulgato σκοποῦ. Sed initio vitium resedit, quod orationem impedit, nec tollitur sublato καὶ, quod Moro videtur. Neque οὗτοι de Dercyllidae copiis accipi commode potest. Nobis placet, πορευομένῳ δὲ αὐτοῦ. Similiter infra, 4, 13, Καὶ τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἀσφαλῶς διεπορεύετο· οὐ πόῤῥω δ᾽ ὄντος Δασκυλίου, προϊόντος αὐτοῦ, οἱ ἱππεῖς ἤλαυνον ἐπὶ λόφον τινὰ, ὡς προΐδοιεν τί τἄμπροσθεν εἴη· Ubi non cum Moro probem lectionem Steph. προϊόντες αὐτοῦ οἱ ἱππεῖς.

Agis

Agis rex, moriens fratrem reliquit Agesilaum & filium Leotychidem, qui de regno contenderant, 3, 2. Responsio Agesilai haec exstat: καὶ ὣς βασιλεύοι, ἐμὲ ἂν δέοι, ἔφη ὁ Ἀγησίλαος· Haec Morus acute ad sanitatem & sententiam redegit legendo: καὶ ὅς, βασιλεύειν οὖν ἐμὲ ἂν δέοι, ἔ. ὁ. Ἀγ· Ita enim Attici formulam, καὶ ὅς, in Dialogis frequentant. Mox corruptissima verba, quae sunt in alio dicto Agesilai ad Leotychidem, quo eum spurium esse significat, Ἀλλ' ὁπότε δ' ἂν ὡς μάλα σοὶ ψευδομένῳ κατεμήνυσεν: haec igitur corriguntur ex palmaria Valckenarii conjectura, proposita in Diatr. ad Eur. p. 291: Ἀλλ' ὁ Ποτειδᾶν ὡς μάλα σεῦ ψευδομένω κατεμάνυσεν: *sed Neptunus certo significavit, te mentiri.* Eamque correctionem ingenue laudat Morus, cum ait: *Huic tam felici conjecturae, quam a me ipso inventam vellem, plane adsentior.*

Conjurationem unus ex sociis ad Ephoros defert 3, 7: a quibus interrogatus, ἐν τίνι χρόνῳ ταῦτα μέλλει πράττεσθαι, dixit, ὅτι ἐπιδημεῖν οἱ παρηγγελμένοι εἴη· Cui responso minime convenit cum interrogatione. Morus quidem vulgarem vim verbi ἐπιδημεῖν tuetur, *in urbe manere, non peregre abire.* Nos ἐπιδημίων scriptum fuisse putamus, ita ut χρόνῳ subintelligatur, ac *festi* genus significetur.

De oppressa conjuratione, ejusque sociis punitis, inquit Xenophon, 3, 11. fin. καὶ οὗτοι μὲν διττῆς δίκης ἔτυχον. Praeferimus vulgatae lectioni διττῆς,

G con-

conjecturam Brodaei δὴ τῆς· Nos antea conjeceramus δὴ ταύτης· Vulgatam, quamquam a Moro defensam, minime probamus.

Agesilaus, in Asiam proficiscens, nuncios misit ad socias civitates, qui dicerent, ὅσους τε δέοι ἑκασταχόθεν πέμπεσθαι, καὶ ὅσους παρεῖναι· 4, 3. Non latuit Morum corruptela, quae est in posteriore ὅσους: pro quo, quaerit, an ὅταν sive ὅπου legendum sit. Nobis non dubium est, quin ὅπου verum sit.

Lysander, Agesilai legatus, in Asia magnam clientum turbam habebat: quod & aliorum ei invidiam conciliavit, & ipsi Agesilao displicuit, 4, 8: ὅτι μὲν οὖν ἔμεινε καὶ τὸν Ἀγησίλαον ταῦτα, ἐδήλωσεν ὕστερον. Pro ἔμεινε, quod, procul dubio, in mendo jacet, quae feruntur aliae lectiones, ἐλύπει, ἐμηνία, ἔμηνε, ex conjectura virorum doctorum profectae, nobis non satisfaciunt. Et Morus assensum cohibet. Videtur vel ἐκίνει vel ὑπηνία a Xenophonte scriptum fuisse. Mox recte Morus ejicit duas voces a mala invectas manu: §. 14. Περσῶν; & § 17. τὴν Ἔφεσον.

Thebani, territi Pausaniae adventu, 5, 14: πάλιν αὖ ἐν μεγάλῳ κινδύνῳ ἡγοῦντο εἶναι, καὶ πολλὴν ἔφασαν σιωπήν τε καὶ ταπεινότητα ἐν τῷ στρατεύματι εἶναι αὐτῶν. Non possumus facere, quin sententiam de hoc loco nostram expromamus. Videtur enim nobis Xenophon scripsisse: ——

καὶ

καὶ πολλὴ ἀφασία τε καὶ ταπεινότης· ἐν τῷ στρατεύματι ἦν αὐτῶν. Primum, nulla caussa est, quare hoc unum, tamquam ab aliis acceptum, referat Scriptor, cum alia omnia ex sua ipse persona narret. Deinde ἀφασία melius convenit huic loco; quam σιωπή. Hoc illius interpretamentum, margini adscriptum, temere in orationem invectum est. Postea fuit alius, qui ἀφασίαν in ἔφασαν mutaret. Atque ex hoc duplici fonte labes manasse videtur.

L. IV. Agesilaus, in Asia contra Persas rem prospere gerens, revocatur a Spartanis ad bellum, quod contra ipsos moverant Thebani cum Atheniensibus atque Corinthiis aliisque sociis, propulsandum. Redux hostes in Thessalia vincit. Sed eodem tempore Pisander, ejus ex sorore nepos, navali praelio funditur ad Cnidum, copiis Pharnabazi, ductu Cononis: qui, Athenas inde profectus, muros instaurat, & maris imperium patriae restituit. Interea progrediens Agesilaus socios fundit ad Coroneam. Corinthiorum pars cum Spartanis pacem meditatur; unde, illa urbe ab Argivis occupata, belli sedes circa eam constituitur. Varia fortuna pugnatur. Iphicratis etiam virtus inclaruit, qui Lacedaemoniorum Moram conficit, ab eorumque vi Corinthios defendit. Ceterum ex Asiae quoque urbibus expelluntur Laecedaemonii, opera Cononis: &, variis affecti cladibus navalibus, tandem Teleutia duce rem maritimam ex parte recuperant. Athe-

thenienses Thrasybulum, eoque interfecto, Iphicratem cum imperio ad Hellespontum mittunt: & multas urbes sibi cum subjiciunt, tum adjungunt.

Qui memorantur, 4, 9, οἱ περὶ Φιλοκράτη μισθοφόροι, semper nobis negotium fecerunt; ita enim ponitur Philocratis nomen tamquam satis notum, ut inde, qui fuerint illi mercenarii, significentur. Igitur haud abhorruimus ab ea opinione, ut putaremus, illum librariorum incuria ortum esse, vel ex Ἰφικράτη, cujus in hac expeditione celebratum est nomen: vel ex Πολύστρατον, quem bello Corinthio mercenariorum ducem fuisse constat ex Demosthene Phil. I, p. 17. A. & Harpocratione, V. Πολύστρατος.

L. V. Athenienses, rebus eorum in pejus ruentibus, cum quod receptis Aeginetis Teleutias Piraeum infestaret, tum quod eorum classis ad Abydum capta esset ab Antalcida Lacedaemoniorum duce: Athenienses igitur accipiunt pacis conditiones, quas Artoxerxes Rex, eodem Antalcida auctore, dudum proposuerat: eosque reliqui Graeci, exceptis Thebanis, sequuntur. Conditionum illud erat consilium, ut Persarum opibus Lacedaemoniorum potentia augeretur: summa haec erat, ut Graeci Asiatici sub Persarum cederent imperium, reliqui omnes libertati restituerentur, exceptis Lemno, Scyro, & Imbro, quae in Atheniensium ditione remanerent. Igitur Lacedaemonii denuo Graeciae dominatum as-

affectant, & cum alia imperiose faciunt, tum arcem Thebanam per insidias occupant. Hinc ejecti a Thebanis, bellum iis inferunt. His in auxilii societatem se adjungunt Athenienses, qui Lacedaemoniorum classem bis superant, primum Chabriae, deinde Timothei, ductu.

Pulsi a Derda & Lacedaemoniis Olynthii, muris se continuerunt, 3, 2, καὶ τῆς χώρας ὀλίγην γῆν παντελῶς εἰργάζοντο. Non est dubium, quin γῆν temere ortum sit ex proxime antecedente voce. In sententia haud dissimili fuit confusio in Cyropaed. III, 2, 19. notante nuperrimo Editore. Atque γῆ recte omittitur a Xenophonte, ib. 7. ἡ χώρα αὐτοῖς ὀρεινή τέ ἐστι, καὶ ὀλίγη ἡ τὰ χρήματα ἔχουσα.

Agesilaus, 4, 30, filio Archidamo precanti, ut Sphodriam crimine absolvat, respondet: *Ego vero numquam a civitate veniam ad ignoscendum impetrem*, ἄνδρα μὴ καταγιγνώσκων ἀδικεῖν, οἷς ἐχρηματίσατο ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως. Morus, repudiata Stephani & Leunclavii correctione ἐχρήσατο, locum interpretatione expedire conatur. Nos quidem arbitramur, pro οἷς legendum esse ὃς.

Ibid. 38. — ἐδῄου τῆς χώρας τὰ πρὸς ἑαυτοῦ τῶν σταυρωμάτων. Morus acute vidit, legendum esse — τὰ πρὸς ἔσω τ. σ. Quam verissimam lectionem, quamquam ipse invenerat comparatione sequentium § 49: tamen ejus inventae gloriam li-

beraliter concedit viro docto, qui eam antea proposuerat in Obs. Misc. Vol. III. p. 430.

Magna est Mori in judicando modestia. Veluti, 4, 40, certissimam Camerarii emendationem ita proponit, ut, quamquam eam probet, non tamen ei assentiri videatur: οἱ μέντοι τῶν Θηβαίων ἱππεῖς ἐῴκεσαν ὑποπεμπ<?>ωκόσι πυ ἐν μεσημβρίᾳ· Atqui legendum erat ὑποπεπωκόσι, *aliquantum ebriis*. Verbi vim docte declaravit, laudatus Moro, P. Leopardus Emend. IX, 23, qui & hoc loco corrigit ὑποπεπωκόσι, & alios locos profert, in quibus earum vocum fuit confusio. Quibus addatur Plato Lysid. p 114. D. ἀλλ' ἐδόκει ἡμῖν ὑποπεπωκότες ἐν τοῖς ἑρμαίοισι. Vulgo est ὑποπεπτωκότες.

L. VI. Tria sunt in primis memoratu digna. Bellum Atheniensium cum Lacedaemoniis de insula Corcyra, quod feliciter administratur a Timotheo & Iphicrate. Locus de Jasone, Thessaliae tyranno, ejus potentia & auctoritate apud Graecos, tum de successoribus ejus. Pax Atheniensium cum Lacedaemoniis: quam sequitur horum gravissima clades, qua Thebani eos ad Leuctram afficiunt; qui quidem agrum Laconicum invadunt, nequicquam Lacedaemonios adjuvantibus Atheniensibus, duce Iphicrate.

Xenophon, 2, 27. laudat Iphicratis consilium, qui expeditionis Corcyrensis socios sibi adjunxerat Callistratum, οὐ μάλα ἐπιτήδειον ὄντα, & Chabriam

μάλα

μάλα ϛρατηγὸν νομιζόμενον· Videtur nobis ϛρατηγικὸν fcriptum fuisse: id est, *peritum artis imperatoriae.* Pergit Xenophon. *Sive enim,* inquit, *prudentes eos existimavit; ipse prudenter egit, ejusmodi sibi socios adjungens:* εἴτε ἀντιπάλυς νομίζων, ούτω θρασέως μήτε καταῤῥαθυμῶν μήτε καταμελῶν φαίνεσθαι μηδὲν, μεγαλοφρονοῦντος ἐφ' ἑαυτῷ τοῦτό μοι δοκεῖ ἀνδρὸς εἶναι· Recte fuspicatus est Morus, locum esse corruptum. Quod vero putat, Xenophontem forte fcripsisse: — οὕτω θρασέως, ὡς μήτε —. in hoc vero ab eo dissentimus. Legimus: — οὕτως ἐθάρσει, ὡς μήτε —. Sensus est: *sive adversarios eos esse arbitratus, tantopere sibi confidit, numquam se ignaviter negligenterve aliquid administraturum; hoc vero jam ejus viri videatur, qui, conscientia virtutis fretus, adversarios non timeat.*

Trium, qui ab Atheniensibus Spartam missi erant, Legatorum orationes referuntur, ita ut uniuscujusque ingenium & mores ex ipsa orationis forma cognofcantur. Callias generis antiquitate ac divitiis inflatus, ceterum ineptus homo, declamationem tanquam ex rhetoris fchola adfert 3, 4. *Injustum est,* inquit, *& vos, qui a nobis fruges accepistis, nostros agros populari: & nos, qui eas vobis tradidimus, nolle, apud vos earum proventum esse largum.* Morus leuem quidem, fed labem tamen, ustulit, pro δίκαιον ἦ legendo δίκαιον εἴη·

In oratione Patroclis Phliasii ad Athenienses, 5, 38, haec sunt verba: συμφορώτερόν γε μέντ' ἂν ὑμῖν, αὐτοῖς βοηθήσετε, ἐν ᾧ ἔτι εἰσὶν οἱ σύμμαχοι ἄν. Ultimam verborum partem acute correxit Morus, legendo: — οἱ συμμαχοῖεν.

Liber VII, qui est ultimus, desinit in pugna Mantineensi. Nam Thebani rursus Peloponnesum ingrediuntur, sociisque Arcadibus, Argivis, & Eliensibus, Spartanos oppugnant: qui se contra eorum vim aegre tuentur Atheniensium aliorumque subsidiis. Postea Arcades, Elei, & Achaei, Thebanorum imperium pertaesi, iis relictis, ad Lacedaemonios & Athenienses se adjungunt. Igitur Thebani Epaminondam cum exercitu in Peloponnesum mittunt, qui repentino incursu Spartam tantum non capit. Hinc hostibus appropinquantibus obviam it, atque ad Mantineam, cum iis confligens, victor cadit.

Interfectores Euphronis, qui Sicyoniorum tyrannidem affectaverat, a magistratu suo capitis accusantur apud Thebanos, qui tum fere dominatum Peloponnesi obtinebant. Unus ex interfectoribus factum confitetur, juste se fecisse affirmans, & cum alia Euphronis tyrannice facta, tum hoc etiam referens, 3, 7: παραλαβὼν μὲν γὰρ τὰ ἱερὰ μετὰ καὶ χρυσῶν τούτων καὶ ἀργυρῶν ἀναθημάτων, κενὰ πάντων ἀπέδειξε. Morus τούτων delendum censet. Omnino stare nequit hoc loco,

Sed

Sed aliud quid subest. Nam, ut orationi sua restituatur sanitas, legendum: παραλαβὼν μὲν γὰρ τὰ ἱερὰ μετὰ καὶ χρυσῶν καὶ ἀργυρῶν ἀναθημάτων, κενὰ τούτων πάντων ἀπέδειξε·

Lycomedes Arcas, conciliata civibus suis Atheniensium societate, domum proficiscitur nave conducta, καὶ συνθέμενος τοίνυν ἀποβιβάσαι ὅποι αὐτὸς κελεύοι· Miramur, Morum non offendisse illud τοίνυν: cujus loco nobis quidem Xenophon scripsisse videtur, vel αὐτὸν, vel τοῖς ναύταις· Ceterum Lycomedes interficitur ab exulibus: κἀκεῖνος μὲν οὕτως ἀποθνήσκει· ἡ μέντοι συμμαχία οὕτως ἐπεραίνετο· Pro posteriore οὕτως alii libri habent ὄντως· Morus vulgatum tuetur. Nobis legendum videtur ὅμως, *tamen*. Haud raro particulas has confusas reperimus. Veluti Cyropaed. II, 3, 22. Plutarch. de Superstit. p. 171. A. οὐ γὰρ ἐν οὐρανῷ τι μεμπτὸν —— ἐνιδόντες, ὅμως ἀθεότητα τοῦ παντὸς κατέγνωσαν: ita legendum pro οὕτως.

Eodem capite recte vidit Morus §. 14, Ἀκρωρείων esse nomen proprium, quod perperam Interpretes pro *montanis* acceperant. Porro §. 38. leve mendum resedit in προσκαλοῖτο, pro quo legendum προκαλοῖτο·

De Epaminonda Spartam oppugnante dicitur, 5, 11: eum non in eos locos movisse exercitum, ὅπου γε μηδὲν πλείονες μαχεῖσθαι τῶν ὀλίγων πολλοὶ

ὄντες· Morus pro πλείονας probat Leunclavii correctionem πλέον· Sed ita μαχεῖσθαι prorsus otiosum est. Nobis corrigendum videtur: — μηδὲν πλέον ἔμελλον ἔχειν τῶν ὀλ· π· ὄντες·

Epaminondas ad Mantineam singulari prudentia instruit aciem, §. 5. Primum phalangis in modum eam extendit: tum eam in cunei formam redigit, atque ita praelium committit. Haec est loci sententia: quae quo minus appareat, obstant verba, παραγαγὼν τοὺς ἐπὶ κέρως πορευομένους λόχους εἰς μέτωπον: Igitur transponendum, παραγαγὼν ἐπὶ κέρως τοὺς εἰς μέτωπον πορευομένους λόχους·

Sed, quamquam utilem in primis operam in hoc libro navavit Morus, tamen praeter eos, quos memoravimus, multi sunt alii vel obscuri vel corrupti loci. Quibus quidem ut lux & sanitas restituatur, a Valckenario exspectamus novam libri editionem: cujus spem, ut diu aluimus, ita brevi expletum iri auguramur.

L. C.

L. C. VALCKENARII OBSERVATIO, *quae exstat in H. Venemae V. R. Comm. in Danielis C. I, v. 7-9. p. 40-42.*

At Plutarchus (sunt verba Venemae) in concordiam cum Appiano qua ratione redigi queat? equidem non perspicio: sed ejus auctoritas quare Appiano praeferatur, nulla est ratio. Phylarchi testimonium magis officeret, si casus, quem narrat, contingere non potuisset, antequam Ptolemaeus Epiphanes Laodicen in potestatem acceperit, & occiderit. Quod etsi cum Athenaei verbis recte consistere observavi, in verum tamen eorum conspectum, qui hypothesin nostram confirmat, penetrare non potui. Consului itaque Valckenarium nostrum, principibus in hoc studiorum genere Viris adnumerandum, qui, pro humanitate & amicitia sua, in haec verba, quae illum locum praeclara *perfundunt* luce, & propterea, bona viri amicissimi venia, in publicum profero, mihi respondit."

„ Phylarchi locus apud Athenaeum, XIII. p. 593. C. D. eo mihi notior erat, quod inde mendam dudum sustuleram. De Laodice si diversa traderet ab aliis, Phylarcho tamen auscultandum esse censerem; nam, quod, e quadraginta fragmentis ejus Historiarum apud Athenaeum aestimare licet, veri fuit studiosus, & multo, quam verborum delectus, diligentior;

tior; praeterea proximus abfuit ab his temporibus. Sed hac quidem in parte cum aliis conspirat; non nulla tamen tradidit, quae absque eo prorsus ignoraremus. Epicureae Leontii filiam, Danaën, quis tandem alius Veterum commemoravit? Ter ejus meminit Menagius, & hoc solo tamen loco nititur, in Hist. mulierum Philos. § 71. & in Laërtii X § 4. & 139. ubi levis notari poterit elegantissimi viri lapsus. Palmerium, in Exercit. p. 155. ubi perperam Danaën vocat uxorem Sophronii, qui Ephesum ad defectionem impulerat, Phylarchi locum haud sanequam intellexisse, minime miror, siquidem ipse Casaubonus in Animadv. p. 879. humani quid fuerit passus: nec enim Sophronis uxor fuit Laodice, neque Laodicae succuba Danaë, quod statuebat Casaub. Nunc respice mihi quaeso Phylarchea. Phylarchi Laodice eadem illa est, quae secundum Appianum in Syr. p. 130. D. maritum Antiochum τὸν θεὸν veneno sustulerat. Sophron, Epheso praefectus, ὁ ἐπὶ τῆς Ἐφέσου, olim amasiam habuerat Danaën, sed haec, Σώφρονος γεγονυῖα πρότερον ἐρωμένη, tum temporis erat a consiliis & acceptissima Laodicae, la Favorite, πάρεδρος (non certe succubam notat) τῆς Λαοδίκης, πιστευομένη ὑπ' αὐτῆς τὰ πάντα· Jam viam esse planam arbitror, & rem hoc modo digerendam. Quum scelus perpetrasset, sola Danaë conscia, Laodice, ut regni successionem in filium suum Seleucum derivaret, (legiti-

timus enim haeres erat filiolus Berenices) Artemonem quemdam, Antiocho facie & voce simillimum, in lectulo collocavit, qui, Antiochum aegrum mentitus, Laodicen & natos populo ad lectum admisso commendavit. Sceleris praemio potita Laodice, priusquam matris hortatu Berenicem cum filiolo Seleucus interfici curasset, & aliis forte, certe Sophroni, tum temporis in aula Syriaca versanti, Ephesi praefecto, struxit insidias; hac quidem re, nec mirum, cum sua Danaë non communicata. Sed decipi non poterat Danaë, quae, quid Laodice moliretur, cum e servulo intellexisset (παῤ ἀκολούθυ μαθοῦσα· sic corrigendum censeo pro παρακολυθοῦσα· quod sensu vacat in loco Phylarchi) amoris pristini memor, Sophroni, primum nutu, deinceps clarius indicavit, quid agitaret regina. Decepta Laodice, Sophron sequente nocte profugit Ephesum. Tum illa, ereptam sibi praedam indignata, dilectam ante Danaën de rupe jussit praecipitari. Haec jam jam praecipitanda, prima, ni fallor, Laodicae scelus publicavit. Sed Danaës verbis, quae scholam sapiunt Epicuri maternam, levis insidet menda, talis tamen, quae sententiam prorsus corrumpit. Pro ἐγὼ τὸν γενόμενον —— corrige, sodes, ἐγὼ τὸν οὐ γενόμενόν μοι ἄνδρα (Sophronem) σώσασα, τοιαύτην χάριτα παρὰ τοῦ δαιμονίυ λαμβάνω· Λαοδίκη δὲ, τὸν ἴδιον (Antiochum) ἀποκτείνασα, τηλικαύτης τιμῆς ἀξιοῦται. Syllaba praecedens τὸν voculam οὐ eliserat.

ferat. Ex uno Athenaeo viginti loca mihi sunt ad manum, in quibus etiamnum mendae latent, eodem fonte derivatae: vin' loca quaedam designem? Si vacat, inspice L. III. p. 102. E. IV. p. 130. A. V. p. 195. B. VI. p. 235. C. 265. D. IX. p. 400. D. XI. p. 489. F. XII. p. 521. C. D. XIII. p. 548. A. p. 558. B. 564. C. 594. F. 597. A. 609. C. XIV. p. 616. E. XV, p. 677. F. Quod si forsan hic illic in eadem mecum incideris cogitandi vestigia, Tuus ille consensus mihi iucundus erit veritatis index.

Ex eodem Vol. Nota, quae legitur p. 44.

„Et hic succurrit mihi Valckenaerius noster, cujus verba, ad historiam illustrandam egregia, haec sunt." Athenaeus, quem memorabas, vix dubito quin scripserit L. XIII. p. 593. A. de Ptolemaeo, praesidiariis Aegyptiacis Ephesi praefecto, υἱὸς ὢν νόθος τοῦ Φιλαδέλφου βασιλέως· (affinitas literarum vicinarum vocem νόθος expulit). Philadelphus enim praeter uxorem meretriculas aluit minimum octo, apud eundem Athen. XIII. p. 576. enumeratas, has inter amantissimam Blistichin, Clementi memoratam in Protrept. p. 42. lin. 31. in cujus honorem templum Ἀφροδίτης Βλιστίχης consecratum fuisse Alexandriae e Plutarcho didici T. II. p. 713. E. Liberi autem e tali concubitu

Re-

Regum ſuscepti raro memorantur. Ex gr. primi Ptolemaei Lagidae liberos nothos, filiam certe e meretrice natam Irenen, nuptam Eunosto Cyprio Regulo, ſolius cognoscimus Athenaei testimonio p. 576. E.

CALLIMACHI

Epigrammata duo emendata. (*).

I.

In Epigr. LXIII. pag. 328. ed. Ernest.

Ver. 2, pro corrupto illo *λευκάρεται μανῶν* legendum videtur *λευκαδιεροτομανῶν* — „ eorum qui dignam Leucade amoris insaniam, s. Leucadio saltu exstinguendam, insaniunt."

II.

Epigramma LXV. pag. seq. sic constituo:

Αἴνει, καὶ σὺ γὰρ ὧδε, Μενέκρατες, οὐκ ἐπὶ πυλὺ
Ἦσθα· τί σε, ξείνων λῷστε, κατειργάσατο;
Ἢ ῥα᾿ τὸ καὶ Κένταυρον; — Ὅ μοι πεπρωμένος ὕπνος
Ἦλθεν, ὁ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν·

V. I.

(*) De auctore harum emendationum nil nobis constat, nisi quod ipse significavit verbis huic scriptiunculae adjectis: *Callimachi Epigrammata duo emendata, Viris Erudit. & Cell. Bibliothecae Criticae Auctoribus D. Jo. Chr. Frid. Zeuelius, V. D. M. in pago Waddens, Ducat. Oldenburg.* Dignas eas judicavimus, quas cum harum literarum amantibus communicaremus. Utraque acuminis indicium habet. De prioris veritate non statuimus. De posteriore non videtur dubitandum. Ibi λῷστε pro ὧτε, in mentem quoque venerat E. H. Eldikio.

V. 1. pro ἔτι πουλὺς, cum sensus esse debeat; „Non diu fuisti nobiscum", lego οὐκ ἐπὶ πουλὺ, non οὐκέτι πουλύς· Etsi enim οὐκέτι saepius pro simplici negatione occurrere, & elegantem phrasin esse πολὺν εἶναι, non ignoro: hoc tamen eo sensu, qui hic requiri videtur, vix usurpari potuisse puto.

V. 2. tantummodo ὥστε mutavi in λᾶστε.

V. 3. in ἤρατο; verbum sane h. l. sicut aliud quoduis, quod grammatici verbum dicunt, propter ea quae praecedunt quaeque consequuntur, incommodum: tres particulae orationis mihi conflatae esse videntur: ἦ ῥα τὸ —— „ num idem te, quod Centaurum olim, necavit?" ἦ ῥα, ut interrogandi quaedam formula, occurrit apud ipsum Callimachum H. in Del. 114: Epigr. XIV, 1; XXXII, 3.

H RE

RELATIONES BREVIORES.

I. SOPHOCLIS *Electra*, & EURIPIDIS *Andromache: ex optimis exemplaribus emendatae. Argentorati. 8. min. Ex officina Jo. Henr. Heitz., Universitatis Typographi.* 1779. Quum Jo. Schweighaeuser., V. Cl., Graecae & Orient. Ling. in Universitate Argentoratensi Professor, discipulis Graecas Tragoedias interpretari constituisset, neque illorum numero suppeteret exemplorum copia; Brunckius, vir humanissimus effecit, ut duae duorum Tragicorum fabulae nitide & charta & typis ederentur. Praeterea ad Andromachen animadversiones adjecit. Nam Electram emendatiorem quidem, nullis vero auctam animadversionibus dedit; quod illas animadversiones majori Sophoclis editioni, in qua nunc occupatus est, reservaret. Ex observationibus ad Andromachen hae nobis commemorandae videntur. V. 23. legit ἄρσενα γόνον pro ἀ· χόρον: quod vulgato magis Euripideum putamus. V. 253 & 254, 850, 1259, ex codice Parisino meliores lectiones profert, quae Musgravii diligentiam fugerant. V. 593. acuta est conjectura, ἀβούλως δῶμαθ' ἑστίας λιπών· sed vulgatum ἄδουλα bonum est: sunt enim *aedes, in quibus non sunt servi*: vid. Ruhnk. ad Vell. Pat.

Pat. p. 131. laudatus a nobis Bibl. Crit. Vol. I. P. IV. p. 65. V. 874. σπουδῇ πρὸς ἡμᾶς δωμάτων πορεύεται corrigit: σ· π· ἡ βηματῶν π· V. 1118. pro ἐξέλκει malit ἐξέρπει· De omissione augmenti apud Atticos, quam recentiorum plerique negant, subtiliter disputat, ad v. 955. Sed ex his exemplis intelligitur, haud mediocrem commendationem huic libello accessisse. Neque opus est plura adferre, quippe supra in Medea peculiariter spectavimus Brunckii crisin.

II. SOPHOCLIS *Oedipus Tyrannus*, & EURIPIDIS *Orestes: ex optimis exemplaribus emendati: Argentorati. Ex off. Jo. Heitz., Univ. Typogr. 8. min.* 1779. Vix duo menses praeterlapsi erant post superioris libelli editionem, cum hic prodiret: qui quidem ex eodem consilio profectus & ad eandem rationem conformatus est. Igitur ob eandem caussam nullae ad Sophoclis fabulam adjectae sunt animadversiones. Sed ex iis, quae ad Orestem sunt, in primis excellunt, v. c. ea qua V. 329. Chorus feliciter constituitur. V. 426. acute corrigitur; ἀληθὴς δ' εἰς φίλους ἔφυν φίλος; pro ἀ· δ· ἐ· φ· ἔφυς κακός· V. 908. tautologia tollitur, pro λέγειν substituendo λέγοντ'· V. 1237. Docte simul ac modeste reprehenditur Racinius, qui *famuli* loco Pyladem Oresti addidit. V. 1251. reprehenduntur ii, qui statuunt, Tragicos a senarii paribus regionibus anapaestum constanter repudiasse. V.

 1302,

1302, tota Electrae oratio bene restituitur ex membranis. Atque sufficiunt hae animadversiones, speciminis loco: quamquam multo plures sunt, quibus huic fabulae profuit Brunckius.

III. AESCHYLI *Tragoediae*, *Prometheus*, *Persae*, & *Septem ad Thebas*. SOPHOCLIS *Antigone*. EURIPIDIS *Medea*: *ex optimis exemplaribus emendatae. Argentorati. Ex off. J. Heitz., Univ. Typogr.* 8. 1779. Hic quoque liber brevi eum, de quo diximus, subsecutus est; ut nemo facile sit, quin magnopere studium atque efficaciam Brunckii miretur. Sed de Medea supra exposuimus. Et Sophoclis fabula nullas habet animadversiones. Igitur ne quis putet, minus praestitum esse in Aeschylo; paucas observationes notasse sufficiat. Veluti Prometh. v. 389. pro κρατοῦντι ἕδρας ex libro scripto reponitur θακοῦντι ἕδρας. V. 420. vindicatur ἄνθος Ἀραβίας, pro ἔθνος Ἀραβίας. V. 438. Bona est observatio de Spiritu aspero; qui apud Antiquos vim habuit literae. V. 503. verum est judicium de Aeschyli editione Hagana, in ea, futili & taedioso commentario, praestantissimi libri molem auctam esse. Bene correctum est v. 772. θεμιτὸν pro ῥητόν: neque minus bene v. 1021. μεῖον pro μεῖζον. Jam ex his facile quis conjecturam faciat de ratione ac praestantia observationum; quae ad alteram Aeschyli fabulam adjectae sunt.

IV.

IV. EURIPIDIS *Tragoediae quatuor: Hecuba Phoenissae, Hippolytus, & Bacchae: ex optimis exemplaribus emendatae. Argentorati. 8. min. Ex off. J. Heitz., Univ. Typogr.* 1780. In Phoenissis & Hippolyto minus relictum erat Brunckii diligentiae, post egregiam Valckenarii operam: plus erat in Hecuba: plurimum in Bacchis, quae nondum peculiarem alicujus Editoris curam expertae erant. Ceterum de his & aliis Brunckianis Tragoediarum editionibus integrum nobis sit in posterum fusius disputare. Nunc de una Hecuba videamus, an forte nostrae animadversiones, quas hujus Bibliothecae Vol. I. P. IV. prodidimus, Brunckii crisi vel confirmatae vel reprehensae sint. Atque cognovimus, eum non habuisse nostrum libellum: sive quod eo tempore nondum ad eum delatus esset, sive quod ipse non curet, quid de opera ejus judicent Ephemeridum scriptores. Et vero, ut alia omittamus, nil dixit, de versu 799 & 807, in quibus nobis quidem vel plurimum vitii inesse videbatur: quin alterum adeo, in quo est comparatio pictoris, tamquam sanum adhibuit ad explicationem versus impediti, Hippol. 1089. Quod nos quidem simpliciter & in neutram partem dicimus; ut et a Brunckii reprehensione longe absimus, nec nostram ipsi mutemus sententiam: sed, cum ut aliorum dissensum ne videamur dissimulare, tum, ut qui haec legerint, eo liberius certiusque judicare possint.

Ceterum loci Euripidis, qui apud Stobaeum Serm. LXXXVIIII & XC, tamquam ex Hecuba desumti exstant, quibusque in ea fabula sedes fuisse nequit, opportune, indicio Stobaei scripti ex bibliotheca regia Parisiensi, ad Danaen, deperditam Tragoediam, referuntur.

V. APOLLONII RHODII *Argonautica: e scriptis octo veteribus libris, quorum plerique nondum collati fuerant, nunc primum emendate edidit Rich. Fr. Phil. Brunck, Regiae Inscriptionum & Humaniorum Litterarum Academiae socius. Argentorati. 8. apud socios bibliopolas Bauer. & Treuttel.* 1780. Multum quidem bonae frugis, idque brevi tempore, per Tragoediarum editiones praestitum est a Brunckio: plus etiam frugis, idque tempore breviore, per hanc Apollonii editionem. Multum ad eam ex codicibus scriptis subsidii, multum diligentiae & curae adhibitum est; ut facile quivis augurari possit, quantum a Brunckii doctrina perspicaciaque ornamenti Apollonio accesserit. Scholiastem noluit adjicere Editor; quod libri volumen facile tractatu esse vellet. Itaque, ut audivimus, quae ad Scholiastem emendandum subsidia librorum scriptorum habuit, ea Heynio tradidit: a quo vicissim lectiones accepit duorum codicum, Medicei & Guelferbytani. Et nos nunc quidem breviori hunc librum commemoramus relatione; quo citius, quoad ejus a nobis fieri potest, ad hominum notitiam perveniat.

niat. Proxima hujus Bibliothecae parte, peculiari de eo censura exponemus.

VI. Hac mentione Scholiastae Apollonii invitati, non possumus facere, quin cum harum literarum amantibus notitiam communicemus novae editionis *Apollodori*, ad quam illius Scholiastae subsidio utitur Heynius, vir egregius. Hujus editionis aliquot paginae, non sine chalcographica venustate expressae, ad nos delatae sunt. Animadversiones ad calcem subjicientur: quibus quidem multum lucis & medelae Apollodoro factum iri exspectamus, cum a praestanti doctrina viri & in primis fabularis historiae scientia, tum a libris scriptis iisque & multis & bonis.

VII. ΠΕΝΤΑΛΟΓΙΑ, *sive Tragoediarum Graecorum Delectus: cum adnotatione Jo. Burton. Editio altera. Cui observationes, Indicemque Graecum longe auctiorem & emendatiorem adjecit Thomas Burgess, A. B. 1. C. C. C. Tomi II.* 8. *Oxonii, E typograph. Clarendon.* 1779. Fabulae sunt, Sophoclis uterque Oedipus & Antigone, Euripidis Phoenissae, Aeschyli Septem ad Thebas. Editor, elegantis doctrinae juvenis, operam in his tragoediis navavit minime contemnendam. Primum, Observationes addidit paginarum 142, in quibus & conjecturae quaedam sunt, & indicia ingenii, doctrinae, & scientiae linguae Graecae, in primis ex Tragicorum lectione ductae. Reiskii quidem &

Abreſchii non vidit Animadverſiones: ceterum a librario acceptas ſuis interpoſuit notas viri docti, qui nomem ſuum latere maluit, acutas & ad ſententiae interpretationem utiles. Deinde Indicem Graecitatis multis partibus auxit, multumque attulit adjumenti ad intelligentiam orationis tragicae. Alium quoque libellum a ſe ſcriptum brevi edere conſtituit, cujus hunc poſuit titulum: *Auctarium Obſervationum in Sophoclem, ejusque Scholiastem: & in aliquot loca utriusque linguae Scriptorum, in primis Ariſtotelis & Propertii.*

VIII. Quo majorem percepimus voluptatem ex criſi Musgraviana, cujus ſpecimina & ipſi expoſuimus, & per has Tragoediarum editiones frequenter commemorari vidimus, eo nobis acerbior accidit Viri mors, de qua nunc demum ad nos allatum est. Nos vero quoties in Euripide verſabimur, toties Musgravii memoriam cum benivolentia & grato animo uſurpabimus. Et profecto tale opus reliquit, cui, quoad Graecis literis aliquid tribuetur, ſuus conſtabit honor. Non ille inglorius obiit,

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

IX. ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ, πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν. PLUTARCHI *Commentarius, Quomodo adoleſcens poetas audire debeat: Graece, & Latine ex interpretatione Xylandri. Secundis curis re-*

cen-

censitus, emendatus, & multis animadversionibus novis illustratus: opera Jo. Tob Krebsii, Illustris Moldani Rectoris. 8. maj. Lipsiae 1779. Novas libellorum Plutarcheorum editiones eo libentius commemoramus, quo magis ipsi eorum studio dediti sumus, quoque majorem lectio eorum vim habet ad mores ac doctrinam. Et in illarum editionum relationibus universa defungimur descriptione; quod eam huic consilio satisfacere judicamus, & quod peculiarem crisin in aliud tempus aliumque locum rejicimus. Jam hic, de quo agitur, liber, quum insignem habeat utilitatem ad institutionem puerilem, separatim aliquoties editus est. Nam, ut omittamus alios, Grotius eum cum Basilii M. de eodem argumento libello adjecerat Florilegio Poetarum. Atque cum ejusdem notis & versione & suis animadversionibus utrumque libellum Oxonii 1694. repetiit Jo. Potterus: cujus opera, quamvis jejuna, magni habita est ab hominibus imperitis, quorum oculos Archiepiscopi dignitas, qua postea condecoratus est Potterus, praestinxisset. Postea A. 1746. nova editione operae pretium fecit J. T. Krebsius, multumque adjumenti attulit legentibus ad ejus libri intelligentiam. Nam dicta Poetarum & aliorum Scriptorum, quae in primis in hoc libello sunt frequentia, ad suos plerumque Auctores suosque locos retulit. Praeterea rerum obscuritatem ex doctrina illustravit, & orationis

difficultatem ex consuetudine Plutarchea expedivit. Unam partem, sed eam primariam, levius tractaverat, quae cernitur in scripturae vitiis corrigendis: quippe nec scriptum librum adhibuerat, nec ingenium ad conjecturam converterat; unde factum est, ut haud raro in locis corruptis interpretatione abuteretur. Quamquam emendationem egregiam unam protulerat, qua, cap. 10. in fine, pro ἑκάςω verissime conjecit ἐκ λόγου. Ceterum ex his speciminibus augurabamur, a viro, qui aetatem in his literis consumeret, triginta annorum intervallo, per secundam editionem veteri accessionem factam esse insignem, cum illustrationis, tum correctionis corruptelarum. Sed, ut verum fateamur, eventus spem nostram destituit. Sed tamen, & novae animadversiones, & veterum correctiones accesserunt; ut eorum modus dimidio major factus sit, & habeant quoque plus adjumenti ad intelligentiam Auctoris.

X. PLUTARCHI *Instituta & excerpta Apophthegmata Laconica. Recensuit, animadversionibus illustravit, indiceque verborum Graecorum instruxit, Theophil. Erdmann. Gierig. Scholae Lennep. ad Rhen. Rector design.* 8. *Lipsiae.* 1779. Haud injucunda nobis accidit hujus libelli editio; ex qua Editorem cognovimus, de cujus ingenio doctrinaque & nunc bene judicare, & in posterum melius sperare possimus. Apophthegmata & Instituta Laconica, quam-

quamquam non sunt ab ipso Plutarcho conscripta, sed ab aliis consarcinata ex ejus scriptis, habent tamen lectionem utilem & accommodatam tironum ingeniis. Ceterum interpretationem postulabat eam, quae proficiscatur ab interiore scientia linguae Graecae, Historiae, & Antiquitatis; ut ostendatur, quae cujusque dicti sit vis ac sententia, quoque referatur; ne, quod saepius fieri videmus, ejus acumen lateat, & pro venusto frigidum potius habeatur. In Laconicis praeterea dictis ea est difficultas, ut, nisi Laconica Dialecto bene cognita, eorum non modo acumen percipi, sed ne sensus quidem intelligi possit. Instituta quidem Laconica non praecipuam aliquam, sed communem habent cum reliquis Antiquorum scriptis difficultatem, eam, quae a verborum corruptione existit: rerum quidem obscuritas multa habet ad explicandum subsidia in libris de eodem argumento, cum Veterum, tum recentiorum. Atque in hac interpretatione ita versatus est Editor, ut non solum tironibus, sed profectioribus quoque, utilem navaret operam. Nam, & doctrina apparet in rerum illustratione, & judicium usus que Linguae in constituenda lectione, & Latinae orationis bonitas haud vulgaris. In praefatione quidem abusus est opera: quum longa disputatione ostendere conaretur, duos hos libellos non esse a Plutarcho scriptos, & alteram tamen Apophthegmatum collectionem ipsi tribueret

tribueret Plutarcho. Quis enim hac aetate doctus homo dubitet, quin tres illi libelli postea demum ex Plutarchi libris compilati, ejusque nomine perperam inscripti sint.

XI. PLUTARCHUS περὶ δυσωπίας καὶ περὶ τύχης, *Graece & Latine, nunc primum separatim prodiit cum animadversionibus Reiskii, Salmasii & Xylandri. Varias lectiones duorum codd. MSS. Mosquensium & suas animadversiones adjecit, Christianus Fridericus Matthaei, Universitatis Caesareae Mosquensis Professor. Accedunt Plutarchi fragmenta quaedam. Impensis Chr. Rudigeri, Univ. Caes. Mosqu. Bibliopolae. Prostat etiam Lipsiae apud Jo. Frid. Junium, & Amstelodami apud viduam H. Merkus, Typis Univ. Mosqu.* 8. 1777. Et antea Matthaei V. Cl. doctrina laudata est a nobis, & nunc ex novis speciminibus cognita atque perspecta. Pergit enim eadem, qua coeperat, sedulitate Graecos subinde libellos vulgare, eosque exornatos varietate lectionis codicum Mosquensium. Veluti nunc ex duobus libris scriptis Operum Moralium Plutarchi haud parum bonae frugis protulit, vel ad veram lectionem confirmandam, vel ad falsam confutandam. Porro ipse doctrinam expromsit eam, qua, cum locos Auctorum & omnino Historiae ex fontibus, unde ducti essent, illustraret, tum orationis difficultatem ex scientia Graecae linguae expediret. Salmasii notae sunt eae, quas Reiskius jam in Animad-

ver-

versionibus ad Plutarchum ediderat. Fragmenta vero exstant in scripto Arsenii Violeto, quod est in bibliotheca Mosquensi: eaque desumta sunt ex libris Plutarchi partim reliquis, partim ex perditis.

XII. PLUTARCHI *Libellus de Superstitione. Et* DEMOSTHENIS *Oratio Funebris. — Graece & Latine; cum integris notis, Reiskii, Sallierii, Taylori, Wolfii, & Xylandri: denuo recensuit, varias lectiones trium codd. MSS. & suas animadversiones adjecit, Christ. Frid Matthaei, Lit. Hum. in Univ. Caes. Mosqu. Professor publicus ordinarius. 8. Typis Caes. Mosqu. Universitatis. Prostat Mosquae ap. Chr. Rudiger. Lipsiae, ap. J. Junium: Amstelodami, apud viduam H. Merkus.* 1778. Quod judicium modo tulimus, idem ferimus de hujus voluminis ea parte, qua Plutarchi liber continetur. Est vero liber de Superstitione, ut in primis commendatus ab argumenti gravitate & disputationis praestantia, ita, magis fere quam reliqui, scripturae vitiis depravatus. Nos quidem, qui ex plerisque corruptelis satis bene nos expediisse videmur, in una tamen haesimus: neque adhuc, vel ex conjectura, vel ex libris scriptis, medicinam expromere potuimus: neque nunc ex libris Mosquensibus quidquam sanitatis allatum reperimus. Locus exstat in ed. Matthaei §. 20. & in ed. Xylandri T. II. p. 170. B: quod eo consilio monemus, ut viros doctos ad

cum

eum emendandum invitemus. Ad calcem adjecta est versio Germanica disputationis Sallierii de hoc libro, prodita in Memoriis Academiae Inscriptionum Parisinae: quae disputatio parum habet adjumenti ad eluendas scriptionis labes. Ad Orationem Funebrem, quae perperam Demosthenis nomine fertur, edendam, & cum hoc Plutarchi libello conjungendam, magis casu, quam consilio, se delatum ait Editor. Ceterum ad ejus illustrationem & emendationem usus est copiis editionis Reiskianae & codice scripto Mosquensi.

XIII. *Arsenii* Violetum bibliothecae Mosquensis multo est plenius atque uberius quam exemplum Aldinum, quod unicum adhuc editum est. Quare haud temere illius edendi consilium cepit Matthaeus. Et vero etiam ab harum literarum amantibus magnam gratiam inibunt viri docti, qui aliorum hujus Violeti scriptorum codicum collationes cum Matthaeo communicaverint. Quod ut faciant ii, qui ejus rei copiam habent, bonarum literarum caussa vehementer rogamus.

XIV. *Christiani Frid. Matthaei, Univ. Caes. Mosqu. Professoris, & Gymnas. ejusd. Univ. Rectoris, Lectiones Mosquenses, Voll. I & II.* 8. *Lipsiae: sumtu E. R. Schwickerti.* 1779. Haud facile operam navare poterat utiliorem Antiquis literis Matthaeus, quam eam, de qua nunc dicimus. Haec ejusmodi est, ut ex bibliotheca Mosquensi, vel inediti libelli,

belli, vel editorum variae lectiones proferantur. Primo Volumine continentur, Jeannis Chrysostomi Homiliae: Specimen Catenae ineditae ad quatuor Evangelistas: Excerpta ex Anonymi libello medico: Excerpta ex Grammatica Georgii Lecapeni: Notitia codicis Columellae, & ad ejus lib. X. ex eodem variae lectiones: Variae lectiones ad Aratum: Variae lectiones ad Cleomedis lib. I. de meteoris. In secundo volumine haec sunt: Severiani Gabalensis Episcopi oratio de Theophaniis: Gregorii Thessalonicensis Dialogus, qui inscribitur Theophanes: Scholium Theodori Studitae: Fragmentum Gregorii Naz: Specimen Scholiorum in Psalmos: Interpretatio Symboli: Glossarium parvum in Epistolas Apostolorum: Variae lectiones ad Plutarchi libros de Placitis Philosophorum. Animadversionum farrago ad glossarium in Epistolas Apostolorum. Atque haec quamvis bona sunt & utilia, tamen ea, quorum spem facit Matthaeus, multo sunt majora atque uberiora. Quod ut intelligatur, ipsum referemus Indicem, quem primo Volumini praemisit Matthaeus: „Nomina Auctorum, quorum scripta in hoc libello ex codicibus MSS. emendabuntur: Aeschines Orator: Aeschylus: Alexander Trallianus: Aratus: Aristophanes: Aristoteles: Aristides rhetor: Athenaeus: Callimachus: Cleomedes: Demosthenes: Diogenes Laertius: Dionysius Periegeta: Euripides: Eustathii fabula: Galenus:

lenus: Poetae Gnomici: Gregorius Naz: Hermogenes: Hesiodus ejusque Scholiasta: Homerus, ejusque Scholiasta: Justinus Martyr: Libanii Orationes & Epistolae: Lycophron: Moschopulus: Nicander: Oppianus: Origenis Hexapla: Orphei Argonautica: Pausanias: Pindarus: Plutarchus: Sophocles: Strabo: Synesius: Test. Vet Graecum: Test. Nov. Lat. versionis vulgatae: Theocritus: Thomas Magister: Thucydides." Hoc igitur ut sedulo agat Matthaeus, & ut cum animi alacritate corporis ei suppetat firmitas, magnopere optamus.

XV. Catalogi codicum scriptorum bibliothecae Mosquensis, cujus primam partem dudum commemoravimus, adhuc partes reliquas, cupide quidem, sed frustra tamen, exspectavimus. Nunc audivimus, ejus editionem, quibuscumque tandem caussis, vel retardari vel impediri. Quo major est habenda gratia viro illustri, Sergio Gerasimidi a Domaschnew, S. Caes. Majestatis Camerario, & Academiae Petropol. Scient. Directori, cujus in bonas literas studio beneficium hoc debetur, ut Matthaeus doctorum hominum desideriis satisfacere & institutum opus breviore indice perficere possit: qui brevi Petropoli prodibit.

XVI. XENOPHONTIS *Opuscula Politica, Equestria, & Venatica: cum Arriani libello de Venatione; recensuit & explicavit Jo. Car. Zeunius. Prof. Gr. Litt. Viteb. 8. Lipsiae:* 1778. In eorum numero, qui

qui *edendis* Xenophonteis libris bene de literarum ſtudiis merentur, locus non est denegandus Zeunio. Nam, licet nondum ea in eo inest doctrinae perfectio, qua interpretis officium expleatur; multum tamen adjumenti attulit tironibus ad intelligentiam horum librorum, & ſpecimina prodidit haud obſcura, ex quibus bene de eo in posterum auguremur. Libri ſunt, de Republica Lacedaemoniorum, de Rep. Athenienſium, de Vectigalibus Athenienſium, de Re Equestri, de Magisterio Equitum, de Venatione; ut, cum Bachii editione, jam omnes minores Xenophontis libros duobus peculiaribus voluminibus habeamus. Atque haec praecipua cauſſa fuiſſe videtur, quare Zeunius hanc editionem ſusciperet. Nam & argumentum difficilius plerumque est, quam ut ingeniis tironum, quibus haec opera comparata est, accommodatum eſſe videatur: & corruptelae ſunt plures gravioresque, quam in reliquis Xenophonteis ſcriptis. Neque vero ad lectionis ſanitatem reſtituendam Editor habuit vel ſcriptos codices, vel ſubſidia ea, quae a doctrinae copia & ingenii exercitatione proficiscuntur. At editis libris diligenter uſus est, & haud raro impeditos locos Atticae conſuetudinis & Grammaticae rationis obſervatione expedivit. Ceterum in Politicis libellis facilior erat rerum explicatio; quod plures de eodem argumento Veteres Recentioresque vel prodidiſſent, vel data opera ſcripſiſſent. Difficilior erat

Rei Equestris & Venaticae illustratio, propter antiqui moris & verborum obscuritatem. Sed tamen Zeunius iis, quae habuit, subsidiis opportune usus est, veluti Lexicographis, Grammaticis, & similibus. Denique laudabili consilio Indicem Graecitatis adjecit.

XVII. ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ Κύρου παιδείας, βιβλία ὀκτω: *recensuit & explicavit Jo. Car. Zeunius, Prof. Gr. Litt. Vitteb.* 8. *Lipsiae.* 1780. Hujus libri editione aliquanto plus, quam superiorum, operae praestitum est. Et vero plura subsidia ad constituendam lectionem habuit Zeunius. Nam, praeter copias editionum superiorum omnium, in primis Hutchinsonianae, codicem scriptum ex bibliotheca Guelferbytana nactus est. Quem codicem, cum Zeunius ait, optimis lectionibus refertum esse, hoc ejusmodi est: ut plerumque cum lectionibus melioribus, quae sunt vel in margine Stephani notatae, vel in Philelphi versione expressae, vel in aliis libris proditae, consentiat, easque adeo sua confirmet auctoritate: non ut ipse, quod nos quidem cognoverimus, in locis desperatis, ubi reliqui libri nil adferunt subsidii, novam aliquam & certam praestet medicinam. Ceterum, hac variarum lectionum sylva diligenter usus est Editor; ut in earum judicio & locorum difficilium explicatione sequeretur Grammaticam subtilitatem, adhiberetque scientiam Atticae dictionis & consuetudinis Xenophonteae

teae. Neque in rerum illustratione inutilem posuit operam: cujus ea nobis pars in primis placuit, qua Socraticae disciplinae vestigia notantur, praeceptaque ipsa memorantur, quae in aliis Xenophonteis libris sub Socratis persona traduntur, in hoc ad Cyrum accommodantur. Alia porro ratione tironum ingeniis consultum est, ut capitibus argumenta praefigerentur, & verborum significationes in Indice Graecitatis exponerentur. Sed, quandoquidem de laudibus libri diximus, dicamus etiam de vitiis ejus, seu, certe, de iis, quae nobis in eo displicent. Primum, in variarum lectionum commemoratione ac judicio diligentia quidem est, sed obscura illa & nimis verbosa, quae & legentibus taedium adferat, & libri molem praeter modum augeat. Deinde, correctiones ex ingenio doctrinaque insigniores nullas expromtas esse, etsi in vitio non ponimus, tamen in laude ponere non possumus. Porro vulgatae, quamvis corruptae, tenacior est Editor; ut multas easque felices Mureti conjecturas repudiaret. Idem, contra, lectiones codicis Guelferbytani, modo non sint manifesto falsae, lubenter in orationem recipit. Ceterum, ne quis nostram reprehensionem perverse accipiat, affirmamus, multum hanc editionem utilitatis habere, & profectioribus ad reminiscendum, & tironibus ad cognoscendam Atticae dictionis & Xenophonteae constructionis proprietatem.

XVIII. CHRISTOPH. SAXI. *Onomasticon Literarium; five, Nomenclator Historico-Criticus, praestantisſimorum omnis aetatis, populi, artiumque formulae Scriptorum, item monumentorum maxime illuſtrium: ab orbe condito usque ad ſeculi quod vivimus tempora digestus, & veriſimilibus quantum fieri potuit annorum notis accommodatus. 8. pagg. 660. Pars Tertia. Trajecti ad Rhenum* 1780. Quum libri hujus ratio & praeſtantia dudum ad hominum notitiam celebrata ſit; ſatis est verbo a nobis commemorari editionem Tertiae Partis. Haec pertinet ab initio Sec. XVI. usque ad Seculi XVII, annum quintum & octogeſimum.

XIX. JO. CHRISTIANI BIEL. *Past. quond. ad D. Ulric & Joann. Brunsvic. Novus Theſaurus Philologicus: ſive, Lexicon in LXX & alios Interpretes & Scriptores Apocryphos Veteris Teſtamenti. Ex B. Auctoris Mſcto edidit E. H. Mutzenbecher, V. D. M. Eccl. Luth. Haganae. 8. Hagae Comitum Sumtibus J. A. Bouvink. P. II. Z—O.* 1779. *P. III.* Π. — Ω. 1780. De argumento & ratione libri ſuperiore Parte nostram diximus ſententiam, quam nunc quoque tenemus. Hoc unum adjungimus: Editorem, depoſito Hagano munere, Amſtelodamenſe munus ſuscepiſſe. Quod quidem hujus urbis incolae magnopere laetantur, propter dotes viri haud vulgares, cum animi ac morum, tum facundiae atque elegantis accurataeque doctrinae.

XX.

XX. *Collectio nova Classicorum Romae antiquae Scriptorum: Tomus Primus, quo continentur CORNELII NEPOTIS Vitae excellentium Imperatorum, cum notis selectissimis: Curat. J. S. Ith. Bibliothecae Reip. Praefectus. 8. Bernae atque Lausannae: ap. Societatem typographicam.* 1779. Haud exiguam liber commendationem habet a chalcographica arte, majorem etiam ab Editoris consilio & ratione. Consilium in primis est laudandum, quod spectat ad Antiquarum Literarum studium augendum ac frequentandum. Ratio vero ejusmodi est, ut ex animadversionum delectu judicium & doctrina Editoris appareat.

XXI. *Decretum Lacedaemoniorum contra Timotheum Milesium: e Codd: Mst. Oxoniensibus, cum commentario: 8. pagg. 54. Oxonii 1777.* Decretum illud, quo Lacedaemonii in Timotheum, propter innovatos Musicae modos, animadverterunt; exstat in Boëthii libro de Musica; & passim a viris doctis proditum est. Libelli hujus auctor, cujus nomen ignoramus, operae pretium judicavit, Decretum illud peculiari editione frequentare. Jam licet vel ex codicibus scriptis, vel ex sua ipse doctrina, nil magnopere novae lucis attulit, tamen & diligentiam nobis suam & rerum linguaeque scientiam probavit.

XXII. SEX. AURELII PROPERTII *Elegiarum libri IV, cum Commentario perpetuo Petri Burmanni*

Secundi, & multis doctorum notis ineditis. Opus Burmanni morte interruptum Laurentius Santenius J. C. absolvit. 4. *pagg.* 990. *Trajecti ad Rhenum, ap. Barth. Wild.* 1780. Libri bona peculiariter explicabimus proxima hujus Bibliothecae parte. Nunc noluimus committere, quin eum, verbo quidem, tamen commemoraremus; quo magis bonarum literarum interest, ut primo quoque tempore ad hominum notitiam perveniat.

BIBLIOTHECA

CRITICA.

VOL. II. PARS II.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXXI.

BIBLIOTHECAE CRITICAE

PARS SEXTA.

I.

SEX. AURELII PROPERTII *Elegiarum Libri IV. Cum commentario perpetuo* PETRI BURMANNI SECUNDI, & *multis doctorum notis ineditis. Opus Burmanni morte interruptum* LAURENTIUS SANTENIUS, I. C. *absolvit. Trajecti ad Rhenum, apud Barth. Wild.* 1780. 4.

Quum ante hos tres annos de obitu Petri Burmanni Secundi referremus, optabamus, atque adeo sperabamus, fore, ut editio Propertii, quam affectam reliquerat, ne in imperitas incideret manus, sed conficeretur a viro in his literis exercitato. Haud vana fuerunt vota nostra, haud irritae spes. Venit opus, quasi orbum parente, in tutelam Laurentii Santenii, eleganti ingenio doctrinaque viri, ac disciplinae Burmannianae alumni: qui illud bene in-

inſtitutum & liberali cultu vestitum ornatumque in hominum oculos educeret. Cui quidem eo major habenda est gratia, quod non tam ſpe laudis quam pietate erga magiſtrum hanc ſuſcepit operam: quae profecto ejuſmodi erat, ut patientiam laboremque improbum in colligendis conſtituendisque ſchedis Burmannianis exigeret, voluptati vero in proferendis propriis ingenii ſpeciminibus locum praeberet exiguum. Tres enim erant hujus operae partes: prima, conſcribendae praefationis: ſecunda, illuſtrandae ultimae Elegiae, quam intactam reliquerat Burmannus: tertia, eaque longe maxima moleſtisſimaque, conquirendae digerendaeque partis reliquae commentarii Burmanniani, quae typis nondum erat deſcripta. Enimvero Santenius tres illas partes ita explevit, ut non tantum ultimam Burmanni manum deſiderari ne pateretur, ſed etiam ſua ipſe doctrina elegantiaque haud vulgarem commendationem huic operi adjungeret.

Primum igitur praefatione docte ac prudenter ſcripta exponitur de ſubſidiis, quae ad hanc editionem adhibita ſunt: quorum recenſio non parum difficultatis Editori praebuit, quod ea ipſe Burmannus non peculiari quodam indice deſcripſerat, cum tamen et multa et varia esſent. Nam, praeter collationes codicum regiorum Pariſienſium, Colbertinorum, Borrichiani, ex quibus post Broukhuſium nova haud pauca protulit: praeter has igitur, lectio-

nes

nes habuit codicum, duorum Leidensium, quatuor Vossianorum; duorum Dorvillianorum, duorum quos ipse possidebat, tum Askeviani & Groningani, cum specimine Harlejani. Huc accesserunt opes Heinsianae, quae potissimum continebantur duobus exemplis editis, quibus N. Heinsius multorum scriptorum librorum lectiones adnotaverat. Alterum erat exemplum editionis Gryphianae, quod habebat collationem Angeli Colotii, & quinque codicum Vaticanorum, uniusque Neapolitani: alterum Aldinae secundae, emendatum a J. Perrejo ad aliquot vetustorum codicum scripturam. Sed de his aliisque scriptis editisque exemplis Propertii, quibus usus est Burmannus, nobis quidem haec retulisse sufficiat: qui plura de illorum fontibus & auctoritate cognoscere cupit, ipsam adeat praefationem Santenii. Ceterum ad constituendam lectionem accesserunt alia quaedam adjumenta, ex veteribus Criticis atque Grammaticis petita, qui Propertii locos exscriptos in suos transtulerunt commentarios: in quibus fuerunt, quos primus ad partes vocaret Burmannus, veluti Nestoris Vocabularium, Alberti de Eyb Margarita poëtica, Mirandulae Viridarium, Latini Latinii variae lectiones. Porro magna huic editioni laus ac praestantia accessit ab observationibus & conjecturis virorum doctorum, vel uberius quam antea editis, vel nunc primum editis: in quibus

in primis sunt Tib. Hemsterhusii, ex epistola ad Vlamingium scripta: & Jer. Marklandi, adnotatae ad editum exemplum, quod ex Britannia misit Burmanno Dorvillius filius. Alii quoque fuerunt docti viri, qui sua de Propertianis locis observata vel per epistolas, vel per colloquia, cum Burmanno communicarent, veluti Ruhnkenius, Schraderus, Cannegieterus, Eldikius, ipse Santenius, & alii.

Sed his copiis quomodo usus sit Burmannus, videamus. Primum in variis lectionibus librorum recensendis eam Criticorum religionem secutus est, ut omnino omnes commemoraret, ne iis quidem exceptis, quae manifesto falsae absurdaeve essent; quod judicaret, in iis quoque verae scripturae semina latere posse. Eadem diligentia adhibita est enumerandis superiorum Editorum & aliorum doctorum emendationibus atque observationibus, quae non quidem integrae exhibentur, sed tamen suo quaeque loco commemorantur. Porro crisis additur lectionibus & emendationibus, qua expenduntur vel ad consuetudinem poëticam, vel ad alias rationes. Atque hac occasione subinde expromitur interpretatio, qua Burmannus ita usus est, non ut ad eam tamquam propositum finem omnia referret, sed ut advocaret eam, si quando videretur opus, tamquam instrumentum constituendae lectionis. Tum loci similes aliorum poëtarum, qui in eodem argumento versati sunt, adferuntur, neque tantum Veterum, sed recentiorum

rum quoque ac novisſimorum, qui Propertium imitati ſunt. Neque omnino neglectus est ille fons, qui poſitus est in comparandis locis veterum Scriptorum Graecorum, quos Propertius imitando expresſit. Immo ſtudioſe Burmannus aliorum interpretum in hoc genere obſervationes collegit: & ipſe adeo ex veteribus poëtis, Theocrito, Callimacho, Epigrammaticis, conquiſivit locos, quorum in haud paucis veſtigia imitationis appareant. Quod ſi igitur reputemus, in lectione Propertii tantam esſe diverſitatem, ut vix unus reperiatur verſus, quin vel librorum ſcriptura, vel doctorum conjectura, in contrarias distrahatur partes; quod ſi porro reputemus, omnem hanc varietatem a Burmanno diligenter esſe enumeratam, & reliquas etiam, quascumque ad Propertium congesſerat, copias largiter effuſas esſe; haud ſane miremur, librum ad mille circiter paginarum volumen excrevisſe. Poterat quidem haec moles judicio ac delectu cum ad brevius ſpatium redigi, tum ad majorem perſpicuitatem & legentium voluptatem componi. Sed nos non reprehendimus copiam, cum habeat novarum rerum commendationem: potius Burmanni liberalitatem grato animo interpretamur. Atque ut intelligatur, quantum Propertio hac editione novae lucis ac medelae impertitum ſit, ab hac univerſa deſcriptione ad peculiarium ſpeciminum commemorationem deſcendamus.

LIB. I.

I, 33, 34.

In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore desit amor.

Burmannus ad hunc locum adfert dictum Posidippi ex Anthol. VII, 122:

Λήγω δ' οὔποτ' ἔρωτος· ἀεὶ δέ μοι ἐξ Ἀφροδίτης
Ἄλγος ὁ μὴ κρίνων κοινὸν ἄγοντι πόθος.

Sed in secundo versu sensus, qui nullus est, ita refingatur:

Ἄλγος· ὁ μὴ κραίνει καινὸς ἀλόντι πόθος.

II, 3-5.

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato prodere cultu?

In hac lectione quamquam nil magnopere desiderari queat, Burmannus tamen non acquievit, sed maluit *medicato*, vel *mercato perdere vultu*: porro de utraque dicendi forma fusius disputat, allatis similibus Scriptorum locis. Hoc speciminis caussa notamus, ut intelligatur ista ratione notas longiores factas esse.

V, 15.

V, 15.

Et tremulus maeſtis *orietur fletibus horror.*

Frigent ſine dubio *maeſti fletus*: neque habet vim hoc attributum, quum *fletus* non niſi maeſti esſe queant. Placet igitur Burmanni ratio, corrigentis *mixtis*, idque more ſuo docte ac fuſe confirmantis.

Ib. 17.

Et quaecunque voles, *fugient tibi verba querenti.*

Levi ſed verisſima correctione Santenius reſtituit ſententiam, pro *voles* legendo *volet*; ut dixerit Propertius, *Gallum querentem omnia dicturum ac promisſurum, quaecumque voluerit Cynthia.* Recte explicatur *fugient tibi verba*, per *cadent tibi verba*, *eloquêris*, ex notisſimo illo Homerico, quod et alibi eſt, et Il. Δ, 350, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

VIII, 7.

Tu pedibus teneris poſitas fulcire *pruinas?*
Tu potes inſolitas, Cynthia, ferre nives?

Adjecta est obſervatio Tib. Hemſterhuſii, qui *fulcire* accipit pro *calcare*, nititurque Graecorum conſuetudine, qui ἐρείδειν tali ſenſu dicunt. Alii conjecerant *ſulcare*. Burmannus, post longam disputationem, duas ipſe proponit correctiones minime ab-

surdas, *superare*, vel *super ire*: atque utriusque usum confirmat exemplis.

Ib. 15.

Et me defixum vacua patiaris arena
Crudelem infesta saepe *vocare manu*.

Burmannus, cui *saepe* displicet, malit *saeva*, vocandi casu. Nos hac in particula non offendimur. Pro *infesta* Livinejus malebat *infecta*, recte quidem ille, nisi male exposuisset *sanguinaria*. Hoc quum ipse retulerit Burmannus, miramur, eum non incidisse in eam rationem, quae nobis placet, ut *infecta* legatur, & active pro *irrita* accipiatur. Ita Graecis, quos perpetuo sequitur Propertius, ἄπρακτος dicitur is, *qui nihil efficit*.

IX, 7.

Me dolor & lacrimae merito *fecere peritum*.

Licet *merito* hac sententia & constructione Propertio usitatum sit, tamen hoc loco frigere videtur Burmanno, qui malit *veri*, quia se vatem profitetur Propertius. Hic multis exemplis probatur, *verus* frequenter de vatibus dici. Nobis correctio magis acuta quam necessaria videtur. Et haud scio an color ductus sit ex Euripidis dicto apud Plutarchum, T. II. p. 90. A. αἱ τύχαι δέ με — σοφὸν ἔθηκαν.

Ib.

Ib. 23.

Nullus amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.

Dissentiunt in hoc loco explicando interpretes, quorum sententias postquam retulisset Burmannus, in eam discedit partem, ut *presserit* accipiat de *amante*, vel pro *manu* substituat *mora*. Nos nil mutamus, sed locum ita interpretamur: *nullus amor cuiquam amanti tam faciles praebuit alas, eumque ita libere volare passus est, ut non ei alas modo hac, modo illa manu comprimeret*. Amatori alas tribui notissimum est, & post auctorem Platonem Phaedr. p. 344, a multis frequentatum. Jam ipsa imago dulcissima est, ductaque a puerorum lusu, qui avem filo constrictam evolare sinunt altera manu, & vicissim retrahunt altera. Talis est ille μηλολόνθης, seu scarabaei lusus apud Polluc. IX, 124. Ad quem lusum respexit Aristophanes Nub. 759, & Herodes in Hemiamb. ap. Stob. LXXVI. p. 453, cujus verba emendatiora dedit H. Grotius Dict. Poët. p. 333.

XVII, 1.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas adloquor Alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam est,
Omniaque ingrato litore vota cadunt.

Longum est referre quot correctionibus illud *solita* a viris doctis tentatum sit. N. Heinsius conjiciebat, *Nec mihi Cassiope e solio visura carinam est*, vel, *solitam visura carinam est*, alii aliter. Burmannus tandem ita, ut ait, post tot virorum eruditissimorum aestus, locum restituendum judicavit, *Nec mihi Cassiopen solito visura carina est.* Nos virorum doctorum inventis nil derogamus; neque tamen nos poenitet nostrae observationis, qua legendum conjecimus, *Nec mihi Cassiope solidam visura carinam est.* Sed de hac non magnopere contendimus. Illud animadverti poterat; Cassiopen hanc potius Corcyrae quam Epiri urbem significari: siquidem Propertius v. 17. memorat *ejus litora silvis obsita fuisse*, quod convenit cum Apollonio Rhodio, qui hoc ipsum significat IV, 982. Sed, age, moremur paulum in eadem Elegia.

Ib. 6.

Adspice, quam saevas increpat aura minas.

Poterat hoc loco laudari Archilochi nobile dictum, ex quo colorem duxisse videtur Propertius: Γλαῦκ', ὅρα βαθὺς γὰρ ἤδη κύμασιν ταράσσεται πόντος. Extat apud Plut. T. II. p. 169. & Heraclid. Allegor. Hom. p. 412. Vid. J. Pierson. Verisim. II, 10.

Ib. 16.

Quamvis dura, tamen rara puella fuit.

Bur-

Burmannus, quod raro fit, paucissima notat; memorat, in Vosf. codicibus *rata* vel *cara* legi pro *rara*: tamen vulgatum tuetur cum Broukhusio ex I, 8, 42, *Cynthia rara mea est.* Sed ut de illo non statuimus loco, ita in hoc *cara* legendum judicamus, quod et mens poëtae et sententia ipsa flagitare videtur. Sic II, 7, 94. *Te nihil in vita nobis acceptius umquam: Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi.* Sic Tibullus III, 6, 56. *Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.* Uterque expressit Euripideum illud Phoen. 1455. φίλος γὰρ ἐχθρὸς ἐγένετ᾽, ἀλλ᾽ ὅμως φίλος.

Ib. 19.

Illic, si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus & posito staret amore *lapis.*

Marklandus *labos* malebat quam *lapis*. Burmannus praefert ex Scaligeri excerptis *honore* pro *amore*: cum quo nos consentimus. Ita Graecis quoque τιμὴ dicitur statua & omne monumentum, quod honoris caussa alicui ponitur: veluti ap. Plutarchum T. II. p. 91. A. 561. B.

XX, 3.

Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.

Videtur Propertio celebre illud Epicuri dictum obver-

versatum esse, quod apud Veteres proverbii vim habuit: Βραχεῖα σοφῷ παρεμπίπτει τύχη. Vid. Diog. Laërt. X, 144. & J. Davis. ad Cic. Fin. I, 19.

Ib. 37.

Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mixta papaveribus.
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,
Proposito florem praetulit officio.

Recte Burmannus Hylam Propertianum cum Theocriteo comparat Id. XII. Ceterum nobis haec quidem pars ex Euripide adumbrata videtur, ex cujus deperdita fabula Hypsipyle similem imaginem ludentis pueri memorat Plutarchus T. II. p. 93. C. & 661. F.

Εἰς τὸν λειμῶνα καθίσας
Ἔδρεπεν ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ
Αἰρόμενος ἄγρευμ' ἀνθέων
Ἁδομένᾳ ψυχᾷ,
Τὸ νήπιον ἄπληστον ἔχων.

De quo fragmento adeundus est Valckenarius Diatr. Fragm. Eur. XX. p. 212.

L I B. II.

II, 11.

Ac veluti primo taurus detrectat aratro,
Mox venit adsueto mollis ad arva jugo:

Sic

Sic primo juvenes trepidant *in amore feroces*,
Dehinc domiti posthaec *aequa & iniqua ferunt.*

Duae sunt notandae animadversiones. Altera Eldikii, corrigentis *fortes* pro *posthaec*: quod vulgato praeferendum videtur. Alera Marklandi, qui pro *trepidant* malit *turbant*, vel *strepitant*: quae Burmannus repudiat, vere ac docte vulgatum vindicans. Ceterum, ut Latini *trepidare*, ita Graeci σφαδάζειν dicunt de iis, qui indignantes terram pedibus percutiunt: atque de hoc verbo egregia est disputatio Ruhnkenii ad Tim. p. 173. Quod non animadversum a Marklando, viro Graece doctissimo, miramur. Et Propertius secutus videtur Euripidis dictum, quod exstat ap. Galenum Dogm. Plat. & Hippocr. IV, p. 152. Εἰκὸς σφαδάζειν νιν ἂν ὡς νεόζυγα Πῶλον, χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον.

Ib. 61.

Qualis & Ischomache, Lapithae genus heroinae,
Centauris medio grata rapina mero:
Mercurio et sanctis *fertur Boebeïdos undis*
Virgineum Brimo composuisse latus.

Docta est conjectura Burmanni legentis, *Mercurio Ossaeis fertur Boebeïdos undis*; quippe ad Ossam montem sita erat Boebeïs unda. Nobis locus in ea parte laborare videtur, qua Ischomache a Brimo non

se-

ſecernitur. Quare tenemus lectionem quorundam librorum; *Mercurio qualis fertur Boebeïdos undis.* —

IV, 2, 3.

Haec merui ſperare? dabis mihi, perfida, poenas;
Et nobis Aquilo, *Cynthia, ventus erit.*

Mirum est quantas hic Aquilo interpretibus turbas excitaverit. Vera lectio reſtituta est a Burmanno, *Et nobis alio, Cynthia, ventus erit.* Loquendi forma multis exemplis confirmatur.

V, 24.

Ah gemat, in terris iſta qui protulit arte
Jurgia *ſub tacita condita laetitia.*

Vere & eleganter corrigit Ruhnkenius *Orgia* pro *Jurgia.* Ita enim exquiſite concubitus dicitur.

Ib. 25-28.

Non istis olim variabant tecta figuris,
Tum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immerito *velavit aranea fanum;*
Et mala deſertos occupat herba Deos.

Lectionem verſus 27, in quo ſententia laborabat, ſanitati reddit Burmannus docta correctione, *Sed nunc emeritum velavit aranea fanum.*

VII,

VII, 25.

At postquam sera captiva est reddita poena,
Fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo quum sim, vel matre, vel armis,
Mirum si de me jure *triumphat Amor?*

Burmannus v. 28. pro *si* legi posse notat *ni*, quia utrumque dicatur tali constructione. Nobis alia pars laborare videtur, et pro *jure*, quod prorsus friget, cum Petro Fonteinio, malumus *Tulle*; nam ad amicum scriptam esse Elegiam, e versu 2, apparet.

Ib. 69.

Sed vobis facile est verba & componere fraudes,
Hoc unum didicit foemina semper opus.

Pervulgata sunt apud Veteres mulierum vituperia, quorum bene magnum numerum collegit Stobaeus S. LXXII. In his reliquos reprehensores facile superavit Euripides: & colorem duxisse videtur Propertius ex Med. 409.

πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν
Γυναῖκες ἐς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

VIII, 33.

Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.

Et

Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, Cinis hic docta puella fuit.

Burmannus memorat duos poëtas recentiores, qui ultimum horum versuum imitando expresserunt: Janum Secundum & Janum Lernutium. Praestiterat utique exemplum notasse, ex quo ipse hanc imaginem duxit Propertius, quod est in loco Sapphus celebratissimo:

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι,
Οὐδέ τι μναμοσύνα σέθεν
Ἔσσεται, οὐδέ ποχ' ὕστερον.
Οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων
Τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ' ἀφανὴς
Κὴν Ἀΐδα δόμοις φοιτάσεις.
Οὐδεὶς δέ σε βλέψει παῖδ' ἀμαυρῶν
Νεκύων ἐκπεποταμέναν.

Apud Plutarch. T. II. p. 146. A. Stob. IV. p. 52. Brunck. Analect. T. I. p. 57.

XVIII, 17, 18.

Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi natura aliquid *semper amare dedit.*

Variae sunt conjecturae, quibus viri docti hunc locum tentarunt. Nobis ex parte placet Burmanni ratio, secundum versum ita corrigentis, *Mi fortuna aliud*

aliud semper amare dedit. Nam profecto *aliquid amare* non in vitio poni debebat. Ceterum sententia prioris versus a Philosophis ducta est. Crantor ap. Plutarch. T. II. p. 104. C. Φυομένοις τε μίγνυται ἐν πᾶσι κακοῦ μοῖρα. Plura notavit Wyttenbachius ad Plutarchum de Ser. Num. Vind. p. 34. Igitur tuemur in secundo quoque versu *Natura*.

Ib. 35, 36.

Adspice uti coelo modo Sol, modo Luna, ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.

Bene Santenius notat imitationem Euripidis Phoen. 549. Propertius, Comicorum exemplo, Tragici φυσιολόγημα ad rem ridiculam accommodavit.

Ib. 67.

Quam care semel in toto nox vertitur anno?
Ah pereant, si quos janua clausa juvat.

Varie hunc locum, et in primis *vertitur*, tentant Interpretes. Heinsius malebat *stertitur*: Marklandus, *perditur*. Sed recte verisima judicatur T. Hemsterhusii emendatio, *venditur*.

XIX, 47.

Et si secla forent antiquis grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.

Haeserunt viri docti in hujus loci interpretatione. Burmannus corrigere tentavit: — *antiquis aequa puellis.* Recte quidem, quod in voce *grata* mendum residere suspicatus est: ceterum non satisfacit haec medicina. Nobis in mentem venit: *Et si secla forent antiquis* nata *puellis.*

XX, 23.

Non si Cambysae *redeant et flumina Croesi,*
Dicat; De nostro surge poëta toro.

Egregia est emendatio Burmanni, *Non si jam Gygae redeant*: sed, ejus inventionis laus communicanda est cum J. Schradero, V. Cl., qui eam Em. II, 6. proposuit. Suo enim uterque ingenio in eandem incidit conjecturam.

Ib. 27, 28.

Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui dare multa potest, multa et amare *potest*

Sententia laboranti varie succurrere studuerunt viri docti. Marklandus conjiciebat, *multa negare potest*: Burmannus, *stulte et amare potest*: meliori ratione Santenius, *non et amare potest.*

XXIII, 87, 88.

Tyndaris externo patriam mutavit amore,
Et sine decreto *viva reducta domum.*

Acu-

Acuta eademque verisſima est Santenii correctio:
Et ſine dedecore est *viva reducta domum.*

XXV, 31.

Tu ſatius Muſis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati ſomnia Callimachi.

Longa expromitur animadverſio, ex qua duo tantum commemorabimus. Alterum est, Hemſterhuſii obſervatum de Callimachi Αἰτίοις, ad quem librum reſpicit Propertius. Alterum, Santenii ſagax inventum, niſi vitium in *ſatius* remanet: *Tu ſatius Muſam leviorem imitare Philetae.*

Ib. 49, 50.

Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen a nobis ante *domandus eris.*

Burmannus pro *ante* reponit *arte*, acute, et, ut videtur, vere. Marklandus pro *amores* malit *labores*. Sed aliud quid requirit loci ſententia, quam ita reſtituendam arbitramur: *Nec tu tam durus per te potieris amore. Trux ante a nobis arte domandus eris.* *Potiri amore* dicitur more Graecorum, pro *potiri re amata. Tamen* friget hoc loco, qui non oppoſitionem ſed conjunctionem poſtulat; itaque *ante* conjecimus. In *arte* conſentimus cum Burmanno, qui Terentium quoque laudare poterat, Heaut: II, 3,

 125.

miserum quendam offendi ibi militem, Ejus noctem orantem; haec arte tractabat virum, ut illius animum cupidum inopia incenderet.

Adhuc duos tantum percurrimus libros, et jam prope justae explevimus modum censurae. Quare, ne omnino intactos relinquamus duos posteriores libros, satis erit pauca quaedam excitasse specimina.

L I B. III.

I, 61, 62.

Aut illis flamma aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu *pondera victa ruent.*

Burmannus tuetur correctionem suam, propositam Anthol. Lat. I. p. 315. *Annorum aut ictu, pondere victa, ruent.* Nobis placet Santenii emendatio, *Annorum aut* ipso pondere *victa ruent.*

VII, 25.

Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Vera est Burmanni correctio, *Vel tibi Medorum pugnaces ire per hastas.* Atque ita Marklandum quoque correxisse, postea ex ejus libro cognovit.

X, 25.

Castra decem annorum, et Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.

Pro *Calpe*, Burmannus *Cyclops* corrigit: quod ferri nequit, quum proxime Polyphemi mentio ita fiat, ut

ut aliud Ulysfis factum fignificetur. Neque probamus Santenii *Cacre*, quod una, nec fatis firma, Tzetzae auctoritate nititur. Praeferimus correctionem, quam nobiscum communicavit P. Fonteinius, vir doctiffimus; „ Forte legendum: *Ciconum manus*, *Ismara cap*„ *ta*. *Ciconum manus*, ut apud Tibull. IV, ad Mes„ fall. vs. 54. *Ismara capta*, ut, eleg. fuper. vs. „ 60, *Bospora capta*, De utraque re, Odysf. l. 39-61. „ Verfu feq. *mox* idem est quod *paullo post*. Nempe „ paullo post captam Ismarum, unde vinum illud ha„ buit Ulysfes, quo Polyphemum confopivit, oculum „ ejus *exusfit*; ut ex eodem Homeri libro notum est. „ Itaque ipfo illo *mox* etiam confirmatur lectio *Isma*„ *ra capta*; ficut haec vicisfim oftendit, illud mu„ tandum non esfe."

L I B. IV.

IV, 53.

> Sic hospes, pariamne *tua regina fub aula,*
> *Dos tibi non humilis prodita Roma venit.*

Senfum, qui manifesto laborat, leni manu reftituit Burmannus, legendo: *Sis fospes*, *pariamque tua regina fub aula*.

IX, 35.

> *Fontis egens erro*, circoque *fonantia limphis*.

Rejectis aliorum conjecturis, Burmannus fententiam certe, forte etiam ipfam poetae manum, reftituit

ingeniosa correctione: *Fontis egens erro circum antra sonantia limphis.*

Jam videamus de ultima Elegia, quae continet orationem mortuae Corneliae ad superstitem maritum Paulum; atque inter reliquas Propertianas poeticis laudibus praecipua judicatur. Hanc, ut diximus, sine commentario relictam a Burmanno, suis animadversionibus ornavit Santenius, atque cum ingenio tum doctrina vacuam hanc partem ita explevit, ut; quoad ejus fieri posset, Burmanni rationem sequeretur, neque ultimam ejus manum desiderari pateretur. Ceterum ex magna copia quum difficilis sit delectus, et alia ex alia animum alliciat animadversio, sequamur nos brevitatis legem, atque ex multis paucissimas, vel speciminis caussa, proponamus.

V. 45, 46.

Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est.
Viximus insignes *inter utramque facem.*

Santenius memorat elegantem Burmanni correctionem, *insontes*, quae confirmatur ex Ovidio Met. IX, 373. *Patior sine crimine poenam, Viximus innocuae.* Tum docte notat, *facem utramque* esse *nuptialem* et *rogalem.* Atque ita reliquis in animadversionibus versatus est, ut interpretationem, fere a Burmanno neglectam, frequentius ad illustratio-

nem

nem rerum obscurarum adhiberet. Et recte quidem.

v. 61.

Et tamen emerui generosos vestis *honores,*
Nec mea de sterili facta rapina domo.

Interpretes, quorum opiniones recenset Santenius, varie se torquent in exponenda illa *veste*: neque tamen quidquam satis probabile adferunt. Ipse igitur probabilem adfert correctionem, *stirpis.* Porro versu secundo prudenter interpretatur *rapinam* ita, ut Cornelia dixerit, *se matrem liberorum immatura morte abripi.*

v. 69, 70.

Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis *tot mea fata* malis.

Primum recensentur lectiones librorum, et doctorum conjecturae: tum ex his una, reliquis verisimilior, proponitur editoris Electorum Etonensium: *Solvit, lucturis tot mea fata meis*; ut Cornelia dicat, *se lubenti animo mori, quum ipsius mortem tot cognati lucturi sint.* Santenius, quum ipse hanc correctionem probare videatur, ex nobili Solonis dicto apud Stob: CXXI. p. 610, quod vertit Cicero Tusc. I. 49. *Mors mea ne careat lacrimis: linquamus*

mus amicis Moerorem, ut celebrent funera cum gemitu: tamen aliam ex suo ipse ingenio profert correctionem, *Solvit vecturis tot mea fata vadis*: quam, nisi veram, certe verisimilem et acutam, putamus.

V. 93, 94.

> *Discite venturam jam nunc* sentire *senectam*,
> *Coelibis* ad curas nec *vacet ulla* via.

Priori versu sensus laborat in verbo *sentire*. Hinc variis conjecturis locum tentarunt viri docti. Aliis placuit *lenire*: Heinsio, *sarcire*, *fulcire*, *sepire*: quae Santenius comparat cum Lucretiano IV, 1250, *gnatis munire senectam*. Wassenbergio V. Cl. in mentem venit, *Discite venturae jam nunc servire senectae*. Altero versu tenebras disjecit Santenius ingeniosa correctione, *Coelibis a cura ne vacet ulla dies*.

Atque speramus jam satis intelligi posse ex hac enarratione, magnam inesse Burmanniano operi commendationem, cum a correctione locorum corruptorum, tum ab explicatione eruditionis. Correctiones memoravimus eas, quae, nostra sententia, ceteris praestarent. Nam sunt etiam, quas minus probemus: quas peculiariter notare non opus erat. Speciminibus, quae a nobis allata sunt, nostram adjecimus, vel animadversionem, vel observationem Graecorum exemplorum, ex quibus imitationem duxis-

duxisse videatur Propertius. Quae observatio in hoc praecipue poëta, qui totus a Graeco fonte fluxit, utilis et jucunda est. Ceterum ordinem transpositionemque Elegiarum a Scaligero factam secutus est Burmannus, in eoque acquiescendum putavit; quod hic semel ordo libros fere occupavit, et doctorum hominum consuetudine pervulgatus est. Quamquam eum, in progressu operis, adeo hujus instituti poenituit, ut saepius fateretur Santenio, se, si res integra esset, libenter mutaturum esse consilium. Orationem ipsam poetae secundum Broukhusianam recensionem exhibuit, a qua quidem raro discessit: et, cum illius tum Heinsii & Scaligeri admiratione ductus, eas in contextu reliquit lectiones, quae non nisi ex illorum conjectura natae erant; atque nonnumquam ejusmodi in locis, ubi codicum scriptura, ipso judice Burmanno, praestaret receptae lectioni. Verum tamen cavit Burmannus ne in errorem inducerentur legentes, ac doctorum hominum conjecturas pro librorum scriptura haberent; quippe in commentario lectionis cujusque ratio reddita explicitaque est.

II.

APOLLONII RHODII *Argonautica, e ſcriptis octo veteribus libris, quorum plerique nondum collati fuerant, nunc primum edidit* RICH. FR. PHIL. BRUNCK, *Regiae Inſcriptionum et Humaniorum Literarum Academiae Socius. Argentorati, apud ſocios bibliopolas Bauer. et Treuttel.* 1780. 8.

Quamquam permulti fuerunt inter veteres Graecos poetae heroici carminis, tamen non ſunt niſi duo quorum in hoc genere opera hodieque exſtent. Alter est princeps ingenio & aetate, Homerus. Alter, proximus ab illo, ſed longo tamen intervallo cum ingenii tum aetatis, Apollonius Rhodius. Nam nec Heſiodi quae ſuperſunt, juſtam hujus generis magnitudinem habent: et, qui poſtea fuerunt, Coluthus, Tryphiodorus, Quintus Calaber, quique Orphei et Muſaei nominibus feruntur, tantum diſtant ab Apollonio, vel carminis laude vel aetate, ut neque tertio, neque quarto, loco ponendi videantur. Et de Homero quidem non est, quod multa dicamus. Quis enim adeo remotus est ab humanitate, ut nesciat, eum unum omnes heroici carminis laudes complexum esſe? Illud intelligi volumus, Apollonium ita ſecundas obtinere partes, ut

ut multis tamen virtutibus excellat. Homerus in omni eloquentiae genere valet. Modo enim dulcis et jucundus, modo gravis, modo ſublimis et acer, legentis animum in medias res rapit et in omnes partes trahit, neque langueſcere umquam ſinit: porro varietate ac distributione argumenti occurrit ſatietati, ſemperque novus et recens aliud deinceps ex alio inducit ſpectaculum. Apollonius, narrationi quam actioni propior, nec ſpiritu vehementiaque, nec rerum varietate, nec affectuum frequentia, cum Homero comparandus, tamen ipſa narrationis dulcedine legentium animos tenet, atque, judice Quinctiliano, aequali ſe mediocritate tuetur. Et vero ex ejus virtutibus una est, qua cum Homero contendere posſit, imaginum veritas et efficacia. Itaque Virgilius, qui ſolus ex Antiquis proxime accesſit ad Homeri praeſtantiam, quique ejus exemplum, cum in deſcriptione argumenti, tum in ornamentis et omni carminis cultu, ſecutus est, multas tamen easque elegantisſimas imagines ex Apollonio asſumſit. Quis est quin miro quodam modo afficiatur hac Didonis deſcriptione? Aen. IV, 522:

Nox erat, et placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſilvaeque et ſaeva quierant
Aequora: quum medio volvuntur ſidera lapſu:
Quum tacet omnis ager: pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aſpera dumis

Ru-

Rura tenent, somno positae sub nocte silenti
Lenibant curas, et corda oblita laborum.
At non infelix animi Phoenissa, neque umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit.

Quis adeo ferreus reperiatur, quin sensu suo in placidum noctis silentium, et Didonis commiserationem, deducatur? Sed idem, cum summum Virgilii artificium miratus fuerit, magis etiam Apollonium, auctorem imaginis, miretur: qui Medeam ita informaverat, III, 744:

Νὺξ μὲν ἔπειτ' ἐπὶ γαῖαν ἄγε κνέφας. οἱ δ' ἐνὶ πόντῳ
Ναῦται εἰς Ἑλίκην τε καὶ ἀστέρας Ὠρίωνος
Ἔδρακον ἐκ νηῶν· ὕπνοιο δὲ καί τις ὁδίτης
Ἤδη, καὶ πυλαωρὸς ἐέλδετο· καί τινα παίδων
Μητέρα τεθνεώτων ἀδινὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυπτεν·
Οὐδὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν
Ἠχήεις· σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην·
Ἀλλὰ μάλ' οὐ Μήδειαν ἐπὶ γλυκερὸς λάβεν ὕπνος·

Jam ex eodem fonte ducta est efficacissima illa descriptio animi curarum fluctibus aestuantis, Aen. VIII, 18:

Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat aestu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,

In

In partesque rapit varias; perque omnia versat.
Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aënis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunae,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur summique ferit laquearia tecti.

Nam ita, eodem loco, Apollonius Medeae depingit aestus:

Πυκνὰ δὲ οἱ κραδίη στηθέων ἔντοσθεν ἔθυεν,
Ἠελίου ὥς τίς τε δόμοις ἐνιπάλλεται αἴγλη,
Ὕδατος ἐξανιοῦσα, τὸ δὴ νέον ἠὲ λέβητι,
Ἠέ που ἐν γαύλῳ κέχυται· ἡ δ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα
Ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀΐσσουσα·
Ὣς δὲ καὶ ἐν στήθεσσι κέαρ ἐλελίζετο κούρης.

Quid? Cyclopes, et fulmen ab iis fabricatum, ita depinguntur, Aen. VIII, 424, non ut descriptio, sed ad vivum expressa tabula, oculis subjecta videatur:

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quae plurima coelo
Dejicit in terras: pars imperfecta manebat.

Sed auctor exempli laudandus est Apollonius, I, 730:

Ἐν μὲν ἔσαν Κύκλωπες ἐπ' ἀφθίτῳ ἥμενοι ἔργῳ,
Ζηνὶ κεραυνὸν ἄνακτι πονεύμενοι, ὃς τόσον ἤδη
Παμφαίνων ἐτέτυκτο, μιῆς δ' ἔτι δεύετο μούνης
Ἀκτῖνος, τὴν οἵγε σιδηρείης ἐλάασκον
Σφύρῃσιν, μαλεροῖο πυρὸς ζείουσαν ἀϋτμῇ.

Ecce! canem, qui feram insequitur; non videre tantum, sed audire quoque, nobis videmur, Aen. XII, 749:

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceae septum formidine pennae,
Venator cursu, canis et latratibus instat:
Ille autem insidiis & ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Haeret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est:

Item apud Ovidium, qui eandem imaginis partem dilatavit, Metamorph. I, 533:

Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem.
Alter, inhaesuro similis, jam jamque tenere
Sperat, et extento stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit deprensus, et ipsis
Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit.

At inventionis laus debetur Apollonio, II, 278:

Ὡς

Ὡς δ' ὅτ' ἐνὶ κνημοῖσι κύνες δεδαημένοι ἄγρης
Ἢ αἶγας κεραοὺς, ἠὲ πρόκας ἰχνεύοντες,
Θείωσιν, τυτθὸν δὲ τιταινόμενοι μετόπισθεν
Ἄκρης ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας·

Et haec quidem pauca ex plurimis exempla indicium habent, unde de Apollonii ingenio existimari possit. Nam vere, neque ex proverbii consuetudine, dicere videamur, plures esse quam sexcentos apud Virgilium locos ex Apollonio vel adumbratos vel expressos. Neque vero unus fuit, qui ab hoc fonte hauriret, Virgilius: fuerunt reliqui poetae, cum Latini, tum Graeci inferioris aetatis. Neque, vel minus apud posteritatem laudis tulit Apollonius, vel minora legentium studia invenit, quam ejus aequales, Callimachus, Aratus, Theocritus, et alii. Quo magis mirandum erat, tam praeclarum carmen tam paucis editionibus frequentatum fuisse. Quamquam ante H. Stephanum quinque factae erant editiones. Sed is postquam illud carmen vulgasset Parisiis anno 1574, nemo fuit intra centum annos qui denuo ei manus adhiberet. Exstitit tandem Jeremias Hoelzlinus, qui hoc Apollonium munere feriret, eumque non quidem emendaret, vel ex veteri libro vel ex ingenio, quorum quippe neutrum habebat; sed oneraret eum versione Latina et commentario; ex quibus hoc nil jejunius, illa nil inficetius, excogitari posse videatur. Tamen

cen-

centum item annis postea ortus est, qui, in eadem provincia, stupore ignorantiaque Hoelzlinum superaret, Joannes Shawius, Oxoniensis Artium magister; de cujus editione Apollonii breviter retulimus parte tertia hujus Bibliothecae. Sed interea, dum speramus hanc provinciam primo quoque tempore expletum iri ab Heynio, ecce Brunckius eam occupat: non quidem ille, ut eam Heynio praeriperet, sed ut multum ad eam promeret adjumenti; ac studiosos harum literarum sibi devinciret, cum emendatione carminis, tum libri forma habili et exornata typographico artificio. Sunt igitur duae partes hujus voluminis; quarum prior ipsum habet carmen Graecum, paginis ducentis et quatuordecim: altera animadversiones Editoris, paginis ducentis et quadraginta. Nam versionem latinam omisit, prudenti consilio. Neque Scholia vetera adjecit; quo tractabilior esset libri moles. Et in Animadversionibus quamquam nec obscurorum locorum illustratio neglecta est, et diligenter observatae sunt imitationes Virgilii aliorumque poetarum, tamen summa et praecipua fuit cura expurgandi a corruptelarum labe Graeci carminis. Cujus curae quae fuerit vis, jam peculiariter exponamus.

Habuit ergo Brunckius egregia librorum subsidia: editorum quidem omnium: scriptorum vero octo, quinque ex regia bibliotheca Parisiensi, unius ex Caesarea Vindobonensi; porro, ab Heynio Guelfe-

by-

bytani & Helmstadiensis. Huc quum accesserit Editor, qui subsidiis uti posset, quique valeret scientia egregia cum linguae, tum poeticae consuetudinis & rationis metricae; salutaris profecto praestita est opera Apollonio. Nos primum recensebimus correctiones, quae in centum prioribus primi libri versibus factae sunt, omnes; ut de reliquarum numero & ratione existimari possit. Deinde, reliquas ex hoc et secundo libro praestantiores memorabimus emendationes, quo magis utilitas atque momentum hujus editionis intelligatur.

V. 8. pro τεὴν κατὰ βάξιν, reponitur θεὴν κ. β. ex verisimili conjectura Gisb. Cuperi. V. 15. τόν γ' pro τόν δ' ex codicibus. V. 17. Ἠέ κεν ex conjectura, pro Ἠὲ καὶ. V. 18 & 59. ἐπικλείουσιν pro ἔτι κλείουσιν, ex Schol. Hom. ad Il. A, 264. V. 37. Πειρεσίας ex codicibus pro Πιρεσίας. V. 39. ἀπόπροθι item ex codicibus pro ἀπόπροθεν. V. 48. acute explicatur quid intersit inter πηοσύνη et κῆδος. V. 49 et 54. ex codice reponit εὐρήνεσσιν et Ἀμφρύσοιο, non geminatis literis σ et ρ: idque aliis locis absque librorum auctoritate facit, solis ductus metricis rationibus. V. 61. ἀριστεύων ex libris scriptis pro ἀριστήων. V. 62 et 63, ἀγκλῖναι et ἐδύσατο ex Schol. Hom. l. c. pro ἐγκλῖναι et ἐδύσετο. V. 74. ἧκεν ex codd. pro ἵεν. V. 76. κλί-

νεις item ex codd. pro κλίνωσι. V. 82. κακὸν pro κακῶν ex codd. V. 98. ἔχε pro ἔχεν, ultima per caesuram producta, quam rationem constanter sequitur Brunckius, vel absque librorum auctoritate. V. 103. κοινὴν ὁδὸν codicum indicio pro κείνην ὁδόν.

Atque haec quidem presso vestigio lecta sunt specimina: reliqua liberiori manu delibemus.

L. I.

V. 234. ἐπάρμενα recipitur ex verisimillima emendatione, pro ἐπάρτεα. V. 285. κενεοῖσι λελείψομαι ἐν μεγάροισιν, emendatio Huetii, ad marginem libri ejus in bibliotheca regia, scripta: vulgo perperam κεν ἑοῖσι. V. 492. προτέρω δέ κε νεῖκος ἐτύχθη ex codicibus, pro vitioso προτέρωσε δὲ ν. ἐ. V. 515. ex libris scriptis: τοίην σφιν ἐνέλλιπε θελκτὺν ἀοιδῆς· pro mendoso vulgato: τοῖόν σ. ἐ. θέλκτιν ἀοιδήν· V. 734. ex codice restituitur sana lectio ἀϋτμῇ, pro vitiosa ἀϋτμήν. V. 947. ex vera conjectura ponitur ἀμπεδίον, pro αὖ πεδίον. V. 1059, σὺν τεύχεσι ex codicibus, pro δίχα τ. V. 1082, item ex libris scriptis λόχος pro λέχος· V. 1132. ἐριωλάς, verissima correctio virorum doctorum ad Hesychium, recipitur in locum corruptae lectionis vulgatae ἐργώλας.

L. II.

V. 31. λεπτόμιτον exquisitius, pro λεπτάλεον: et v. 35, παπτήναντες verius, pro τεχνήναντες, revocatur, utrumque ex veteribus libris. V. 232. rotundior efficitur sententia et numerus ex codice Vindobonensi: Ἀλλά με πικρὴ δῆτα κατίσχει δαῖτος ἀνάγκη. Versus 382 et 383 spurii judicantur, tamquam perperam invecti ex 1016. V. 558. elegantior ponitur ex scriptis libris lectio, αἰωγῇ, pro ἀρωγῇ. V. 806. ex margine scripti codicis, loco δι' ἐξ ἁλός, revocatur διαμπερές. Versus ineptus 1119, Νῆσόν τ' ἠπειρόντε περαίης ἀγχόθι νήσου, sex codicum auctoritate e contextu ejectus est. Versus item 1130, qui sententiam turbat, litura inductus est, quamquam libris scriptis non approbantibus. Et versus 1149 πεπτάμενον λασίοισιν ἐ. δ. ἀ., spurius judicatur, sed in sede tamen sua relinquitur. V. 1184. ex verissima correctione ponitur ἠδὲ δίκαιοι, pro οὐδὲ δίκαιοι: V. 1190. vitiosa lectio μετὰ Φθίην locum cessit elegantissimae correctioni; μετ' ἀφνειήν.

Ceterum, quominus alias etiam observationes excitaremus, factum est quod judicaremus in his, quae jam expositae sunt, satis exstare indicii, unde Brunckianae operae praestantia intelligatur. Sed quando-

quidem cognovimus, hanc operam a nonnullis mutatatae lectionis nomine reprehensam esse, dicamus libere nostram de hac reprehensione sententiam. Et primum quidem superstitiosus magis quam religiosus videatur, qui non in magna Editori laude ponat, novas melioresque ex codicibus recepisse lectiones. Sed absque codicum auctoritate vulgatam scripturam mutare, hoc vero Criticae lex vetat. Quam nos legem, ut universe probamus, ita non adeo late patere judicamus, quin aliquando cum venia migrari possit. Nam, si vulgata lectio manifesta falsitatis indicia, alia per conjecturam inventa omnes numeros veritatis habere, videatur; licet profecto hanc in sedem illius reponere. Atque ita Brunckius fecit, qui multas lectiones ex conjectura, cum sua, tum Ruhnkenii, Piersoni, et aliorum, in contextum induxit. Sed nimirum verendum est, ne, si semel aliquid a severitate hujus legis remissum sit, continuo janua aperiatur non solum correctoribus, sed corruptoribus etiam, et, grassante licentia, nemo tandem Auctorum manum suam obtineat. Et fatemur, non vanum esse hunc metum. At vero nulla est lex, quin ab universa formula ad certam quandam et singularem traducta rem, si quidem utiliter ac prudenter exerceri debet, aliquantum circumscribenda et mutanda sit. Nolumus hanc libertatem omnibus concedi. Verum enim,

enim, si quis eam sumat vir excellenti rerum scientia et judicio, eaque prudenter utatur, ut in Animadversionibus veterem lectionem memoret, et mutationis justas reddat rationes, quod in Analectorum editione minus diligenter factum notavimus, in Apollonio autem diligentissime praestitum cognovimus; non videmus quare hoc factum reliquas ejus laudes obruere, neque ab aequis judicibus veniam impetrare, debeat.

III.

SOPHOCLIS *Tragoediae Septem, cum interpretatione Latina, et Scholiis veteribus ac novis. Editionem curavit* JOANNES CAPPERONNIER, *regiae bibliothecae custos, regiae Inscriptionum Academiae Socius, regius Lector, et Graecae Linguae Professor. Eo defuncto edidit, Notas, Praefationem et Indices adjecit* JOANNES FRANCISCUS VAUVILLIERS, *regius Lector, et Graecae Linguae Professor. Tom. II.* 4. *Parisiis.* 1781.

Ergo tandem prodiit Sophocles Capperonnerianus, cujus exspectatio jam fere diuturnitate sua evanuerat. Nam complures sunt anni, cum Capperonnerius rogatus a bibliopolis, provinciam susceperat repetendae editionis Oxoniensis, quae cum veteribus nova quaedam scholia habet. Et tum quidem opus continuo aggressus, brevi absoluturus erat; scholiis novis in ordinem digestis, et veteribus subinde correctis. Haec enim primi consilii summa erat. Interea fama novae editionis divulgata, et prodeuntibus Criticorum quorumdam animadversioni-

nibus in Sophoclem, Capperonnerius, ut exſpectationi doctorum hominum ſatisfaceret, notas ipſe in difficiliores Tragici locos conſcribere inſtituit. At vero inſtitutam operam obitus ejus praevertit. Res a bibliopolis ad Vauvillerium defertur: qui eos ad Capperonnerium filium ablegat. Redeunt, dicentes, nil in ſchedis patris animadverſionum ad Sophoclem reperiri, neque ſe dilaturos editionem in illud tempus, cum ejus curam agere filius aut poſſet aut vellet. His rationibus expugnatus Vauvillerius relictam provinciam ſuſcepit.

Igitur lecto, ut ait, bis ter Sophocle, primum animadverſiones virorum doctorum collegit et ſub examen revocavit. Tum ad excutiendos codices ſcriptos bibliothecae regiae ſe accingens, propoſito fruſtratus est; quod eos Brunckius, conſilii Vauvilleriani ignarus, Argentoratum abſtuliſſet. Haud ita multo post prodiit volumen Brunckii formae octavae, cujus pars erat Oedipus Tyrannus. In quo cum animadverteret Vauvillerius multa loca eadem ratione conſtituta eſſe atque ipſe fecerat, testem ejus rei advocavit Rochefortium V. Cl., Academiae Inſcriptionum ſocium; ne qua ipſi ex conſenſu animadverſionum invidia naſceretur. Ceterum ſi quando a Valckenarii, Toupii, Musgravii, Brunckii, aliorumque, a quibus egregia Tragicis navata est opera, ſententia diſcedit, et ipſe ſibi rem melius egiſſe videtur, modeste diſſenſum excuſat ſuum. Quae ſit

illa Oxoniensis editio, cujus exemplum expresserunt Parisini bibliopolae, ignorare se fatetur. Nobis non alia esse videtur nisi Johnsoniana, quae anno hujus seculi quinto prodiit.

Sed quandoquidem primum nunc specimen doctrinae Vauvillerianae in publicam exterorum notitiam exit; faciundum nobis est, ut illud ad aliorum intelligentiam peculiarius explicemus. Nam, quae dicit a se antea esse edita, Specimen Pindaricum et Epistolam de Horatio, nec nos vidimus, nec nostratibus cognita esse videntur. Animadversiones, minuta literarum forma expressae, ad primum volumen explent paginas sexaginta, ad secundum septuaginta et quatuor: comparatae sunt ad interpretationem sententiae et dictionis. Itaque versio Latina et scholia saepius reprehenduntur; et sensus indagatur comparatione similium locorum Sophoclis et aliorum Tragicorum, subinde quoque Gallica dictione exprimitur. Saepe ad metricas egreditur animadversiones, et, quod fieri solet in hoc genere, leges vel novas inducit, vel ab aliis constitutas reprehendit. Saepius etiam divagatur ad explicandam temporum consecutionem. Qua quidem in parte magis dialecticam subtilitatem quam usum ostendit. Neque enim ejusmodi quid recte fieri potest, nisi adsit copia exemplorum fere infinita, ex quibus accurate expensis et ad rationem revocatis certa lex constituatur. Ad emendandum quoque accedit, modo per-

perperam, modo probabiliter et cum acumine judicii. Fontes ex quibus, confirmandae sententiae caussa, doctrinam hausit, sunt Suidas et Hesychius; non item Grammatici egregiis virorum doctorum observationibus illustrati, Ammonius, Timaeus, Moeris, Gregorius, Thomas Magister: ex recentioribus frequenter ad partes vocantur Dawesius, Heathius, Toupius, Valckenarius, Musgravius, Brunckius: ex poetis Graecis haud mediocriter tractasse videtur Homerum, Pindarum, Tragicos, Aristophanem. Rara sunt quaedam vestigia lectionis Scriptorum, Herodoti, Xenophontis, Demosthenis: frequentiora Thucydidis, in cujus lectione se occupatum fuisse ait, quum ad Sophoclem vocaretur. Atque haec peculiarius retulimus, ut, quoad ejus fieri posset, universa operis forma cognosceretur. Nunc per partes eamus, et Editoris operam singularibus in locis spectemus.

IN AIACE.

V. 23. Ad dictionem ἔχει πεgάνας adjecit notam, non ut ejus vim exponeret et confirmaret exemplis, quod jam actum erat a Valckenario ad Eurip. Phoen. 712, de quo nihil monet: sed ut huc traheret alienum locum Longi I, p. 19, et arriperet occasionem reprehendendae correctionis, quae illi loco facta est in editione Villoisoni. Mox longam

et inanem consumit disputationem a Valckenario dissentiens, cujus sententiam non cepisse videtur. Hic enim ad Phoen. 1069, monuerat, εἰργασμαι et εἰργασάμην saepe promiscue usurpari ab Atticis et Jonibus. At vero Vauvillerius contendit, differre quid inter Aoristum et Perfectum, et diversam esse utriusque temporis vim.

V. 167.

Ἀλλ' ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν,
Παταγοῦσιν, ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι
Μέγαν αἰγύπιον ὑποδείσαντες·
Τάχ' ἂν ἐξαίφνης εἰ σὺ φανείης,
Σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι.

Expositis ac dijudicatis sententiis Dawesii, Heathii, et Toupii, tandem ita locum constituit Editor, ut verba ὅτε γὰρ —— ὑποδείσαντες parenthesi notet, et post αἰγύπιον particulam γ' interjiciat. Quae ratio nobis dura et contorta videtur. Facilior est medicina, qua legatur versu penultimo τάχα δ' ἐξαίφνης, et antepenultimo, ex Toupii correctione, post αἰγύπιον interjiciatur σ' te, hac sententia: *sed postquam e conspectu tuo se subduxerunt, strepunt et exsultant, timentes te, veluti magnum accipitrem columbae: at cito, si derepente apparueris, taciti contremiscant.* Ceterum hoc loco iterum aliquot paginae implentur in vera significatione Aoristi in-

interpretanda. Quae quidem disputatio neque accurata, neque docta, neque hujus loci est. In eodem genere, sed verior, est animadversio ad v. 183., qua docetur; Indicativum absque ἂν pro Optativo poni. Longa explicatio correctionem habet duorum locorum: Euripidis El. 873, ubi pro ἀμπτυχαὶ, haud absurde, legi vult ἀμψυχαὶ: Amipsiae ap. Suid. V. Ἀναψυχῆναι, qui locus ita constituitur: Καὶ ὄψὲ μὲν ἦλθες, κἄβαλες τριώβολον, Κἀμαρτύρησας ψεῦδος, ὡς ἀνέψυχης τί που. Poterat eadem opera reponi κἄλαβες et ἀνέψυχες.

V. 400. Οὔτε γὰρ θεῶν γένος, οὔθ' ἁμερίων ἔτ' ἄξιος βλέπειν τιν' εἰς ὄνησιν ἀνθρώπων. Dormitavit Editor, perperam componens verba, et accipiens ἄνθρωποι εἰς ὄνησιν pro *hominibus frugi*. Atqui εἰς ὄνησιν conjungendum erat cum βλέπειν. Poterat etiam pro γένος legi τινός. Sensus est: *Neque enim dignus sum, qui auxilium exspectem a quoquam vel Deorum vel mortalium hominum*. Versu 504, denuo longissima fit digressio Grammatica, de usu Futuri pro Praesente. Versu 608. εὐνώμα χρόνῳ τρυχόμενος, corruptum nomen corrigitur ἐν νομᾷ χρόνου, *temporis depastione*. Nobis in mentem aliquando venit ἐν ὠμῷ χρόνῳ: ut ap. Hom. Od. Ο, 356, est ὠμῷ γήραϊ. Sed utraque correctio ejusmodi est, ut eam nec probemus nec repudiemus.

V. 686.

V. 686.

Ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν;
Ἐγὼ δ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι,
Ὅτ' ἐχθρὸς ἥμιν, ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἐς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα.

Hanc orationem ita constituendam judicat Vauvillerius:

Ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν;
Ἐγὼ δ'. ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι
Ὅ τ' ἐχθρὸς ἡ μὴν ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις, ἐς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ' ὑπουργεῖν, ὄφελος εἰ βουλήσομαι,
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα.

Et vertit: *Quomodo ergo nos non discemus moderatos sensus accipere? Ego vero* (scilicet *discam*). *Jam nunc enim intelligo, inimicum omnino ita odio persequendum esse, quasi qui amicus rursus fieri possit; quoad amicum autem utile fore, si voluero ita juvare, ut amicum non perpetuo mansurum.* Atqui, ut versio inficeta est, ita correctio dura et abhorrens a ratione Graecae dictionis. Nos hanc emendandi libidinem eo magis reprehendimus, quod conjuncta est cum novitatis studio. Nam dudum Kusterus ad Suidam, ab

ab ipſo commemoratus Vauvillerio, locum perſanaverat, leni correctione, verſu tertio pro ἥμην refingens ἡμῖν. Ceterum notandum est; neglectam eſſe a Vauvillerio eam interpretandi partem, qua ſententia illuſtratur vel ex fontibus unde ducta est, vel ex imitationibus poſteriorum Scriptorum. Quae quidem pars cum ad alios locos, tum ad hunc, utiliter atque jucunde adhiberi poterat. Nam Sophocles expresſit *Biantis* effatum, quod exſtat apud Ariſtotelem Rhet. II, 15: ἀλλὰ, κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην, καὶ φιλοῦσιν ὡς μισήσοντες, καὶ μισοῦσιν ὡς φιλήσοντες· Hoc monitum Scipio exſecrari ſolebat, ut prodit Cicero de Amicit. 16: *Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisſe reperiri, quam ejus, qui dixisſet, ita amare oportere, ut ſi aliquando esſet oſurus: nec vero ſe adduci posſe, ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante esſe dictum crederet, qui ſapiens habitus esſet unus e ſeptem, ſed impuri cujusdam, aut ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis esſe ſententiam.* Forte colorem hinc duxit Plato Rep. V. p. 465. A. quum admonuit Graecos, *ita bellandum esſe* ὡς διαλλαγησομένων καὶ οὐκ ἀεὶ πολεμησόντων. — Καὶ ὡς διαλλαγησόμενοι ἄρα διοίσονται.

V. 930. Ajacem deſcribit Sophocles ſuo ipſum vulnere ſaucium:

> Φυσῶντ' ἄνω πρὸς ῥῖνας, ἐκ τε φοινίας
> Πληγῆς, μελανθὲν αἷμ' ἀπ' οἰκείας σφαγῆς·

Edi-

Editor corrigit — πρὸς ῥινὸς ἔκ τε Φωνίας πηγῆς, *ex naribus et fonte vocali*, id est, *ore*. Primum advocat locum Oed. Tyr. 1400, ubi πήγη ἀκούουσα dicitur *auditus*. Deinde Suidas excitatur V. Φῶνος, quam vocem Editor in Φώνιος commutare malit, ut nimirum correctioni auctoritatem conciliaret. At nec probabilis haec est ratio, nec sensum loci meliorem facit. Inferius v. 1041. defendit vulgatam πάυρα δ' ὠφελήσιμοι, ratione ab hoc loco aliena et absque ulla auctoritate.

Sed ut modo notavimus fontem sententiae Sophocleae; ita nunc, antequam progrediamur ad alias fabulas, notemus imitationem ductam ex loco Sophocleo Aj. 1161:

> Ἤδη ποτ' εἶδον ἄνδρ' ἐγὼ γλώσσῃ θρασὺν;
> Ναύταις ἐφορμήσαντα χειμῶνος τὸ πλεῖν,
> Ὧι φθέγμ' ἂν οὐκ ἂν εὗρες ἡνίκ' ἐν κακῷ
> Χειμῶνος εἴχετ', ἀλλ' ὑφ' εἵματος κρυβεὶς
> Πατεῖν παρεῖχε τῷ θέλοντι ναυτίλων·

Non dubium est, quin hanc imaginem expresserit Plato Theaetet. p. 135. A. ἐὰν δὲ πάντῃ ἀπορήσωμεν, ταπεινωθέντες οἶμαι τῷ λόγῳ παρέξομεν, ὡς ναυτιῶντες πατεῖν τε καὶ χρῆσθαι ὅ τι ἂν βούληται. Ipso versu hoc eleganter usus est Synesius Ep. IV. p. 163. D. μεθῆκεν οὖν ἐκ τῶν χειρῶν ὁ κυβερνήτης τὸ πηδάλιον, ἐπειδὴ τὸν ἥλιον εἴκασεν ἀπολελοι-

πε-

πέναι τὴν γῆν· καὶ καταβαλὼν ἑαυτὸν, πατεῖν παρεῖχε τῷ θέλοντι ναυτίλων.

IN ELECTRA.

Duae continuo se nobis offerunt animadversiones longae ac verbosae: altera ad v. 21, qua post Musgravium et alios docetur, ἴσμεν breviter usurpari: altera v. 57, ὅπως φέροιμεν vindicatur contra Dawesium, qui tali constructione constanter Subjunctivum voluerat.

V. 453. δὸς αὐτῷ τήνδ' ἀλιπαρῆ τρίχα: hanc scripturam Editor tuetur contra Heathium et Brunckium; qui correxerunt, τήνδε γ' ἀλιπαρῆ τρίχα. Videamus rationes: Λιπαρὴς, inquit, *longum est; utpote ortum a λίαν παρεῖναι: vid. Etym. M. in voce*. Hoc breve dictum duos graves habet errores. Et primo quidem, Λιπαρὴς, usu optimorum poetarum, primam habet brevem. Deinde analogiam atque origines Graecorum verborum prorsus ignorare se ostendit, qui his Grammaticorum ineptiis decipiatur. Hi quidem plerumque origines ex pluribus vocibus repetunt, et ejusmodi fabricantur etymologias, quae, liberaliter repetitae a Schrevelio aliisque, pueros et imperitos in errorem inducunt. Enimvero Graecarum vocum ortus fit ad simplicitatem naturae, ex una origine, per varias terminationes. Ita λιπαρὴς fit a λιπάω, λίπα, λίπος, λὶψ, λίβω seu λείβω. Plu-

Plurima sunt in veteribus Grammaticis bona, sunt etiam quaedam vitia. Critici est, eos ad certum usum adhibere, ac recta a pravis secernere.

IN ANTIGONE.

Versu 4, οὔτ' ἄτης ἄτερ, primo mutare tentat in οὔτ' ἀτηρὸν ἦν: postea vulgatum interpretatione vindicat, ut sensus sit, *nec ipsam Aten excipio*. Neutra nobis ratio placet. Magis probetur v. 132. ὑπεροπλίαις pro ὑπεροπλίας. Majorem etiam veri speciem correctio habet, qua versu 610 emendatur; κατ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κόπις: vulgo legitur κόνις: sed ita jam Reiskius emendaverat, probante Valckenario Diatr. Fragm. Eurip. p. 225.

Versu 733:

> Φήμ' ἔγωγε πρεσβεύειν πολὺ
> Φῦναι τὸν ἄνδρα πάντ' ἐπιστήμης πλέω·
> Εἰ δ' οὖν, φιλεῖ γὰρ τοῦτο μὴ ταύτῃ ῥέπειν,
> Καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν.

Editor versu tertio corrigit Εἰ δ' οὐ, *sin vero minus*. Non opus est mutatione. Vulgata lectio habet particulae negantis ellipsin, frequentem illam Graecis. Poterat hic quoque notari, quod nec Scholiastes praetermisit, exemplum imitationis Hesiodeae Εργ. 290:

Οὗ-

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω·
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δέ κε μήθ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὁδ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

Sententia est plurimorum imitatione nobilitata: ex quibus duos excitasse satis est. Cicero Orat. pro Cluentio. 31: *Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit ipsi veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet.* Livius XXII, 29: *Saepe ego audivi, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipsi consulere, nec alteri parere sciat, eum extremi ingenii esse.*

IN TRACHINIIS.

Oratio turbata restituitur probabili transpositione versus 84, vel ejus omissione:

νῖκ' ἢ σεσώσμεθα
Κείνου βίον σώσαντος, ἢ οἰχόμεθ' ἅμα
Καὶ πίπτομεν.

V. 423, responsio Lichae ad Dejaniram, κάτοισθα δῆπου; Λ. Φημί: convertitur ex ajente in negantem, ratione acuta quidem, sed non item necessaria, κάτοισθα δῆτ'; Λ. Οὔ φημι. Idem judicamus de

conjectura, qua versus 443, Νοσοῦντι ληρεῖν, ἀνδρὸς οὐχὶ σώφρονος, ita constituitur, Νόσφ' ὄντι δηρεῖν, ἀ. οὐ σ: bonitatem verbi δηρεῖν evincere conatur ex δῆρη ap. Hesychium, et ex δηρήσαντοιν in vetustissimis editionibus Theognidis v. 989. Non majorem veri speciem habet, quod versu 661, ἀμμένουσαι χρόνον πελάγιον ἴδριες οὐδέν, corrigitur, ἀ. χ. μηδὲ βαιὸν ἴ. οὐ.: nam πελάγιον ad Herculem refertur, qui subinde mari navigabat; ut recte monet Scholiastes. Aliae sunt quaedam in hac fabula correctiones, quas non magis atque illas probare possimus: veluti 870, pro θοὰν legit θωὰν, quae vox nova est atque inaudita: 1194, νόμον κάλλιστον ἐξευρόντα, corrigit ἐξείροντα, ut sit *exerere*, *peragere*, atque huc arripit Aristophanis dictionem Equ. 377, τὴν γλῶτταν ἐξείραντες, quae prorsus aliena est a loco Sophoclis, in quo nos nil requirimus, aut, si quid mutandum fuisset, praestiterat ἐκπληροῦντα. Duo aliorum Scriptorum loca infeliciter tentantur. Ad v. 780: Aristoph. Equ. 428., ubi pro καθεὶς recte Dawesius correxerat κατατεὶς, Vauvillerius malit κατιεὶς. Ad v. 1036, loco Euripidis non significato, qui est Phoen. 373, tuetur vulgatam lectionem, δι' ὄσσων ὄμμ' ἔχων δακρυῤῥοοῦν, atque ὄμμα accipit pro *spectaculo*.

IN OEDIP. COL.

V. 143. μοίρας πρώτης, mutare velit in μ. πρώτης, *sortis destinatae:* nobis mutatio non videtur necessaria: perperam advocatur Alberti animadversio ad Hesychium Voc. πέπρωται, in qua nil est, quod ad vocem πρωτὸς pertineat. Versu 311 tuetur vulgatum βραδὺς εὕδει, nec memorat correctionem ab Eldikio propositam Specim. Suspic. p. 8. βραδὺς σπεύδει. Versum 803, Καί μάνθανον τὸν θυμὸν ἐκδραμόντα μοι, temere huc invectum judicat et repetitum ex 451: in qua ei crisi non repugnamus. V. 1140, αὐτῶν δ' ἀγώνων θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα, donec ab aliis melior proferatur lectio, duplicem Vauvillerius proponit correctionem, ut in re incerta, haud contemnendam: altera est, αὐτῶν δ' ἀγώνων θεᾶς ῥ' ἄσασα τοὐμὸν ὄμμα: altera, α. δ. ἀ θεωρί' ἄσαι τ. ὄ.: prior melior est. Versus 1226 sententia restituitur verisimili conjectura, qua μολόντ' mutatur in μόνον. Placuit nobis etiam crisis, qua v. 1626 strophe constituitur et lacuna expletur.

IN OEDIP. TYR.

Quae nobis in hac fabula se obtulerunt animadversiones tres priores, eas probare non possumus: v. 238, ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονὸς, corrigitur, ἀστὸν εἶδεν ἢ 'ξ ἀ. χ: v. 337, vulgata vindicatur contra

 Brunc-

Brunckium scribentem τάμ' ἐξενείπω· v. 550, pro χρήμασιν conjicitur χάρμασιν. Sequuntur duae correctiones, quae nobis acumine et verisimilitudine blandiuntur: v. 609, 'Αλλ' οὔτ' ἐραστὴς τῆσδε τῆς γνώμης ἔφυν· Brunckius cum Heathio maluerat, 'Αλλ' οὔτε πλαστής: Vauvillerius conjecit, 'Αλλ' οὔτε ῥαπτής: v. 670, pro τὸν ἐναγῆ φίλον, corrigitur τ. ἐναργῆ φ. Animadversio ad v. 708 contra Brunckium valet; nam et hoc loco ἅπαξ μόνον, et Euripid. Androm. 24, ἄρσενα κόρον defenditur: in ejusdem Oreste 346, οἶκον ἄλλον ἕτερον, ultima vox mutatur in μᾶλλον: nobis non persuasit Vauvillerius. Magis placet correctio versu 1080, ἅλις νοσοῦσ' ἐγὼ, *satis est, me unam esse miseram*; vulgo legitur ἅ. ν. ἔχω. V. 1266, quo Jocaste describitur capillos lacerans, ἀμφιδεξίοις ἀκμαῖς, *unguibus utriusque manus*, supervacanea est correctio ἅμαις, *falcibus*. V. 1525, νῦν δὲ τοῦτ' εὔχεσθέ μοι, nisi manus, certe sententia, poëtae restituitur hac mutatione, ν. δ. τ. εὐχή 'στ' ἐμοί, *nunc ego illud opto.*

IN PHILOCTET.

V. 46. Quum Aldina pro λαβεῖν habeat μολεῖν, Editor verba ita constituit, Ἕλοιτό γ' ἢ τοὺς πάντας Ἀργείους μ' ὀλεῖν, *Me potius quam omnes Argivos perdere velit.* Ad v. 231 diligenter ac vere mo-

monetur, quum καλεῖσθαι significet εἶναι, hoc non simpliciter fieri, sed ita si quaedam notio famae ac celebritatis in sententia loci contineatur. Longae et verbosae disputationes Grammaticae expromuntur, in quibus, ut vere dicamus, plus est obscurae diligentiae quam certae doctrinae: altera est v. 295, de vi ac permutatione particularum αὖ et ἂν: altera, v. 374. contra Lennepii sententiam de Aoristo secundo ad Imperfectum revocando. Melius Editori successit correctio versus 434, qui probabili ratione ita constituitur, Ὀδυσσεὺς δ᾽ ἐστὶν αὖ κἀνθεῖ δ᾽ ἵνα χρῆν ἀντὶ τούτων αὐτὸν αὐδᾶσθαι νεκρόν: *Ulysses vero vivit ac floret adeo ibi, ubi debebat in mortuis numerari:* vulgo legitur Ὀδ. δ᾽ ἐ. α. κἀνταῦθ᾽ ἵνα χ. ἀ τ. α. α. ν.

Alia est conjectura, nisi vera, certe acuta, v. 482, τοῖσι γενναίοισί τοι τό τ᾽ αἰσχρὸν ἐχθρὸν, καὶ τὸ χρηστὸν εὐκλεές· pro ultima voce Vauvillerius malit εὔφιλές. Hac nobis occasione in mentem venit locus valde similis apud Xenophontem Oecon. VIII, 4: καὶ στρατιά γε — ἄτακτος μὲν οὖσα ταραχωδέστατον, καὶ τοῖς μὲν πολεμίοις εὐχειρότατον, τοῖς δὲ φίλοις ἀκλεέστατον ὁρᾶν: cum nullam sententiam habeat, *amicis est indecorum visu*, dudum est quod conjecimus, φίλοις ἀηδέστατον ὁρᾶν. Confirmatur opinio nostra oppositione subsequente §. 6: τεταγμένη δὲ στρατιὰ κάλλιστον μὲν ἰδεῖν τοῖς φίλοις, δυσχερέστατον δὲ τοῖς πολεμίοις: ubi sententia laborans in consensum

redigenda videtur cum priore dicto, si pro δυσχειρέστατον legatur δυσχειρότατον. H. Stephanus quidem Thes. L. Gr. T. IV. p. 442. formam εὐχειρότατον mutare voluit in εὐχειρωτότατον, ut in ea comparativus adjectivi εὐχείρωτος exstaret. Nobis vero forma εὔχειρος, rarior et vulgo non observata, retinenda videtur. Haec proprie est activa, et significat eum *qui facile capere potest:* illa passiva, notat eum *qui facile capitur.* Sed tamen usu haec quoque forma transiit ad passivam potestatem: et videtur frequentata esse ad ingratum superlativi sonum vitandum. Veluti pro εὐφωρατότατος, a pervulgato εὐφώρατος, dixerunt εὐφωρότατος ab εὔφωρος. Ita in Plutarcho de Amic. et Adulator. p. 63. C. retinendum est εὐφωροτάτην, quod confirmatur duobus libris scriptis Parisiensibus et uno Moscuensi, cujus lectiones debemus humanitati Matthaei Viri Cl. In eodem Plutarchi commentario p. 61. F. pro δυσφώρατος, unus valde antiquus Parisiensis habet superlativum δυσφωρότατος. Et p. 51. D. eundem superlativum habent tres Parisienses: nec minus p. 64. F. Ex aliis tribus Parisiensibus restituendum est, p. 49. C. περίφωρος pro περίφορος. Ita Strato Epigr. LXXXVIII. T. II. p. 379, Ed. Brunck. χρωτὸς ἀκηροτάτου, ubi debebat esse superlativus adjectivi ἀκήρατος, ab eadem origine fecit ἄκηρος: quamquam simul alludere potuit ad significationem *cerae.* Ceterum in

Tra-

Tragici dictione non audemus condemnare vulgatam scripturam.

Versu 654, quamquam ipsa loci ratio pro λαβὼν flagitet dualem λαβόντ', Editor tamen vulgatum tuetur: ceterum, jure reprehendit eos, qui locos corruptos anacoluthiae commentis vindicare solent. Haud displicet versu 694, νόσον pro ςόνον: at 708, ἐμπήρει ποδὸς non praeponimus vulgato ἐνθήρει ποδός.

Igitur Vauvillerius haud inutilem operam navavit Sophocli, quem pluribus locis vel explicuit vel emendavit. Quae quidem opera utilior etiam atque praestantior futura erat, si ei per festinationem licuisset majora contrahere subsidia doctrinae atque usus: quorum nunc penuriam Grammaticis disputationibus compensare voluit. Quo magis tenemur desiderio Brunckianae editionis; quae cum aliis ingenii doctrinaeque subsidiis exculta erit, tum iis quibus Vauvillerius caruit: veluti, lectionibus librorum scriptorum: comparatione locorum Sophoclis, quos posteriores Scriptores vel in suos libros transtulerunt, vel imitando expresserunt: denique diligenti collectione fragmentorum, quae ex deperditis fabulis per Veterum libros sparsa sunt.

IV.

C. CORNELII TACITI *Opera, cum Varietate lectionum selecta, novisque Emendationibus: Accedunt Notae et Index Historicus. Studiis Societatis Bipontinae. Editio accurata.* 1779. 8.

Utile profecto et laudabile est eorum consilium, qui veterum Auctorum exempla editionibus frequentant ut eorum ne desit copia, sed minimo sumtu in multorum manus perveniant. Sed laudabilius etiam atque ad plurimorum utilitatem accommodatius est idem consilium, si a viris peragatur in hoc literarum genere versatis, qui aliquid ipsi animadversionis adferant, quo legentium studium et intellectus adjuventur. Neque enim facile reperitur veteris Auctoris opus, quin multi sint in eo loci obscuri, multi corrupti: de quibus nisi moneantur legentes, non solum tirones sed provectiores etiam, necesse sit eos diu desudare, saepius quoque taedio defatigari. Nos quidem meminimus, quum primo ad Veterum lectionem ingressu incideremus in editiones ab omni animadversione vacuas, corruptos locos frequenter pro sanis accipere. Ex quibus locis quum nulla nos opera expedire possemus, caussam irriti conatus in

noſtram ignorantiam, non in Editoris negligentiam, conjiciebamus. Hae igitur editiones ſi quid annotationis aut interpretationis habuisſent, ſtudium noſtrum non diu eluſum atque retardatum vano labore, ſed celeriori jucundiorique progresſu auctum atque incenſum fuisſet. Itaque, ut volumus tironem continuo ad ipſam Auctoris intelligentiam contendere, neque in notis oberrare, neque editionibus uti larga doctrinae copia inſtructis; ita nolumus, in manus ei tradi exempla, in quibus nil ſit admonitionis de corruptelis aliisque difficultatibus. Quo magis probamus Bipontinorum inſtitutum, qui aliquot jam veteres Auctores accurata deſcriptione repetiverunt, eo quidem conſilio, ut exempla et parabilia esſent parvo pretio, et brevitate annotationis utilia ad intelligentiam tironum. Sunt vero hujus inſtituti auctores atque opifices cum alii quidam Bipontini Profesſores, tum princeps G. Christianus Crollius. Quorum opera ut recte cenſeatur, ſpectandum est qua ratione quove modo ſatisfecerint propoſito conſilio: quod nos in Tacito ſpectabimus, a quo edendi factum est initium.

Primum igitur in praefatione Crollius exponit de fide, auctoritate, et aliis historicis Taciti laudibus; porro, ſtudia erga eum poſteritatis per temporum ſeriem jucunda brevitate perſtringit. Et nobis quidem, qui primum ex hac praefatione Crollium cognovimus, placuit et prudentia rationis et bonitas

orationis. Sequitur index editionum Taciti, per aetatum succesfionem digestus ab Ernesto in Bibliotheca Latina Fabriciana T. II. p. 393 et sequ: et aliquot locis auctus a Bipontinis. Ipsa descriptio diligenter curata est et expurgata a vitiis operarum: est quoque probabilis bonitate chartae ac typorum. Orationi Auctoris eadem pagina subjectae sunt notulae breves, ad locos difficiliores et corruptos in primis; quas age perlustremus in primo volumine, quod sex libros Annalium continet.

L. I.

Cap. X. *Qui Atedii et Vedii Pollionis luxus.* Editores breviter notant: *Al. Tedii et Vedii.* Atque hanc brevitatem plerumque tenent; nisi ubi plus varietatis est in libris, aut judicium additur. Ceterum hoc loco proponenda erat, nisi vera, certe melior, ratio, qua corrigatur *Q. Atedii.*

Cap. LIII. *Post interfectum Posthumum Agrippam, omnis spei egenam (Juliam) inopia ac tabe longa peremit: obscuram fore necem longinquitate exilii ratus.* Ut aliis locis lectiones correctionesque probabiles memorantur, ita hic Gronovii emendatio memorari poterat, qua pro *exilii* legitur *exitii.*

Cap. LVII. *Nam barbaris, quanto quis audacia promtus, tanto magis fidus, rebusque motis, potior habetur.* Diligenter vitatum est vitium editionis Er-

Ernestinae, *quando quis aud.* Eandem diligentiam aliis quoque locis, quibus illa editio vitium suscepit, a Bipontinis tacite adhibitam reperimus: velut recte exhibuerunt II, 48, *Florae*, pro *Flore*: 83, *Epidaphne* pro *Epitaphne*. IV, 53, *fama* pro *forma*, quod Gronovium atque Ernestum turbaverat. Simile vitium operarum Ernestus observaverat IV, 69. *Quanto maesta, ubi semel proripuere, difficilius reticentur.*

Cap. LXV. *Nox per diversa inquies: cum barbari festis epulis, laeto cantu, aut truci sonore, subjecta vallium ac resultantis saltus complerent: apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles.* Hoc loco Interpretes dissentiunt de *interruptis vocibus*: Lipsius eas vigilibus tribuit, Gruterus et Ernestus universe militibus. Recte fecerunt, certe brevitatis consilio obtemperarunt, Bipontini, qui hanc interpretandi dissensionem silentio praetermiserunt. Ceterum, quum Lipsius huic descriptioni aliam adfert similem ex Xenophonte Anabas. III, 1, 3: potius excitandum erat Homeri exemplum Il. K, 11, quod imitatus esse videtur Tacitus.

Cap. LXXII. *Cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant: si quis proditione exercitum — minuisset.* Ernestus notaverat: „Cicero, opi-

„ opinor dixisſet, *ſed vis alia.* Itaque venit in men-
„ tem corrigere; *ſed alia vis*, ſive, *vi. In judicium*
„ *veniebat*" Quam correctionem cum ipſe repudiaverit Erneſtus, non eam referre debebant Bipontini.

Cap. LXXIV. *Permotus his, quantoque incautius efferbuerat, poenitentia patiens, tulit, abſolvi reum criminibus majeſtatis.* Memorant conjecturam, quamquam dubitanter ab Ernesto prolatam, *quandoque incautius*, ut *quando* accipiatur pro *quia.* Atqui ſolemnis Tacito forma non erat ſollicitanda; niſi quis operarum vitia, modo ad cap. LVII notata, tueri malit. Potius Interpretum conjecturae referendae erant de dictione *poenitentia patiens.* Cujus quidem loco nobis ſcribendum videtur *poenitentiae patens.*

L. II.

Cap. VIII. *Claſſis Amiſiae relicta, laevo amne; erratumque in eo quod non ſubvexit: transpoſuit militem, dexteras in terras iturum.* Adfertur Erneſti correctio delentis *transpoſuit*: quam non probant Bipontini, vulgatam lectionem ita accipientes, ut *dupliciter erratum fuerit*, primum, *quod non ſubvexit militem*, tum quod *non transpoſuit militem.* Ab hac nos disſentimus ſententia, quamquam ipſi quoque retinentes vulgatam, ſecundum interpunctionem quam

quam exhibuimus ; ut ante *transposuit* subintelligatur *igitur ;* cujus particulae omissio non abhorret a Taciti oratione.

Cap. XV. *Pars onusta vulneribus tergum, pars fluctibus et procellis fractos artus, infensis rursum hostibus, adversis diis objiciant, nulla boni spe.* Ernestus dubitaverat de Latinitate dictionis *spes boni*, malueratque *bona spe.* Cujus opinionem quum vere repudiassent Bipontini, debebant vulgatam tueri, neque ad contortam ratiunculam confugere, qua *boni* sumatur in nominativo pluralis.

Cap. LVI. *Ceteri venerantes regem, Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis.* Locus ab aliorum crisi vindicatur opportuna animadversione, qua post Freinshemium ad Curt. VIII, 12, monetur, populis Asiaticis hunc fuisse morem, ut regibus suis ab urbe primaria nomen adderent.

L. III.

Cap. XVI. *Biduum super haec, imagine cognitionis, absumtum.* Recte explicatur *super haec* pro *post haec :* atque ita correctiones aliorum circumscribuntur.

Cap. XXXV. *Respondit Blaesus, specie recusantis, — et consensu adulantium haud justus est.* Librorum scriptorum lectio habet *haud justus est :* unde

unde alii fecerunt *auditus est;* melius Gronovius et Ernestus, *haud jutus est:* in quo nos acquiescimus. Bipontini tamen ipsi quoque promunt conjecturam suam, *haud nisus est.*

L. IV.

Cap. II. *Vim praefecturae, modicam antea, intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo; ut simul imperia acciperent; numeroque et robore et visu inter se, fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur.* Alienum ab hoc loco verbum *crederetur* varie correxerunt Interpretes, *dideretur, dederetur, oriretur, crearetur:* quorum postremum nobis placet. At Bipontini corrigunt *inderetur*, idque adeo in contextum recipiunt.

Cap. V. *Dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphratem, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coercita.* Haeserunt Interpretes: Ernestus *initio* inducere malebat: Bipontini modesta crisi *regio* corrigunt, nec tamen statuere volunt. Nobis in mentem venit, *ditio.*

Cap. XXVIII. *Reus pater, accusator filius, nomen utrique Vibius Serenus, in senatum inducti sunt: ab exilio retractus, illuvieque ac squalore obsitus, et tum catena vinctus, perorante filio. Praeparatur adolescens multis munditiis, alacri vultu.* Assumta Pichenae correctione, qua *sunt* mutatur in *senex*, totum locum

cum ita constituunt novi Editores: —— *in senatum inducti. Senex ab exsilio retractus, illuvieque ac squalore obsitus, et tum catena vinctus, peroranti filio praeparatur. Adolescens multis munditiis, alacri vultu, cet.* Probabilis correctionis ratio uberius explicatur in notis adjectis ad calcem secundi voluminis. Dubitatio de verbo *perorare* ita tollitur, ut docte ostendatur, illud nonnumquam idem valere ac simplex *orare.*

Cap. LI. *Ubi tandem coacta deditio, et proxima sponte incolarum recepta.* Scripti libri habent *incorum* pro *incolarum*, editi veteres *inimicorum;* unde Muretus fecit *incolarum:* quod nobis placet prae Bipontinorum conjectura, *istorum.*

Cap. LXVII. *Sed tum Tiberius, duodecim villarum nominibus et molibus insederat.* Acquieveramus, cum Gronovio et Ernesto, in voce *nominibus*, ut essent villae celebres pristinis possessoribus vel nominibus deorum. Neque tamen absurde Bipontini reponere tentant *montibus.*

Cap. LXIX. *Non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos: congressus, colloquia, notae ignotaeque aures vitari.* Tuentur *egens* contra interpretum correctiones. Nobis quoque retinendum videtur. Tacitus Graecam dictionem secutus est, qua ἀπορεῖν πρός τινα, est *anxium esse quomodo te erga aliquem geras.*

L. V.

L. V.

Cap. IV. Lacunam explere ſtudent novi Editores. Sed melius erat, manum abſtinere ab inveterato vulnere.

L. VI.

Cap. VIII. *Non enim Sejanum Vulſinienſem, ſed Claudiae et Juliae domus partem ——, colebamus.* Veteres libri habent *et* pro *ſed*, quod a correctione recepta est. Hinc Bipontini fecerunt *at*, et in contextum receperunt.

Cap. XX. *C. Caeſar — immanem animum ſubdola modeſtia tegens, non damnatione matris, non exſilio fratrum rupta voce, qualem diem Tiberius induisſet, pari habitu, haud multum diſtantibus verbis.* Non ſatis percepisſe videntur elegantiam J. F. Gronovii, qui hanc ſcripturam tuetur obſervatione imitationis Homericae, qua Tacitus expresſit nobile illud dictum Od Σ, 135, Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *Induisſet*, quod nos quidem non repudiamus, non tamen repugnamus ſi quis, ad exemplum Homericum, mutet in *induxisſet.*

Cap. XXVIII. *Sacrum Soli id animal (Phoenix), et ore ac diſtinctu pinnarum a ceteris avibus diverſum, conſentiunt, qui formam ejus definiere.* Pichena pro de-

definiere tentabat *effinixere*: Bipontini addunt, melius forte fuerit *depinxere*. Melius quidem correctione Pichenae, non item lectione vulgata. *Definire* est describere, fecernere ab aliis rebus.

Cap. XXXV. *Modo equestris praelii more, frontis et tergi vices, aliquando ut conserta acies, corporibus et pulsu armorum, pellerent, pellerentur.* Non male tuentur *vices* contra Mureti correctionem *vice*. Ceterum in *pellerent pellerentur*, cum reliquis Interpretibus, non attenderunt ad formae efficaciam, cujus exemplum Tacitus sumsit ex Xenophonte Cyropaed. VII, 1, 18: καὶ προσπεσόντες ἐμάχοντο· ἐώθουν, ἐωθοῦντο· ἔπαιον, ἐπαίοντο. Hellenic. IV, 3, 12: ἐωθοῦντο, ἐμάχοντο, ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον: ubi eandem formam reponere voluit Jer. Marklandus ad Euripidis dictum, Suppl. 699: Καὶ συμπατάξαντες μέσον πάντα στρατὸν, Ἔκτεινον, ἐκτείνοντο. Non neglexit hanc elegantiam diligens Veterum imitator, Dio Cassius XLVII, 45. T. I. p. 522: ἐτίτρωσκον, ἐτιτρώσκοντο· ἐφόνευον, ἐφονεύοντο. Ad hanc rationem, tamen de forma nil monens, Suidam correxit V. Προΐεσθαι Jo. Toupius Emend. T. III. p. 80. Ceterum non repugnamus Jac. Geddesio, qui in libro, *De Veterum et in primis Platonis stilo*, I, 3, 2, hanc formam fluxisse putat ex fonte Homerico Il. Δ, 450:

Ἔνθαδ' ἅμ' οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν
Ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων. ῥέε δ' αἵματι γαῖα.

Est enim locus a multis animadverſus: veluti Philoſtrato, Vit. Apollon. II p. 76. μεστὰ γὰρ καὶ ταῦτα ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων. et V. p. 209. Heliodoro, I. p. 57. δοῦπός τις πρὸς τὸν ἀέρα συμμιγὴς ἤρετο — ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων, αἵματι τὴν λίμνην φοινιττόντων. et ibid. p. 45. Themiſt. Or. XV. p. 184. C. Ἡσιόδῳ δὲ τῷ Ἀσκραίῳ δόρατα μὲν φρίττοντα, καὶ ἀσπίδας συνερειδούσας, καὶ ὀλλύντας καὶ ὀλλυμένους, καὶ αἵματι ῥεομένην τὴν γῆν οὐκ ἐδόκει εἰσενεγκεῖν εἰς τὴν ποίησιν. Julian. Imp. Or. I. p. 27. D. κύκλῳ τὸ τεῖχος ἐπῄχουν οἰμωγαὶ βαρβάρων, ὀλλύντων μὲν οὐδαμῶς, ἀπολλυμένων δὲ πολυτρόπως. Libanio Orat. Funebr. in Julian. p. 321. D. et ap. Fabric. B. G. T. VII. §. 128. οἰμωγὴ δὲ ἠκούετο τετρωμένων, τιτρωσκομένων, μελλόντων, ἀπολλυμένων: ubi non repugnemus, ſi quis μελλόντων mutet in ὀλλύντων.

Propoſuimus ſpecimina; ex quibus appareat, ſatis ineſſe Criticae facultatis Editoribus, ad explendam ſuſceptam provinciam. Nam et in notis, adjectis ad calcem ſecundi voluminis, de aliis locis etiam uberior diſputatio expromitur non ſine judicio atque doctrina. Sed tamen locos animadvertendos haud paucos ſilentio praeterierunt, de quibus ratio operis po-

postulabat, ut non magis negligerentur, quam ii de quibus notatum erat. Veluti in uno libro tertio: Cap. VI. *abstruserint tristitiam*, Acidalius correxerat, *absterserint* t. VIII. *praescripta ei a Tiberio*; librorum lectio erat *et*, quod Lipsius mutavit in *ei*. XIV. *inter aliena servitia, et adstantium visu*: Heinsius legebat *visus*. XLIII. *Cruppellarios*, Lipsius *Clibanarios*. XLVI. *Incensa super villa omnes cremavit*, varietas est scripturae et interpretum. LVII. *tantum infamia usurus*: Heinsius, *ausurus*.

Atque haec de officio editionis illo notavimus, quod pertinet ad constituendam lectionem. Nondum diximus de eo, quod ad interpretationem locorum, quamquam sanorum, tamen obscurorum, refertur: quod officium adhuc prorsus neglectum est a Bipontinis: et eo minus negligi debuerat, quo magis necessarium est ad usus tironum, aliorumque, quorum in gratiam hae editiones institutae videntur. Possit quidem vacua illa pars expleri Indice cum verborum tum rerum; sed veremur, ut locorum obscurorum interpretatio commode includatur Indici. Ceterum Editores in titulo de uno tantum Indice historico profitentur: quem nondum vidimus; quippe ultima hujus editionis volumina nondum prodiisse dicuntur: quamquam interea alii Auctores ex eadem officina vel editi, vel edi coepti, sunt. Nos, ut ex animo favemus operae ad literarum incrementum

ſuſceptae, ita optamus ut Bipontini eam non modo afficiant, ſed etiam conficiant. Quod quidem ita perficietur, ſi et interpretationi conſuluerint, et in ratione inſtituta ſibi conſtiterint, modumque animadverſionis, nunc ſubinde neglectum, fideliter tenuerint, neque commiſerint, ut videatur amphora inſtituta eſſe, currente vero rota urceus exiiſſe.

V.

V.

C. JULII CAESARIS *Commentarii de Bello Gallico et Civili. Accedunt Libri de Bello Alexandrino, Africano, et Hispaniensi. E recensione Francisci Oudendorpii. Curavit editionem* SAM. FR. NATHAN. MORUS, *Gr. et Lat. Lingu. Prof. Lipf.* 1780. *Lipsiae.* 8.

Si quis ex hac inscriptione suspicetur de ratione et argumento libri, is fortasse in eam inducatur opinionem, nil eo contineri nisi scripta Caesaris, neque etiam animadversionis quidquam adjectum esse. Atqui habet haec editio animadversiones cum Cellarii, tum Mori minime spernendas, cum aliqua novitate, tum majore etiam utilitate. Nam bibliopola, qui saepius antea repetivisset exemplum Cellarianum, tandem consilium ceperat ejusdem ita denuo repetendi, ut ei ex copiis Editorum, qui post Cellarium fuissent, aliquid novae dotis adjungeretur. Quam provinciam et suscepit Morus, et prudenter administravit ad utilitatem non modo tironum et magistrorum, quorum usibus haec editio comparata est, sed aliorum etiam antiquae doctrinae studiosorum. Etenim

nim ex apparatu superiorum Interpretum, et observationibus aliorum doctorum, qui vel peculiaribus libris vel obiter Caesaris locos tractarunt, notas concinnavit breves quidem, sed perspicuas et ad Auctoris intelligentiam in primis fructuosas. Hae, quamquam una deinceps serie contextui subjectae sunt, complectuntur tamen omnia genera animadversionis, quibus boni editoris officium censetur. Primum genus refertur ad constituendam lectionem: quod modeste, nec nisi ad locos difficiles aut corruptos, adhibetur. Secundum spectat ad interpretationem verborum: quae repetitur ex Latinitatis scientia, consuetudine Auctoris, et accurata locorum comparatione. Tertium versatur in explicatione rerum: quae ducitur cum ex monumentis Historicis et Geographicis, tum ex scriptis recentiorum in primis Guischardi, cognomine Quinti Icilii, de re militari Antiqua. Ceterum fragmenta dictaque Caesaris, quae apud veteres Auctores exstant, absunt ab hac editione; quod nil ad ejus consilium pertinere viderentur. At vero Indices adjecti sunt rerum et verborum, accommodati legentium studiis. Nos animadversionum specimina exponamus, unde opera Editoris aestimari possit. Primum igitur, ut intelligatur quae sit ratio quis modus animadversionum, memorabimus omnes ad primum caput libri primi de Bello Gallico additas, ipsis Mori verbis; ut ex iis, tamquam exemplo, de forma et copia reliquarum conjectura ducatur.

Gal-

„ *Gallia*. Intelligit eam duntaxat Galliae partem, quae nondum a Romanis erat debellata. Allobroges enim et Galliam provinciam, ne de Cisalpina dicam, omittit. *Davis*.

Quaedam ex hoc capite excerpsit Ammianus Marcell. 15, 11.

Celtae. Nomen hoc Galliae Narbonensis incolis proprium, etiam ita usurpatum esse, ut ad omnes Gallos transferretur, atque adeo interdum Germanos comprehenderet, ostenderunt Perizonius ad Ael. V. H 12, 23. et Frickius de Druidis p. 23, qui multos alios scriptores de ampliore nominis Celtarum significatione enumerat.

Provinciae. Est ea pars Galliae, quae illo tempore jam in Romanae provinciae formam redacta erat.

Helvetii. Et hi Galli erant, quippe intra Rhenum contenti. *Cellar*.

Eorum. i. e. Belgarum, Gallorum, Aquitanorum. *Oudendorp*. Monuerat etiam Ciacconius. *Spectat inter*. Videtur *in* pro *inter* legendum, ut paulo ante. Legerim etiam, *et spectat*."

Neque vero sunt reliquae omnes in hac brevitate ac tenuitate notulae. Subinde uberior expromitur doctrina, prouti locorum difficultas modum explicandi postulat. Itaque specimina excitabimus ex reliquis libris, in primis in eo genere, quod ad constituendam lectionem pertinet.

Lib. I, 1. *Aquitania a Garumna flumine ad Py-*

renaeos montes et eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinet, spectat inter occasum solis et septemtriones. Probamus correctionem Mori — *pertinet, et spectat in occasum solis et septemtriones.*

Ib. 6. *Erant omnino itinera duo, quibus itineribus (Helvetii) domo exire possent: unum per Sequanos, angustum et difficile, inter montem Juram et flumen Rhodanum.* Quum alterum iter, de quo proxime dicitur, fuerit inter fines Allobrogum et Rhodanum, facile intelligitur, *Rhodanum* hoc loco stare non posse. Itaque recte Morus probat Chr Crusii observationem, qui cum R. Stephani editione et Metaphraste Graeco legit *Rhenum.* Miramur sane, hoc superiorum Editorum diligentiam fugisse.

Ib. 8. *Interea ea legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex provincia convenerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, millia passuum decem novem, murum in altitudinem pedum sedecim, fossamque perducit.* Primum bonitas dictionis, *lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit*, vindicatur post Oudendorpium. Deinde longiori disputatione loci difficultas et Interpretum variae sententiae exponuntur: quibus modeste ac dubitanter Morus suam ipse correctionem subjicit, qua, ejectis aliquot verbis, orationem ita constituit: *a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montes, millia passuum decem novem, murum in altitu-*

tu-

tudinem pedum sedecim, fossamque perducit. Atqui, si haec vera est lectio, nulla fuerat ratio, quare Caesar pontem ad Genevam rescinderet, immo magno suo damno hoc fecerat: quod jam Oudendorpius monuit. Nobis vulgata lectio ita interpretanda videtur; ut Caesar Helvetios duobus modis arcuerit: primo, ut pontem rescinderet ad Genevam, ne illo ponte in Allobroges transirent: secundo, ut murum duceret a Jura ad Rhodanum, ne per eam regionem in provinciam irrumperent.

Ib. 40. *Factum ejus hostis periculum patrum nostrorum memoria, quum Cimbris et Teutonis a C. Mario pulsis, non minorem laudem exercitus, quam ipse imperator meritus videbatur.* Morus malit *videatur*; propterea quod etiamnum rem judicantibus ita videatur. Nos, ut hoc loco non repudiamus ejus correctionem, ita mallemus aliis locis abstinuisset manum a corrigenda temporum modorumque ratione; quam quidem nemo adhuc accurate tradidit. Memor esse debebat judicii, quo ipse aliorum in hoc genere correctiones reprehendit, I, 3.

Lib. II, 10. *Optimum esse, domum suam quemque reverti, et, quorum in fines primum Romani exercitum introduxissent, ad eos defendendos undique convenirent; ut potius in suis quam in alienis finibus decertarent.* Morus particularum *et* atque *ut* transpositione sententiam planiorem facit: *ut, quorum in fines primum Romani exercitum introduxissent, ad eos de-*

fendendos undique convenirent, et potius in suis, quam in alienis finibus decertarent.

Lib. III, 22. De *Soldur̈iis* exponitur ex recentiorum obſervatione, Wachteri, Bergeri, et Ritteri.

Lib. IV, 2. *Quin etiam jumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quaeque impenſo parant pretio, Germani importatis his non utuntur.* Morus delet *his.* Non erat reticenda Oudendorpii emendatio *importatitiis.*

Ib. 3. *Ubii — paullo quam ſunt ejusdem generis et ceteris humaniores.* Locum corruptum ita corrigit Morus: *paulo, quam qui ſunt ejusdem generis, humaniores.* Neque tamen cauſſa erat, quare aliorum correctiones non memorarentur.

Ib. 6. — *cognovit, misſas legationes ab nonnullis civitatibus ad Germanos, invitatosque eos uti ab Rheno discederent; omniaque quae poſtulasſent, ab ſe fore parata.* Levi, ſed veriſimili, correctione pro *omniaque* probatur *omnia.*

Ib. 27. — *principesque undique convenere, et ſe civitatesque ſuas Caeſari commendare coeperunt.* Verbo ſignificat Morus, malle ſe *convenire.* Poterat addere, hanc esſe veterum librorum ſcripturam.

Lib. V, 17. *Neque post id tempus umquam ſummis nobiscum copiis hostes contenderunt.* Pro *ſummis* malit *omnibus;* tamen videtur in Indice vulgatum tueri auctoritate J. F. Gronovii ad Liv. XXXVIII, 50.

Ib. 28. — *quantasvis magnas etiam copias Germano-*

norum sustineri posse. Delere studet *magnas etiam*, ut explicationem vocis *quantasvis*, ab aliena manu insitam. Oudendorpius tamen vulgatam vindicaverat.

Lib. VI, 13-28. Ad totum hunc locum de moribus Gallorum et Germanorum, breves atque perspicuae adjiciuntur illustrationes, petitae ex Scriptoribus hujus argumenti, cum veteribus tum recentioribus; neque vacua relicta est ea pars, quae ad naturae et animalium rationem pertinet.

Lib. VII. 11. — *praesidium Genabi tuendi caussa, quod eo mitterent, comparabant.* Verba illa, *quod eo mitterent*, tamquam insititia notantur.

Ib. 35. Duobus hujus capitis locis adeo turbata est veterum librorum lectio, ut vulgata, licet probum habeat sensum, vix a Caesaris manu profecta videatur. Igitur Morus operam dat constituendae verae lectioni, quam tamen vulgata probabiliorem extundere nequit. Nobis illa crisis ab hujus editionis consilio aliena videtur.

Ib 45. *Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris mulorumque produci, eque iis stramenta detrahi, mulionesque cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumvehi jubet.* Morus judicat, veram lectionem, resectis additamentis, hanc restare; *magnum numerum impedimentorum ex castris produci, mulionesque cum cassidibus, cet.* Quae ratio et probabilitatis commendationem, et Interpretis Graeci auctoritatem, habet. Ib. 46.

Ib. 46. *Oppidi murus a planitie atque initio adscensus, recta regione, si nullus anfractus intercederet, MCC passus aberat.* Voces *recta regione*, tamquam supervacaneae, atque interpretamentum ab aliena manu adjectum, repudiantur. Nobis illa redundantia non abhorrere videtur a consuetudine Caesaris.

Ib. 55. *Si ab re frumentaria Romanos excludere, aut adductos inopia ex Provincia excludere possent.* Huic quoque loco Morus succurrere conatur ejiciendis supervacaneis verbis, ut legatur: *si re frumentaria Romanos excludere possent.* Lenior fuit medicina D. Vossii: *Si aut re frumentaria Romanos, aut adductos inopia ex Provincia excludere possent:* vel Jo. Davisii: *Si ab re frumentaria Romanos excludere, at adductos inopia in provinciam repellere possent:* quae quidem nobis adhuc prae ceteris arrisit, quamquam Oudendorpius vulgatae patrocinium suscepit.

Cap. 69. Alesiae oppugnatio illustratur ex disputatione Guischardi, allata quoque loco viri interpretatione.

Satis est speciminum. Nos, quamvis haud uno in loco a Mori sententia discessimus, tamen ejus rationem universe probamus, atque in exemplum commendamus iis, qui, veluti Bipontini, veteres Auctores in communem multorum usum edere instituunt.

VI.

Griechenlands erſte Philoſophen: oder Leben und Syſteme des Orpheus, Pherecydes, Thales und Pythagoras: von Dieterich Tiedemann.

i. e.

Vitae et Placita Vetuſtisſimorum Graeciae Philoſophorum, Orphei, Pherecydis, Thaletis, Pythagorae: auctore Dieterico Tiedemann. Profesſore Antiquitatum et veterum Linguarum in Collegio Carolino, et ſocietatis Antiquariorum Casſellanae Collega. 8. Lipſiae. 1780.

Magnum et difficile est libri argumentum, docta et diligens argumenti explicatio. Cujus explicationis vis et ratio ut ex brevi noſtra enarratione intelligatur, dicemus primum de conſilio Scriptoris, deinde de modo quo conſilium peregit. Et de conſilio quidem, quod in ipſa libri inſcriptione expoſitum est, quaerere quis posſit, quid causſae ſit, quod in primis vetustisſimisque Graeciae Philoſophis hi duntaxat quatuor ponantur, neque alii, vel an-

antiquiores, vel inter Orphei et Pythagorae tempora interjecti. Atque huic dubitationi ipse occurrere voluisse videtur Scriptor in praefatione, cum ait: „ omnes in eo consentire, Philosophiam, proprie ita dictam, primo tractatam esse a Pherecyde, Thalete, et Pythagora; ante hos enim argumentum quidem Philosophiae a Theologis et Mythologis tractatum fuisse, sed ratione poetica aut religiosa et fanatica, non philosophica, nulla in subsidium vocata disserendi arte ac subtilitate: his se adjunxisse quartum Orpheum, non adeo propter veritatem rei, quam propter famam hominis, ad cujus auctoritatem posterior aetas plurima Philosophiae inventa et decreta retulerit."

Igitur ex tribus partibus, in quas Antiqui Philosophiam distribuebant, sola Physica proprie Philosophia dici debet? Nos vero non videmus, quare duae reliquae partes, Moralis et Dialectica, non eodem jure eademque proprietate Philosophiae nomine appellentur, aut quare negligantur in ea disputatione, cui explicatio initiorum universi hujus studii proposita sit; praesertim, quum arcto inter se vinculo connexae sint. Esto: Scriptor de Physica voluit agere, non de reliquis partibus.

At nobis alia oritur dubitatio de hominibus. Quid enim caussae est, quod Physica Antiquiorum a Philosophia excluditur? An vero illi tres demum diligentiam in disserendo secuti sunt, Antiquiores hoc in-

instrumento caruerunt; ut illi Philoſophi nominandi ſint, hi non item? Atqui veremur, ne in verbo fallacia ſit. Nam, ſi prae illis tribus Antiquiores non habendi ſunt Philoſophi, ita nec illi tres habendi erunt Philoſophi prae poſterioribus, veluti Platone, Ariſtotele, et aliis, qui accuratius demum disſerendi diligentiam ad phyſicam rationem adhibuerunt. Itaque hac in parte gradu differunt Philoſophi, non genere. Est enim Philoſophus is, qui res divinas humanasque exquirit et ad rationes exigit: ſive has rationes corporeis imaginibus complectatur, quod ſolent Poëtae: ſive eas ex interiore natura repetitas pedestri ac ſimplici oratione enunciet. Atqui, ut omnis hominum cognitio a ſenſibus corporis proficiscitur, ita in omnibus gentibus primi Philoſophi fuerunt Poëtae; cum ob alias cauſſas, tum in primis propterea quod Poetarum artificium proxime conjunctum est cum ſenſuum officio. Quod ſi porro hiſtoria Philoſophiae ad ingenii fructum referenda est, nemo eorum negligi debet, qui aliquam artium doctrinarumque partem tractarunt; quo magis illius ſtudii incunabula et incrementa cognoſcantur. Et, ſi in primis Graeciae Philoſophis numeratur Orpheus, addantur ei alii non magis fabuloſi nominis, Dardanus, Amphion, Muſaeus, Linus: addantur Homerus, Heſiodus, et alii Theogoniarum ſcriptores. Verum enim, quum talis deſcriptio vetustisſimae Graecorum Philoſophiae latius pateret quam pro Aucto-

ris

tris consilio, ex reliquorum numero quatuor sios elegit, quorum vitas et placita enarraret. Quae enarratio argumenti est ampli simul ac gravis et difficilis. Satis diximus de consilio Scriptoris: videamus de ratione, qua consilium tractavit ac peregit.

Et primum quidem admonendi sunt harum literarum studiosi, ne iniquius agant cum Scriptore hujus libri, et omnia nova postulent in explicatione argumenti multis multorum disputationibus tractati. Satis enim laudis habet ejusmodi scriptio, si materia ex diligentissimis recentiorum Scriptorum collecta, in suos locos digesta, et ad cognitionem interpretationemque antiquorum testium exacta sit. Quam quidem laudem Tiedemannus ita consecutus est, ut ad hanc scriptionem adferret scientiam Antiquitatis et Philosophiae haud contemnendam, ingenii naturaeque humanae observationem, modestiam diligentiamque cum judicii tum orationis. Sed quandoquidem totius libri enarratio atque censura non cadit in fines provinciae nostrae, spectabimus operam Scriptoris in prima libri parte, quae est de Orpheo.

Sect. I. *de Vita Orphei.* Demonstratur consensu Antiquitatis, fuisse Orpheum, neque personam ejus a posteris demum confictam esse. Quo minus ita statuatur, una ex veteribus, sed gravis, obesse videtur auctoritas Aristotelis: cujus ex libro nunc deperdito sententiam Cicero memorat N. D. I, 38: *Or-*

Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse, et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis. Hanc dubitationem Tiedemannus, post alios, vera interpretatione tollit: qua primum repudiatur, tamquam contraria menti Ciceronis, eorum ratio, qui hanc volunt esse illius loci sententiam, *fuisse quidem Orpheum, sed eum non fuisse poetam*: deinde Aristotelis dicto talis tribuitur sensus, *Orpheum non fuisse auctorem carminum, quae ipsius nomine ferrentur.* Recte reprehenditur Huetius, qui dubitationi isti robur addere studebat ex loco Suidae, V. Ὀρφεὺς Ὀδρύσης, ubi memoratur Dionysii cujusdam judicium, *illum numquam fuisse.* Vere monet Tiedemannus, non illud sibi voluisse Dionysium, *nullum umquam Orpheum fuisse*, sed hoc, *Orpheum Odrysium, cui poemata quaedam tribuebantur, non fuisse.* Hoc satis debebat esse ad refellendum Huetii errorem. Nam, quae continuo additur alia ratio, *ipsum Suidam plures memorare Orpheos*, nullam habet vim; quippe Suidas non unus quidam est Auctor, qui ex sua ipse persona testimonium dicat, sed compilator variorum Auctorum, quorum sententias, modo consentientes modo repugnantes, peculiaribus locis refert. In eodem genere est alia Suidae reprehensio p. 106, quod ex uno Thalete duos fecerit. Sunt enim illa loca duo duorum Scriptorum excerpta, quorum dissensus non Suidae imputandus est. Et quod in priori illorum Thales va-

variis temporibus vixisse dicitur ab Auctore hujus excerpti; neque hic est error Auctoris, sed dissensus Historicorum, qui memorantur, Herodoti et Phlegontis. Ceterum *Dionysius* qui de Orpheo prodidit, videtur fuisse vel Scriptor Cyclicae Historiae, de quo notavit P. Wesselingius ad Diodor. Sic. I, 52. p. 220: vel *Dionysius Phaselites* in opere de Poetis, quem memorat Jonsius de Scriptor. H. Phil. IV, 19.

Sequitur acuta observatio, de caussa quare apud Homerum et Hesiodum nulla exstet Orphei mentio, cum tamen alii ejus fere aequales nominentur. Nimirum Orphei nomen demum ab Atticis Poetis per mysteria cognitum, ad aliorum hominum notitiam celebratum videtur. Porro, cum nonnulli abutantur Androtionis auctoritate, qui, teste Aeliano V. H. VIII, 6, prodiderat, *Thraces rudes et contemtores fuisse literarum, ac propterea vanam et fictam videri famam de sapientia Orphei:* haec igitur dubitatio tollitur observatione naturae humanae; quippe apud Graecos et alias gentes prius fuerunt Poetae, quam literarum aut ductus invenirentur aut monimenta proderentur.

Qui Orpheum non Thracem sed Aegyptium faciunt, temeritatis arguuntur; quippe qui vel sono vocis et vana etymologia nominis decipiuntur, vel nullam rationem fidei historicae habent. Eum tamen in Aegypto fuisse, manifesta produnt vestigia

My-

Mysteriorum, quae ab Aegyptiis profecta videntur. Hoc in loco satis modeste versatur Tiedemannus: neque, ut alii multi, affirmat, Mysteriorum originem solis deberi Aegyptiis; a quibus Orpheus illa acceperit. Quorum sententia nobis quidem semper temeraria visa est: cum haud levia sint argumenta, quibus efficiatur, Mysteria diu ante Orpheum in Samothracia viguisse. Nam Dardanus multo antiquior Argonautis, quorum socius perhibetur Orpheus, ex Tyrrhenia oriundus, Samothraciam veniens, Mysteria jam tum ibi coli solita ad certam religionis rationem redegisse videtur: si quidem conferatur cum Virgilio Aen. VIII, 207. Diodorus Sic. V, 49: et recte aestimentur, quae de illo viro collegerunt Simsonus Chron, A. M. 2526. Fabricius B. G. Vol. I. p. 25. et Heynius Excurs. VI. ad Virgil. Aen. III, 167.

Loco Herodoti celebrato, II, 53, omnis ab Orpheo et reliquis, qui ante Homerum et Hesiodum fuisse perhibentur, Poetis abjudicari videtur disciplina et institutio rerum divinarum. At Tiedemannus, post alios, eam rationem sequitur, ut Orpheum vindicet, cum Veterum consensu, tum Herodoti reprehensione, qui hac in parte summam Antiquitatis ignorantiam prodiderit. Melius fuerat Wesselingium sequi, qui reprehensionem istam interpretatione confutaverat. Dicit Herodotus, *Homerum et Hesiodum esse* οἱ ποιήσαντες θεογονίην

 Ἑλ-

Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες· οἱ δὲ πρότερον λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕστερον, ἐμοί γε δοκέειν, ἐγένοντο τούτων. Igitur, si cum Wesſelingio, ex Graecorum exquiſito uſu, ποιήσαντες accipiatur de iis *qui argumentum verſibus conſcripſerunt*, ſententia Herodoti probabilis exſtabit haec: *ex iis, quae tum temporis ferebantur ſcriptis de Theogonia carminibus, antiquisſima esſe carmina Homeri et Heſiodi, in quibus Deorum cognomina, honores, munera, artes, et ſpecies, deſcribantur: quae vero ferrentur alia, tamquam antiquiora, aliorum carmina, eorum auctores post Homerum & Heſiodum fuisſe.* Et Homerus quidem haud temere ad θεογονίην refertur: non quod hoc nomine carmen ſcripſerit: ſed quod de hoc argumento cum in Hymnis prodidit, tum multis locis Iliadis et Odysſeae.

Excitabimus ex hac Sectione tres obſervationes, quae nobis placuerunt, non quidem illas ex reconditis Antiquitatis monimentis, ſed ex prudenti naturae obſervatione, ductas. Prima est de opinione immortalitatis animorum apud Graecos, quae opinio recte judicatur domeſticum potius quam peregrinum et Aegyptiacum fontem habere: quippe quae, ſola monente natura, apud pleraſque incultas et rudes viguerit nationes. Altera est de antiquitate famae, qua Orphei ad inferos deſcenſus celebratur: quae fabula ex vetustisſima aetate repetitur, qua prae-

praestantissimis heroum descensus ad inferos, tamquam praecipua laus, adjungi solebat. Tertia in eo versatur, ut ostendatur, Orpheum summa carminis facultate valuisse minime ex eo consequi, quod admirabilem ejus cantus vim habuerit ad hominum animos deliniendos; nam in Musica, ut in reliquis artibus quibus sensus motusque animi propositus est, effectum non existere ex solo artis opere, sed ex natura et varietate animorum, ad quos illud opus adhibeatur; ut mediocri etiam cantu rudes et incultae aures incredibiliter moveri possint.

Sect. II. *De Placitis Orphei.* Constat, jam antiquissimis temporibus carmina sub nomine Orphei extitisse, vel a Pythagora vel ab Onomacrito suppofita: quae quidem triplicis generis fuisse videntur, *Hymni*, Τελέται seu *Initiationes*, *Theogonia*: de quibus probabiliter disputat Tiedemannus, eorumque indicem subjicit ex Fabricio aliisque repetitum. Porro constituit leges, ad quas exigatur judicium de placitis Orphei. Nam cum ejus placita, primum Pythagoras, deinde juniores Platonici ad suam doctrinam accommodarent, factum est ut difficile esset ad judicandum, quid vere Orphicum esset, quid secus. Itaque leges judicii constituuntur: *Ut Orphica habeantur ea placita, sub Orphei nomine commemorata a Scriptoribus, qui aetate Alexandrinos praecesserunt, quae placita repugnant doctrinae Pythagoricae :* tum, *in fabulari ratione ea, quae ab iisdem Scriptoribus tam-*

quam antiquissima referuntur, *neque Hesiodea sunt*; denique *res ab iisdem proditae*, *quae*, *quamvis silentio praetermissae ab Homero et Hesiodo*, *tamen non nisi in rudem incultamque Orphei aetatem convenire videantur.* Habent omnino hae leges aliquam notam, ad quam judicium regatur; sed tamen potius pertinent ad judicandum quid non sit Orphicum, quam quid sit Orphicum. Ceterum Alexandrinorum illa universa appellatio, quid sibi vult? Sunt ne ii, qui Alexandriae floruerunt ante Christum natum, quum a Ptolemaeis in ea urbe sedes doctrinarum constituta esset, sub quibus regibus in primis invaluit fraus illa librorum veteribus Auctoribus subjiciendorum? an ii, qui seculo demum post Christum tertio Alexandriae floruerunt in Philosophia ea, quae vulgo Eclectica vocatur. Priores profecto intelligendi sunt. Sed, secundum has leges, Orpheo tribuit haec placita, apud Platonem et Aristotelem prodita: *Oceani et Tethyos* .(non *Thetidis*, ut scriptum est, quod operarum vitiis tribuimus haud infrequentibus illis in hoc libro,) *connubium*, *et ex eo rerum procreatio. Elementa principiaque rerum esse Deos*: *Sidera esse Deos*: *Deum complecti universam naturam*: *Deos habere hominum et animalium figuras*: *Universum natum esse ex nocte*: quod non repugnat primo placito de Oceano et Tethye, quippe quod valet de Terra rebusque terrenis, cum hoc pertineat ad Universum: *Noctem*, *Coelum*, *Chaos et Oceanum di-*

diversis deinceps temporibus imperium rerum obtinuisse. Haec omnia placita nón nominatim ad Orphei, sed universe ad Antiquissimorum, auctoritatem refert Aristoteles: non tamen dubitat Tiedemannus ea ipsi vindicare Orpheo. His denique adjungit sententiam ejusdem, apud Plutarchum, *de ortu rerum omnium ex ovo.* Et in toto quidem hoc loco agnovimus Scriptoris acumen et subtilitatem: quamquam est ubi ab eo dissentiamus: veluti ubi dicit, opiniones, *de corpore animi sepulchro et carcere*, et, *animum per respirationem ex aere duci ac trahi in corpus*, has igitur, quamvis ab Aristotele in opinionibus vetustissimorum Physicorum numeratas, doctiores esse quam pro aetate Orphei. Nobis vero illa cum Mysteriorum instituto convenire, illa ab reliquis placitis Orpheo tributis non abhorrere, videtur. De *ortu rerum ex nocte*, poterat laudari Eudemi auctoritas, qui opinionem illam diserte Orpheo tribuit apud Damascium in Excerptis editis a Wolfio Anecdot. Gr. T. III. p. 256. Porro locus Aristotelis Metaph. XIV, 4, qui est in aliis editionibus XII, 4, non quidem est corruptus, sed tamen paulo difficilior quam reliqua oratio. Sensus ejus hic est: *Quidam theologorum hac aetate statuunt, pulchrum et bonum non prima esse, sed apparuisse demum, postquam rerum natura orta esset: — Veteres autem poetae cum illis conveniunt hac in parte, qua regnum et principatum tribuunt non primis, veluti Nocti, Coelo, Chao,*

vel Oceano, sed Jovi: quamquam hi quidem in eam sententiam inducuntur per hanc rationem, quod eorum opinione regnum et principatus ab uno deinceps ad alium venit. Igitur Aristoteles hoc placitum non tribuit veteribus Theologis, sed veteribus Poetis, quos a junioribus Theologis distinguit.

His aliud subjungitur placitum, quo *rerum procreatio ex aqua* per fabulam explicatur. Qui eam scripto mandarunt inter se comparantur, Athenagoras Leg. 15, 5. et Damascius in Exc. a Wolfio editis Anecdot. Gr. p. 252. Recte concludit Tiedemannus ex eo quod illud placitum abhorret a ratione Pythagorica, *non omnia ficta esse a Pythagoricis, quae posteriori aetate sub Orphei nomine ferebantur.* Sed quandoquidem Damascii locus ita turbatus est, ut ejus sententia vix appareat, age, eam constituamus. Capite XIII, primum, ex Rhapsodiis Orphicis, quae tum ferebantur, memoratur fabula de ortu rerum ex ovo: atque haec dicitur *consueta* seu *pervulgata Orphica Theologia.* Deinde alia de hoc argumento fabula, f. Theologia, Orphica excitatur ex Hieronymo et Hellanico, quorum nominibus Damascius adjicit haec verba, εἴπερ μὴ καὶ ὁ αὐτός ἐστιν, ut significet Hieronymum hanc rem ex Hellanico sumsisse, atque adeo ambos non nisi unam habere auctoritatem. Et Hellanicus quidem de Orphica Theologia prodidisse videtur in libro qui Νόμοι βαρβαρικοὶ inscriptus erat, quem laudat

Ety-

Etymol. M. V. Ζάμολξις: cui adjungendus est J. Jonsius de Scriptor. Hist. Phil. I, 10, 2. In hac igitur Theologia rerum ortus ducebatur *ex aqua et materia*, ex quibus tertium principium, *Draconis forma*, natum esset. Nam p. 254. lin. 3. pro φημὶ legendum est φησὶ, ut non Damascius, sed Orphicus Auctor apud Hellanicum, loquatur. Sequitur Damascii interpretatio hujus fabulae. Capite XIV, tertia excitatur Orphica fabula ex Eudemo, qua *rerum principium tribuitur Nocti*. Verba haec sunt Damascii: Ἡ δὲ παρὰ τῷ Περιπατητικῷ εὐδήλως ἀναγεγραμμένη ὡς τοῦ Ὀρφέως οὖσα θεολογία πᾶν τὸ νοητὸν ἐσιώπησεν· ὡς παντάπασιν ἄρηκτόν (leg. ἄῤῥητόν, cum Wolfio) τε καὶ ἄγνωστον τρόπον, κατὰ διέξοδόν τε καὶ ἀπαγγελίαν· ἀπὸ δὲ τῆς νυκτὸς ἐποιήσατο τὴν ἀρχήν. Manifestum est, Orphicam sententiam ex Eudemo proferri, qui eam in *Astrologumenis* prodidisse videtur: de quo opere videndus est J. Jonsius de Scriptor. Hist. Phil. I, 15, 1. Hoc igitur nomen Damascio restituendum, et reliqua loci pars ita constituenda est: Ἡ δὲ παρὰ τῷ Περιπατητικῷ Εὐδήμῳ ἀναγεγραμμένη —— ἄῤῥητόν τε καὶ ἄγνωστον τόπον, κατὰ cet. Sensus est: *Quae vero apud Peripateticum Eudemum traditur, tamquam Orphei, Theologia, omne Intelligibile silentio praetermisit; utpote locum incognitum et inexplicabilem cum tractatione tum oratione: initium vero a Nocte fecit.* Pergit

Damascius, ex sua ipse persona loquens: ἀφ' ἧς (νυκτὸς) καὶ Ὅμηρος, εἰ καὶ μὴ συνεχῆ πεποίηται τὴν γενεαλογίαν, ἵςασιν· οὐ γὰρ ἀποδεκτέον Εὐδήμου λέγοντος, ὅτι ἀπὸ Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἄρχεται. Φαίνεται γὰρ εἰδὼς, καὶ τὴν Νύκτα μεγίςην οὕτω θεὸν, ὡς καὶ τὸν Δία σέβεσθαι αὐτήν· Ἅζετο γὰρ μὴ νυκτὶ θοῇ ἀποθύμια ῥέζοι. Cujus loci haec est sententia: *a qua (Nocte) Homerus quoque initium duxit, quamquam non continuam Genealogiae descriptionem tradidit. Non enim probandus est Eudemus, qui ait, Homerum ab Oceano et Tethye initium duxisse. Apparet enim, eum Noctem pro maxima Dearum accepisse, adeo ut ipse Jupiter eam revereretur; quum ita de eo canit: „ Verebatur enim, ne ingrata faceret „ Nocti celeri.“* Ἵςασιν vel abesse potest, salva sententia, vel mutandum in ἵςησιν, quod apud ejus aevi Scriptores tali constructione et sensu non infrequens est. Locus vero Homeri, quem laudat Damascius, est Il. Ξ, 261.

Progreditur Tiedemannus ad judicium de antiquitate vel novitate carminum, quae supersunt, nimirum Fragmentorum et Hymnorum; nam Argonautica nullam habent conjunctionem cum consilio hujus scriptionis, quod pertinet ad physicam rationem. Et primum de Fragmentis, quae in Gesneriana editione exstant, judicatur; cum ex legibus supra memoratis, tum ex colore orationis et ratione carminis.

Pri-

Primum et ſecundum recte rejicitur ad fraudes Ariſtobuli Judaei; quamquam notandum erat, nonnullos iis admixtos eſſe antiquos verſus: veluti II, 1: Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις: qui est apud Platonem Symp, p. 334. C: et in eodem fragmento verſus 36, qui repetitus est VI, 10. Sextum et ſeptimum vindicantur antiquiori aetati, cum ex colore carminis, tum ex veſtigiis Pythagoreae doctrinae.

De Hymnis ex eadem obſervatione ſtatuitur: ſimul acute animadvertitur, eos non eſſe unius generis, alios referri ad *Initiationes*, alios ad *Incantationes*, alios ad *laudes Deorum:* itaque eos nec aetatis nec Auctoris ejusdem eſſe. Hoc loco reprehenduntur V. V. Cl. Meinerſius, eumque ſecutus Schneiderus, qui Analect. Crit. p. 58, Orphicos, qui ad noſtram aetatem venerunt, Hymnos recentisſimis demum temporibus confictos eſſe ſtatuit. Recte Tiedemannus monet, jam antiquisſimis temporibus, Deorum nomina tributa eſſe rebus naturalibus, et *vetuſtisſimos* etiam poetas haud uno loco Allegoriam ſecutos, neque eam demum inventum poſterioris aevi eſſe. Ceterum, ut ipſe fatetur, probabilius de Hymnorum auctoritate disputaturus erat, ſi Antiquorum testimonia, quibus Hymni illi memorentur, ei cognita fuisſent. Ex quo quidem genere aliquid propediem novi prolatum iri ſperamus a Ruhnkenio in nova editione Epiſtolarum Criticarum. Finis impo-

ponitur huic parti constituenda forma Cosmogoniae Orphicae: quae, praetermissis ob incertam auctoritatem Hymnis et Fragmentis, ex Athenagora et Damascio colligitur, et judicatur fons extitisse Hesiodeae Theogoniae.

Tali nobis argumenti explicatione Tiedemannus V. Cl, probavit dotes, quas supra memoravimus. Nam, ut fontes subinde accuratius tractandi fuerint, tamen quae antea dispersa erant, nunc in unum locum congesta, et ad rationem digesta sunt, cum scientia Philosophiae et Antiquitatis, tum judicio et subtilitate.

VII.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ περὶ Ἑρμηνείας Βιβλίον. DEMETRII *de Elocutione Liber. Curavit* JOHANN. GOTTLOB. SCHNEIDER. 8. *Altenburgi, ex bibliopolio Richterio.* 1779.

Libellus, quamquam non ex ejus, cujus vulgo fertur, Demetrii Phalerei profectus est capitali ingenio, valde tamen est commendandus, cum a praeceptorum diligentia et brevitate, tum ab exemplorum ſuavitate ac varietate; ut haud parum gratiae apud elegantioris doctrinae ſtudioſos iniisſe videatur Schneiderus V. Cl, qui eum novo cultu et typographico et critico ornatum denuo edidit. Hujus critici cultus quae ſit vis et ratio ſpectabimus, primum ex praefatione Editoris, tum praecipue ex ejus Animadverſionibus.

Igitur priore praefationis parte disputatur de libelli Auctore: qui, cum aliis Interpretibus ex ſententia Mureti, ſtatuitur fuisſe Demetrius Alexandrinus, cujus aetatem in Marci Antonini tempora retulit Th. Galeus. Poſteriore parte exponitur de ſubſidiis, quae ad hanc editionem adhibita ſunt. In his ſcriptus quidem liber nullus, ceterum editi omnes ſunt. Caſelii quoque liber de Eloquentia, *Phalereus* in-

inſcriptus, ad partes vocatus est; cum neglectus fuisſet a ſuperioribus Editoribus, et haberet tamen multa ad emendandum illuſtrandumque Demetrium adjumenta. Quod vero Capperonnerii correctiones, adſcriptae ab eo ad marginem exempli Galeani, magnifice praedicantur, magis ex liberalitate Schneideri, quam rei veritate, accipiendum est; quippe ſunt et leves et paucisſimae.

Ad haec ſubſidia quum accederet Editor, qui haberet uſum et ſcientiam Graecarum literarum; non temere quis exſpectaverit, et nos quidem exſpectavimus, inſignem in hac editione navatam esſe operam. Et erat ampla hujus libri materies ad omne Criticae munus exercendum: ſive in comparatione, cum Ariſtotelis, ex quo maximam doctrinae partem hauſit Demetrius, tum aliorum, qui in eodem argumento verſati ſunt, veluti Ciceronis, Dionyſii Halicarnasſenſis, Quinctiliani, Ariſtidis, Hermogenis, Longini: ſive in cognitione Auctorum, ex quibus exempla deſumta ſunt: ſive in emendatione orationis Graecae. Nunc animadverſiones adjectae ſunt non quidem contemnendae illae, ſed tamen ejusmodi in quibus haud raro Interpretis officium deſideretur, praeſertim in praeceptis illuſtrandis per comparationem aliorum Auctorum, et explicandis ad ſuasque ſedes referendis ac notandis exemplis. In quo genere quosdam commemorabimus locos.

Sect. VI. Xenophontis dictum de fluvio Teleboa,

boa; οὗτος δὲ ἦν μέγας μὲν οὐ, καλὸς δέ, est in Exped. Cyri, non libro ſexto, ut Galeus notaverat, ſed quarto, 4, 2. S. X. Auctor, ex quo locus excitatur, est Demosthenes initio orationis contra Leptinem, quod vel Galeus monuerat. S. XXV. Poetae locus est Homeri Il. I, 522, laudatus in eodem argumento ab Ariſtotele Rhet. III, 9, 4: quod idem jam notaverat Galeus. S. LI. Platonis verba ſunt Rep. III. p. 442. C. S. LVI. Ejusdem Platonis dictum, ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεύς, in Phaedro exſtare, a Victorio monitum erat: ſedes ejus est p. 344. H. S. CXLVI. Sapphus dictum notandum erat alterum, πέρροχος, ὥσπερ ἡ Σελήνη τῶν ἄλλων ἄστρων. Comparatio, frequens apud alios Auctores, ad Sapphus auctoritatem refertur ab Juliano Ep. XIX. p. 387. A. Σαπφὼ ἡ καλὴ τὴν Σελήνην ἀργυρέαν φησὶ καὶ διὰ τοῦτο τῶν ἄλλων ἀστέρων ἀποκρύπτειν τὴν ὄψιν. Idem eam transtulit ad Euſebiam, Conſtantii Imperatoris uxorem, Or. III. p. 109. C. Horatius vero ad Jul. Caeſarem, Carm. I, 12, 47: *micat inter omnes Julium ſidus, velut inter ignes Luna minores.* Libanius quoque imagine uſus est Or. VIII. p. 231. C. Ex Philoſtrato vero Ep. XXXIII, colligatur, Sapphus fuiſſe alium etiam locum, quo Sol in eadem comparatione poneretur. Poetriae verſus memorat Tollius ad Longin. XVII, 7, nec monet unde eos habue-

buerit. S. CLI. Ad Sophronis locum laudanda erat correctio P. Leopardi Emend. X, 22.

Et haec quidem exempli caussa notasse satis est. Neque enim ita judicamus, ac si hanc partem plerumque neglexisset Editor. Immo, et in hac et in reliquis partibus, multum attulit adjumenti ad intelligentiam hujus libri, cum ex superiorum Interpretum copiis, tum ex sua ipse observatione. Atque, ut nil dicamus de aliis animadversionibus, quae recte et utiliter exprompte sunt ad explicationem emendationemque rerum et verborum, proponamus eas quae in primis indicium doctrinae et acuminis habent.

Sect. LVI. Xenophontis orationem reddit efficaciorem, inserta particula δὴ initio Memorabilium Socratis: Πολλάκις ἐθαύμασα τίσι δή ποτε λόγοις Ἀθηναίους ἔπεισαν: ita enim locum exhibet Gregorius in Commentario ad Hermogenem p. 906, apud Reiskium Orat. Gr. Vol. VIII. Sect. LVII. non indocta est observatio de Praxiphane, cujus auctoritate utitur Demetrius. S. LXXXV. Θέογνις παρατίθεται, recte explicatur sensu passivo, *Theognis adfertur*, nimirum ab Aristotele, qui eundem locum proposuerat Rhet. III, 11, 4, omisso Auctoris nomine. S. LXXXIX. Complures loci Xenophontis, in libello de Venatione, vindicantur a crisi nuperrimi Editoris, Zeunii, et rectius explicantur. S. CX. et alibi monetur, Scholiastem Hermogenis multa ex De-

Demetrio ſumſiſſe: atque hac comparatione utrique ſubinde lux accenditur.. S. CVIII. Πεϱφύϱα πλατεία vere exponitur *latus clavus Romanorum*; unde quoque argumentum ducitur de aetate recentiore Demetrii. S. CCXLIII. idem ducitur argumentum ex voce ἀλληγοϱία, cujus uſus poſterioribus demum temporibus invaluit, pro ὑπόνοια, quod Veteres hoc ſenſu frequentaverant. S. CCCIV. locus Clitarchi de *Tenthredone* animali, post Victorium, comparatur cum Diodoro Siculo, qui exſcripſit illum T. II. p. 218: tum opportune obſervatur, ex eodem Clitarcho ſumtam eſſe hujus animalis deſcriptionem a Scholiaste Nicandri Alexiph. 183; cujus comparatio multum valet ad pleniorem et Diodori et Demetrii intelligentiam.

Nos, quo magis has obſervationes probamus, eo magis dolemus, non plus etiam diligentiae temporisque in hac editione conſumtum fuiſſe; ſive ea festinatio fuerit ipſius Editoris, ſive bibliopolae. Utile quoque fuerat Indices adjicere, Rerum, Auctorum, et Verborum. Nunc nullum omnino haec editio Indicem habet, nec ad ipſum Demetrium, nec ad Animadverſiones Editoris. Nam quod Latina verſio abest, non reprehendimus. Neque vitia typographica, haud infrequentia illa, Editoris potius quam bibliopolae tribuimus negligentiae.

VIII.

ΓΑΛΗΝΟΥ Προτρεπτικὸς ἐπὶ τέχνας. GALENI *Admonitio ad Literas addiſcendas. Primum Graece ſeparatim edidit; Editiones principes inter ſe contulit; Locos quam plurimos emendavit, explicavit, illuſtravit; Jani Cornarii celeberrimi olim Jenenſium Medici correctiones adjecit; Indices locupletisſimos addidit, Joannes Georgius Guilielmus Koehlerus, A. M. Ordinis Philoſophici in Acad. Jenenſi Adjunctus, Societatis Latinae Jenenſis et Marchico-Badenſis Coll. Honorar: et apud Colmbergenſes prope Onoldum V. D. Miniſter.* 8. *Lipſiae.* 1778.

Quum ſaepius in manus noſtras incideret hic libellus, factum est ut, quoties argumenti praeſtantia nos ad ejus cenſuram alliceret, toties ab ea nos averteret editionis futilitas. Tandem valuit apud nos Galeni auctoritas et mira doctrinae ſuavitas; ut, ſi operam Editoris laudare non poſſemus, vacuam hanc partem ſuppleremus animadverſionibus, quibus libelli intelligentia aliquot locis planior faciliorque redderetur.

Sed

Sed tamen de ipſa quoque editione dicendum est, licet injucundum ſit. Et primum quidem inſcriptio plena est vanitatis, quae cum per ſe ipſa in legentium oculos incurrit, tum magis etiam apparet ex ſingularum ejus partium cognitione. Eamus igitur per partes, ut videamus.

Quid dignum tanto ferat hic promisſor hiatu?

Primum Graece ſeparatim edidit.) Quam ſententiam tribuat Editor his verbis, ipſe viderit. Nam etſi Fabricius in Bibliotheca Graeca nullas memoraverit peculiares hujus libelli editiones: tamen *ſeparatim* a reliquis Galeni ſcriptis editus est aliquoties. Meminimus nos videre duas editiones in Britannia factas: et credibile est alias praeter has prodiisſe, libri in primis ad ſtudia juventutis accommodati. Sed hunc errorem ut facile condonamus Editori, ita vanitas tamen ejus inde cognoſcitur.

Editiones principes inter ſe contulit.) Hae ſunt Aldina, Baſileenſis, et Charteriana. Nos hoc quidem munus non ſevere ab Editore exigebamus. Sed tamen, quia ipſe illud profesſus est, notamus, eum hanc comparationem ſubinde neglexisſe: veluti, Cap. XII. τῶν μελῶν τὶ, ubi τὶ omittitur in Baſileenſi: ibidem pro εὐτυχεῖται eadem editio habet εὐτύχηται: Cap. XIII, dedit χονεῖσθαι, pro vera lectione editionum χονίεσθαι· Verum, quod diximus, illas duas profesſionis partes ne memorasſemus quidem,

ſi in reliquis vel mediocriter verſatus eſſet. Has age videamus.

Locos quam plurimos emendavit.) Dubii ſumus, impudentiamne an ſtuporem Editoris magis miremur. Impudens ſit, qui profiteatur ſe plurima praeſtitisſe in eo genere, in quo nihil omnino praeſtitit: ſtupidus, qui ſperet neminem fore, qui hanc vanitatem animadvertat. Sed malumus lenius judicare, ac potius hoc ignorantiae tribuere Editoris, qui plane ignorasſe videtur, quid ſit *emendare.* Nam locos corruptisſimos, non tantum ſilentio praeteriit multos, ſed multos etiam tamquam ſanos vindicavit. Itaque Cap. VII. Καλὸς οὖν, ἦ φησὶν ὁ Πλάτων, θησαυρὸς αἱ τῶν πατέρων ἀρεταί· reprehendit Charterium, qui dedit ἦ loco vitioſi ἢ, quod est in Aldina et Baſileenſi, et ipſe verum judicavit Kochlerus accipiens pro ἀληθῶς, ὄντως: neſcius ἦ dici pro ὡς. Igitur ne exſpectandum quidem erat, ut quid corrupti emendaretur ab eo, qui vel haec pervulgatisſima neſciret et ſana adeo corrumperet: neque etiam poſtulandum, ut locum dicti Platonici notaret, quod exſtat in Menexeno p. 408. C., et repetitum est in libro, qui ſub Plutarchi nomine fertur, de Liberorum Educatione p. 1. B. Porro Cap. IX. πεττευριπτεῖν, quod vix puer ignoret esſe εὖ ῥίπτειν τοὺς πεττοὺς, *bene jacere talos*, novus Interpres nova ratione ducit ex πέτραυρα *bellica machina.* Ad ſummum

mum ſtuporem accedit etiam puerilis vanitas: *De vocabulis*, inquit, πέταυρα, πέταυρον et πέτευρον *quaedam habet Heſychius ejusque interpretes T. II. p. 947. ſeq. quaedam etiam Hemſterhuſius ad Pollucem X, 156. p. 1342: plura vero Jo. Matthias Gesnerus, gentilis meus, in Theſ. Ling. et Erud. Rom. T. III. p. 855.* Ita ſolent pueri, quum ipſi nequeunt aliquid facere, jactare ſe habere vel fratrem vel cognatum, qui egregie hoc facere poſſit, ejusque commemoratione laudem quaerunt. Atqui Koehlero, qui tam hebes ſit, gentilitas Gesneri quam laudem habeat non intelligimus. Ceterum non deerat materia ad emendandum: et multi erant in hoc libello loci, quorum vitium mediocri acumine Interpres vel corrigere, vel certe animadvertere, poterat. Veluti Cap. I. πρόδηλον ἡμῖν ἐστὶν, ὁρῶσι τό γε πλῆθος τῶν τέχνων ὧν μεταχειρίζεται τὸ ζῶον τοῦτο, καὶ ὅτι μόνος ἄνθρωπος ἐπιστήμης ἐπιδεκτικός, cet: una litera mutata, conſtituitur oratio, pro γε repoſito τε. Cap. II. de Fortuna dicitur, eam πλουτίζειν τοὺς ἀναξίους· οὐδὲ τούτους βεβαίως, ἀλλ' ὅσον πάλιν οὕτως ἀφαιρεῖσθαι τὰ δοθέντα. Nemo facile ſit, cui non displiceat οὕτως: nobis legendum videtur αὐτῶν, *dona rurſus ab iis aufert.* Cap. III. Mercurii imago ab Antiquis deſcribitur diverſa ab imagine Fortunae: Τὸν δ' Ἑρμῆν — ἐξ ὑπεναντίου τὴν Τύχην, κεκοσμήκασι πάλιν οἱ γρά-

 φον-

φοντες τε καὶ πλάτ]οντες: corrigendum —, ἐξ ὑπεναντίου τῇ Τύχῃ κεκοσμήκασι πάλαι —, Mercurius fingitur: Νεανισκός ἐστιν ὡραῖος, οὐκ ἐπί-κλητον οὐδὲ κομμωτικὸν ἔχων κάλλος; ἀλλ' εὐθὺς ὥστε συνεμφαίνεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν δι' αὐτοῦ. Omnia funt plana, excepto εὐθύς: fenfus etiam apparet, *Mercurii pulchritudinem esse nativam*. Nos, quum αὐτοφυὲς remotius fit a vestigiis vulgatae, corrigimus ἐμφυές, quae vox eo facilius obliterari potuit, quo est exquifitior: altera ufus est Galenus in fimili comparatione, cap. X. Ceterum in hac editione cum alia funt operarum vitia, tum hoc loco τύχης pro ψυχῆς. Cap. IV. Fortunae focios dicit ὀχουμένους δ' ἐξ ἐλπίδων ἀεὶ, quod nullum habet fenfum, nifi ἐξ mutetur in ἐπ'; ita Graeci dicunt ὀχεῖσθαι ἐπ' ἐλπίδος, *vehi spe tamquam navi*: vid. Valckenarius Diatr. Eur. Fragm. p. 240. Ibid. Ὄψει δὲ καὶ Πρίαμον καθειργμένον: forte fint qui de Priamo *oppugnato* accipiant: qui acutiori fint fenfu, eam interpretationem repudient, et legant καθῃρημένον, *sublatum*. Sed pergamus ad aliam partem.

Explicavit). Et hoc quid esfet ignoravit Editor. *Explicare* dicitur, qui locum fanum quidem, fed tamen impeditum vel difficilem, ad fententiae rationem redigit et interpretatur. Atque, ut fere *illustratio* ad res, ita *explicatio* ad verba refertur. Et ad fingularia quidem verba explicanda frequenter adhibet

bet Lexicographos veteres, Hesychium, Pollucem, Etymologicum: dubium, majorine vanitate an inscitia. Atque hac quoque in parte similis est pueris, qui opifices, v. c., fabros, imitari cupiunt, et majoribus malleis ac forcipibus ferrum tundere aggrediuntur, ut ipsi quoque nimirum viri videantur; at vero imbecillae manus nequeunt sustinere pondus, instrumentum e manibus excidit, forte quoque misellos aliqua corporis parte laedit. Ita Koehlerus, quum non caperet vim ac momentum veterum Lexicographorum, iis adhibendis non tantum operae pretium non fecit, sed in errorem inductus est. Igitur non percepit venustatem comparationis, cap. VI: οὐδ' ὁ ταῖς κρήναις τοὺς τοιούτους εἰκάσας ἄμουσός τις ἦν· καὶ γὰρ καὶ οἱ ἀπὸ τῶν κρηνῶν ὑδρευόμενοι πρόσθεν, ἐπειδὰν μηκέτ' ἔχωσιν ὕδωρ, ἀνασυράμενοι προσουροῦσι. Sensus est: *haud invenustus fuit homo, qui divites ad paupertatem redactos comparavit fontibus; nam et ii, qui antea aquati sunt ex fontibus, in eosdem exsiccatos immingunt sublatis vestibus.* Adeo pervulgatam significationem verbi ἀνασυράμενοι ignoravit, ut ei hanc notulam adjiceret: „*prae* „*pudore*, vel etiam *dissimulandi causa*, *obducta* „*veste.* Hesych. Ἀνεσύρατο· ἄνω τὰ ἱμάτια „ἔσυρεν. Ἀνασῦραι· ἀποκαλύψαι, ἢ περιποιῆσαι" Ergo ne Hesychium quidem intellexit. Sed haec notula, quamvis plena stuporis, acuta est prae altera, quae deinceps sequitur, ad verbum προσουροῦσι. Ea

 vero

vero tam excellens est in hoc genere, ut male de legentium studiis mereri nobis videamur, nisi eam commemoremus: „ προσουρέω, proprie *secundo* „ *vento utor*: hoc loco, *celeriter*, *quemadmodum* „ *navis*, *quae secundo vento utitur*, *praeterire*" Doctus profecto sit vir, qui perspiciat mentis acie quod nemo mortalium perspexit, προσουρεῖν non esse *admingere*, sed *secundo vento navigare*. In eodem capite aliud exstat acuminis documentum. Galenus dixit: *Turpe esse, servum drachmas valere decem mille, dominum vero ejus non unam drachmam*: Interpres docet, „ *de drachmis Aegyptiis hoc loco non accipien-* „ *dum; quippe Galenus scriptor Atticus.*" Cap. XIII: διηγησαίμην ὑμῖν τὸν μῦθον ἐκεῖνον, ὃν τῶν οὐκ ἀμούσων ἀνδρῶν τις ἐντείνας ἔπεσι διεσκεύασε. Reprehendit Charterium, qui recte ceperat ἐντείνας. Sententia haec est: *narrarem vobis fabulam illam, quam vir quidam haud invenustus in versus redegit, ac tractavit.* At noster Interpres docet, „ *hoc verbum,* „ *si in participio alii verbo jungatur, significare ani-* „ *mi aut vocis contentionem, vim, gravitatem.*" Nos nolumus abuti opera colligendis exemplis illius significationis, quae satis frequentia sunt. Potius verbum restituamus Auctori de Vita Arati ap. Petavium Uranolog. p. 148. Narrat, Antigonum Macedoniae regem Arato dedisse Eudoxi librum et petivisse, τὰ ἐν αὐτῷ καταλογάδην λεχθέντα περὶ τῶν φαινομένων μέτρῳ ἐντεῖναι; vulgo legitur εἶναι.

Vi-

Videamus aliud Explicationis officium, quod verſatur in locis aliunde excitatis ad ſuos Auctores referendis. Quo quidem in genere vix unum et alterum locum notavit Editor, pleroſque ignoravit, quoſdam etiam falſa Explicatione pervertit. Cap. VII, laudatur haec ſententia:

Οὐδ' εὐγένεια σ' ἦγεν εἰς ὕψος μέγα,
Καλὸν τὸ μὴ ἔχειν, τὸ γένος οὐκ ἔβοσκέ με.

Addit Interpres: „*Ex quo poëta Comico ſumtum ſit* „ *hoc diſtichon, dicere equidem nequeo. Qua de re* „ *etiam ne ex verborum quidem comprehenſione ſenſum* „ *expedire posſum.*" Igitur ad emendandum accedit: et quandoquidem graviora eſſe pro manuum imbecillitate expertus erat Lexicographorum veterum inſtrumenta, ecce confugit ad leviora, et ex angulo eruit puerile inſtrumentum, Lancilloti cujuſdam ſuperiori ſeculo Gallice ſcriptum, *Novam Methodum discendae linguae Graecae*; atque hujus ope fabricatur novam lectionem verſu ſecundo: Κατὰ τὸ μὴ ἔχειν, ſc. ἐστι. Deinde probat *ingenioſam conjecturam Seyboldi ſui, Viri clarisſimi, qui pro* κατὰ *maluerit* καὶ, *utpote metro convenientius, et* ἔβλαψε pro ἔβοσκε. Dignum discipulo magiſtrum! Coecus coecum ſi ducet, ambo in foveam cadent: ita vanus vanum ſi ducet, ambo in inſcitiam incident. Atqui locus non opus habebat iſta medicina,

quippe sanissimus. Exstat apud Euripidem Phoenisſ. 407: prior versus ex Jocastae, alter ex Polynicis persona dicitur. Et hi tamen sunt magistri Aesthetici, qui sibi soli sapere videntur, reliquos diligentioris studiosos doctrinae, tamquam operarios, contemnunt. Operae pretium est cognoscere vanitatem Seyboldi, qui de Aesthetica sua ita professus est, ut non Professor ex cathedra pronunciare, sed praestigiator in foro multitudinem ad spectaculum artificii convocare videretur. In Commentatiuncula de Eloquentia Homeri, Jenae A. 1771. edita, ut alia omittamus, ita effatur: „ In iis quae ad αἰσθητικὰ „ pertinent, nondum exhaustus est fons artis Ho„ mericae. Cum enim Critici superiorum tem„ porum vix aliud quidquam in iis, quae nobis re„ stant, monumentis Graecorum spectarent, quam „ varios verborum usus, lectiones in variantibus „ probabiliores, significationes rariores, prae his in „ ingenium scriptorum inquirere, idque ex tempo„ rum, gentis, et patriae ratione colligere, ut „ mitius dicam, obliti sunt. Quod cum cogito, et „ cur Critica per ducentos amplius annos, non eos, „ quos aliae scientiae, breviori longe temporis spa„ tio, progressus fecerit, inquiro, ratio maxime „ probabilis videtur mihi haec, quod Philosophia „ contemtum sui ita sit ulta, ut Kusteros Bentlejos„ que ad steriliorem rerum, quae ad solam Gram-

„ ma-

„ maticam pertinerent, indagationem condemnaret,
„ marmoreamque illis Musae Graecae imaginem vita
„ carentem, pro vera illa, tota vivente, tota Gra-
„ tias spirante, daret amplectendam. Ex quo enim
„ Critica scholas frequentavit Philosophiae, et Baum-
„ gartenii τὰ αἰσθητικὰ docuere, Homii fontes
„ ejus, quod pulchrum et sublime est, ex naturae
„ nostrae ingenio eruerunt, Herderi locum, (Stand-
„ punkt) ut ita dicam, unde circumspiciendum est
„ in agmina Scriptorum, monstrarunt, ex illo tem-
„ pore laetior mihi facies illuxisse videtur Criticae".
Qui de Bentlejis et Kusteris ita pronunciet, is profecto, ut nos quoque mitius dicamus, eo loco est, ut de tantorum virorum magnitudine ne suspicari quidem possit. Et dubii sumus, petulantiamne an inscitiam prius miremur istius doctoris. Qui, si antea humi pennas instruxisset, quam *sublime* evolasset: si non ex *loco* et longinquo *in Scriptorum agmina circumspexisset*, sed eos e propinquo et interius inspexisset; non adeo turpiter lapsus esset, ut et ignoraret Graecum versum esse Euripidis ex pervulgata et a pueris adeo lectitata fabula, et eum contra sententiae ac metri rationem corrumperet. Sed age, relicta paulum injucunda illa errorum notatione, ad ipsum digrediamur Galenum, et ejus quosdam in hoc genere locos ad suos Auctores referamus.

Cap. I. Distributio λόγου in προφορικὸν et ἐνδιάθετον,

θετον, quorum hic tribuitur etiam brutis, sumta est ex Stoica disciplina. Comparandus est Porphyrius de Abstin. III, 2, cujus locus huic adeo similis est, ut ex eodem fonte haustus videatur.

Ibid. Ἀλλὰ καὶ τὰ γῆς νέρθεν καὶ τὰ ὕπερθε τοῦ οὐρανοῦ, κατὰ Πίνδαρον, ἐπισκοπεῖ. Locus Pindari exstat apud Platonem Theaetet. p. 127. F. ἡ δὲ διάνοια - πανταχῆ φέρεται, κατὰ Πίνδαρον, τα τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα· Platonem imitatus videtur Galenus. Nam ex eodem sunt proxima: ἐξεπορίσατο δ' ὑπὸ φιλοπονίας καὶ τὸ μέγιστον τῶν θείων ἀγαθῶν, φιλοσοφίαν. Platonis sententia, celebrata frequenti posteriorum imitatione, exstat in Tim. p 533. D: ἐξ ὧν ἐποϱισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν, οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν.

Cap. VI. Καλῶς οὖν καὶ ὁ Δημοσθένης καὶ ὁ Διογένης· ὁ μὲν χρυσᾶ πρόβατα καλῶν τοὺς πλουσίους καὶ ἀπαιδεύτους· ὁ δὲ ταῖς ἐπὶ τῶν κρημνῶν συκαῖς ἀπεικάζων αὐτούς· ἐκείνων τε γὰρ τὸν καρπὸν, οὐκ ἀνθρώπους, ἀλλὰ κόρακας καὶ κολοιοὺς ἐσθίειν· τούτων δὲ τὰ χρήματα μηδὲν μὲν εἶναι ὄφελος τοῖς ἀστείοις, δαπανᾶσθαι δὲ ὑπὸ τῶν κολάκων. Demosthenis sententia in ejus, quae supersunt, scriptis non est. Sed in apophthegmatum auctoritatibus mire turbatur. Diogeni tribuitur apud Diog. Laërt. VI, 47: τὸν πλούσιον ἀμαθῆ, πρόβατον εἶπε χρυσόμαλλον.

Si-

Simile dictum Socratis memoratur a Stobaeo S. IV. p. 56: Σωκράτης ἰδὼν μειράκιον πλούσιον καὶ ἀπαίδευτον, ἴδε, ἔφη, χρυσοῦν ἀνδράποδον. Ab eodem exemplo ducta esse videtur Propertii admonitio ad Cynthiam, de emungendo amatore divite, II, 16, 7: *Quare, si sapis, oblatas ne desere messes, Et stolidum pleno vellere carpe pecus.* Alterum dictum item ad Diogenem refertur a Diog. Laërt. VI, 60: τοὺς ἀσώτους εἶπε παραπλησίους εἶναι συκαῖς ἐπὶ κρημνῷ πεφυκυίαις, ὧν τοῦ καρποῦ μὲν ἄνθρωπος οὐκ ἀπογεύεται, κόρακες δὲ καὶ γῦπες ἐσθίουσι. Auctius refertur a Stobaeo S. XC. p. 506. sub nomine Diogenis: et S. XV. p. 152, sub nomine Cratetis. Sententiam expressit Strato, ut docte observavit Eldikius Susp. Spec. p. 31. Epigramma emendatius editum est a Brunckio Analect. T. II. p. 365.

Verum ne plura notemus dicta, quorum Auctores ab ipso Galeno significati sunt: videamus de iis sententiis, quae, omisso Auctorum nomine, in rem suam vocavit aut imitatus est Galenus. Cap. X. cum ait: *In omni re graviore peragenda, homines non solere sequi opinionem multitudinis, sed sententiam unius peritissimi:* haec tam similia sunt iis, quae apud Platonem disputantur Alcib. I. p. 28; ut inde sumta esse appareat. Cap. XI. ὡς ἐν βορβόρῳ πολλῷ τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν ἔχουσι κατεσβεσμένην, ductum est

ex

ex celebrata Platonis ſententia Rep. VII. p. 488. A. ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινὶ τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορορυγμένον: de qua ſententia plura notavit Wyttenbachius ad Plutarch. Ser. Num. Vind. p. 95. Ibidem de Athletarum corporibus dicitur: τὰ δὲ λυγισθέντα τῶν ἀρθρων ἀσθενῆ πρὸς πᾶσαν τὴν ἔξωθεν βίαν γίνεται, καὶ πᾶν ῥῆγμα καὶ σπάσμα ῥαδίως κινεῖται: expreſſum est ex nobili dicto Demoſthenis Olynth. II. p. 7: B. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, τέως μὲν ἂν ἐῤῥωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν· ἐπὰν δὲ ἀῤῥώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα, κἂν στρέμμα, κἂν ἄλλό τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ. Sed jam redeundum ad Editorem, ejusque profeſſionis alia deinceps pars ſpectanda est.

Illuſtravit.) Forte hac in parte melius res gesta est, quippe quae magis Historiae et Antiquitatis ſcientia continetur quam Grammatica ratione? Quod qui cognoscere cupiunt, ſatis exiſtimare poterunt ex duobus ſpeciminibus: neque praeterea quidquam requirent. Cap. VII mentio fit Chryſippi et Arati, qui doctrina et ingenio famam addiderunt patriae ſuae, *Solis*. Hanc igitur, quam vix puer ignoret celebrem fuiſſe Ciliciae urbem, in Siciliam transponit, et *Soluntem* facit, ignobile oppidum prope Panormum. Deinceps ad *Hyperboli* mentionem, notat:

tat: „*de Hyperbolo Atheniensi plane nihil mihi notum.*"
Nusquam verior est Koehlerus, quam in ignorantiae confessione. Nos, ut confessionem laudamus, ita ignorantiam ejusmodi reprehendimus in eo qui jactet, *se plurimos Auctoris locos emendasse, explicasse, illustrasse.* Atqui Hyperboli nomen pervulgatissimum est apud Aristophanem; cum in reliquis fabulis, tum in Nubibus, quae a pueris adeo lectitatur, in eorumque usus saepius edita est.

Jani Cornarii, celeberrimi olim Jenensium Medici, correctiones adjecit.) Habuit has correctiones ex bibliothecae Jenensis exemplo Aldino, cui eas Cornarius adscripserat. Magnam partem ad operarum vitia referuntur: quaedam tamen sunt vetustiorum vitiorum emendationes. Veluti Cap. IX. ἐν κύκλῳ περιδινεῖσθαι μὴ σκοπούμενον, Cornarius, et portea Charterius, recte correxerunt σκοτούμενον; est enim *sine vertigine in orbem circumvolvi:* at Koehlerus vulgatam et tuetur, et exponit *in circulo clausis oculis circumire:* quae expositio summam Graecitatis ignorantiam prodit. Reliquis Cornarii emendationibus Editor, tamquam judex, suum *bene!* vel *male!* adjungit. Ceterum puerilis vanitas in eo apparet, quod Cornarium *Jenensium Medicum* facit. Nam is, quamquam Jenae mortuus est, tamen in aliis quoque Germaniae urbibus medicinam vel docuerat vel factitaverat, a quibus ei eodem jure

cognomen addi poterat. Sed nimirum, ut Cornarius summae doctrinae laude ornamentum addidit Jenensium Academiae, ita Koehlerus ornamentum ab illa petit Academia, et Cornarii appellatione ipse ab ejus viri laude particulam in se derivare voluit.

Indices locupletissimos addidit.) Verius dixisset, *indices vanissimos.* Primus est, *Auctorum, qui laudantur, explicantur, illustrantur, notantur:* secundus, *Verborum, quae explicantur, illustrantur:* tertius, *Rerum.* Jam, cum in ipsis Animadversionibus ea sit vanitas illustrationis et explicationis, quam vidimus; intelligitur, earum Indicem nisi vanum esse non posse.

Si qui forte mirentur, quid caussae fuerit quod in levissimae et contemnendae editionis descriptione tantum operae consumserimus, his affirmare possumus, nos unice bonarum literarum studiosis consulere voluisse; quibus eo magis ab hujus editionis usu cavendum duximus, quo magis ipsum libellum eorum studiis accommodatum judicavimus, ejusque probabilem utilemque editionem diu optavimus. Sint forte etiam, qui putent, nos Editoris tantum errores notasse, recte dicta praeteriisse. Atqui nos multo plures errores notare poteramus. Et ex ignorantia inscitiaque, quae ex erroribus apparet, facile existimari potest, quale quantumve illud debeat esse, quod non male ab Editore dictum sit. Et

vero

vero hoc ejusmodi est, ut magis nescire turpe sit, quam gloriosum scire. In puero scholastico talia et recte dicta laudem, et errata veniam, habere possint: non in *Verbi Divini Ministro*, quorum neminem tam parum a Graecis literis instructum esse decet: nedum in eo, qui se profiteatur, *plurimos locos emendaturum, illustraturum, expliciturum:* non denique in eo, qui, expositis omnibus honoribus, gloriolam captet, quique sit et haberi velit, *Ordinis Philosophici in Academia Jenensi Adjunctus, Societatis Latinae Jenensis et Marchico-Badensis Collega honorarius, et apud Colmbergensis, prope Onoldum, Verbi Divini Minister.*

RELATIONES
BREVIORES.

I. *Joannis Caroli Zeunii Prof. Gr. Litt. Viteb. Animadversiones, in Francisci Vigeri de praecipuis Graecae dictionis Idiotismis librum, ad justam examinis lancem revocatae ab Henrico Hoogeveen. 8. pagg. 176. Lugduni Batavorum.* 1781. Insignem utilitatem praestiterat studiosis Graecae linguae Hoogeveenus, vir doctissimus, repetendo et novis animadversionibus locupletando Vigeri commentario de Idiotismis. Quem librum quum denuo ederet Zeunius A. 1777, satis magnam apud cives suos, et exteros quoque, gratiam inire poterat; si, vel, nullis additis animadversionibus suis, copiam exemplorum auxisset: vel diligenter accurateque scriptas adjecisset. Nunc ita versatus est in hac editione, ut in justam Hoogeveeni reprehensionem incurreret. Cujus nos reprehensionis capita summatim perstringamus. Et primum quidem, multis locis, ubi satis erat exemplorum, alia ipse addidit exempla, nulla habita ratione brevitatis; cui Hoogeveenus in primis studuerat, eoque consilio multa, quae parata habebat, omiserat, ne tironum ingenia multitudine et varietate animadversionum obruerentur. Sed poterat ista profusio excusari, vel adeo liberalitatis no-

nomine laudari, si quidem non sociam habuisset vanitatem ac temeritatem. Ille vero multos locos veterum Scriptorum sublegit ex libro Hoogeveeni de Particulis, nulla facta mentione Auctoris. Deinde animadversiones multis locis adjunxit alienas ab eorum argumento, quod non satis perceperat. Porro vanitas apparet in reprehendendo Hoogeveeno, in quem frequenter invehitur, nullo quidem certo consilio nisi ut eum reprehenderet, et saepius quid ipse sibi vellet ignorasse videretur. Denique multos commisit errores, qui in eo, qui non sit tiro, sed tirones ipse doceat, gravem offensionem habeant. Atque istorum criminum documenta in hoc libello manifesta proposuit Hoogeveenus, haud mediocri doctrina et Grammatica subtilitate, minore tamen orationis elegantia et perspicuitate. Nos mallemus, Zeunius, cujus studium aliis locis agnovimus et probavimus, in hoc libro magis diligentiam et modestiam quam temeritatem et edendi cupiditatem secutus esset, neque ita in publicam et justam reprehensionem incidisset.

II. *XENOPHONTIS Memorabilium Socratis dictorum Libri quatuor: recensuit et Ernesti Aliorumque et suis notis explicavit Jo. Car. Zeunius. Prof. Gr. Litt. Viteb.* 8. *Lipsiae.* 1781. Non est repetitio Ernestinae editionis, sed nova editio ab ipso Zeunio facta ad eam rationem, quam in aliis Xenophonteis libris secutus erat. Praestiterat utique Ernestinum

num exemplum diligenti chalcographica descriptione fideliter reddi, et, quas Zeunius habebat, novas animadversiones ita ei exemplo adjungi, ut ne cum superiorum Interpretum notis confunderentur. Nunc omnes sub contextum conjectae sunt notae, quod non reprehendimus, sed non integrae neque omnes adjectae sunt Ernesti, Ruhnkenii, Valckenarii; quae saepius tantum memoratae sunt a Zeunio et ita cum suis notis commixtae, ut, quid cujusque sit, non satis appareat. Ceterum, Zeunius, quamquam in annotando nimium frequens et verbosus fuit, tamen paululum novae utilitatis attulit, cum veterum editionum comparatione, tum observatione dictionis et rerum. Quod fortasse alio tempore uberius explicabimus, magis Xenophontei operis, quam hujus editionis, caussa.

III. *De l'Etat et du Sort des Colonies, des anciens Peuples.* —— 8. *a Philadelphie.* 1779. i. e. *De Statu et Conditione Coloniarum apud Antiquos.* Consilium scriptionis pertinet ad disceptationem contentionis, quae nunc agitatur inter Britannos eorumque Colonos Americanos: de qua quidem Auctor secundum Americanos judicat. Sed haec pars non ita est conjuncta cum nostro instituto atque altera, quae continetur ipso argumento ejusque explicatione; quae profecta est, non ex compilatione aut levi rerum cognitione, sed ex usu scientiaque veteris historiae ejusque prudenti interpretatione. Et

an-

antea prodidit Auctor haud vulgarem doctrinam aliis scriptis, in quibus etiam est *Censura Scriptorum de vita et rebus gestis Alexandri Magni*; de qua diximus parte hujus Bibliothecae secunda.

IV. *Exercitationes in Appiani Alexandrini Romanas Historias: praeside Jo. Schweighaeuser. Gr. et Orient. Litt. Prof. Publ. Ord. Univ. h. t. Rectore.* 4. *Argentorati.* 1781. Est haec prima pars Scriptionis, quae ad argumentum disputationis Academicae in plures partes distributa videtur: et subsidiis, cum doctrinae, tum librorum veterum haud vanam nobis spem facit egregiae editionis Historiarum Appiani. Hujus consilium ante Schweighaeuserum, V. Cl., ceperat Musgravius et cum Brunckio communicaverat, petens ab eo, ut, si fieri posset, operam interponeret suam, qua nancisceretur collationem codicis Augustani, ex quo Davides Hoeschelius olim Appiani Historiam Illyricam ediderat. Brunckius cum Schweighaeusero egit: qui continuo, pro sua humanitate, gratificatus Musgravio, codicem per amicos Augustanos Argentoratum arcessivit, ad eumque cum editis exemplis comparandum aggressus est: mox literis ad Musgravium scriptis ei significavit, in codice illo tantum esse medicinae ad sanandum Appianum, ut nisi edendi provincia jam occupata esset, ipse eam lubens suscepturus fuisset. Cui Musgravius perhumaniter respondit,

gratias agens et ſimul ſignificans, ſe libenter hanc provinciam Schweighaeuſero concedere, misſurum etiam annotata, quae admodum pauca haberet; quippe ingravescentem corporis infirmitatem eum ab edendi conſilio rejecisſe, et nimis etiam efficaciter de vitae brevitate admonuisſe. Haud ita multo post Musgravius diem obit. Schweighaeuſerus de illius annotatis ad Tyrwhittum, V. Cl., ſcribit: qui reſpondet, omnes Musgravii ſchedas ex ipſius Auctoris voluntate, paulo post ejus obitum flammis traditas esſe, praeter paucisſimas in ipſo testamento expresſis verbis ſignificatas, quae nil continerent, quod ad Appianum pertineret. Igitur ſuo ipſe Marte rem perſecutus, plures etiam libros ſcriptos et Pariſienſes et Italicos, et alia interpretationis ſubſidia, ad novam editionem inſtituendam adhibuit: cujus per has Exercitationes ſpecimen propoſuit. Harum pars ea, quae adhuc prodiit, ſex continetur ſectionibus: Prima est, *de perſona et aetate Appiani.* Secunda, *de ratione, quam in conſcribenda Romana historia ſecutus est.* Tertia continet *ſeriem librorum, per quos diſtributa erat haec historia.* Quarta complectitur, *aliorum veterum Scriptorum cum teſtimonia de Appiano, tum excerpta ex ejus libris.* Quinta recenſentur *libri ex univerſo illo opere hodie ſuperſtites.* Sexta demonſtratur, *Parthicum librum, qui inter Appiani ſcripta fertur, nihil ad Appianum pertinere, in quem falſo plagii culpa collata ſit.*

Nos

Nos hanc materiam ad duo revocabimus capita, de quibus verbo sententiam nostram significemus: alterum complectitur judicium de opere Appiani, alterum emendationem scripturae. Et in laudibus historicis Appiani explicandis, ipsoque a plagii pervulgato crimine vindicando, reperimus Schweighaeuserum non ductum esse vulgari eorum consuetudine, qui, quos Auctores edere constituunt, eos prius laudant, ut nimirum ab eorum gravitate ipsi suae operae pondus addant: sed secutum esse diligentem Antiquitatis scientiam, prudentemque criticam rationem. Neque minus operae pretium *facturus* videatur Editor in emendanda scriptura, quae, tribus adhuc editionibus prodita, et ex uno eodemque vitiosissimo codice expressa, plurimis obsita est labibus. Cujus quidem rei certam nobis fecit spem per specimina emendationum, ex quibus et Editoris facultas, et Augustani codicis bonitas, cognoscitur. Itaque Bell. Punic. L. I. p. 6. Ed. Toll. Regulus dicitur Carthaginem rediisse: ἐπανῆλθεν εἰς λίμνην ἕτοιμος, Editor acuta elegantique conjectura corrigit, ἐπ. εἰς λύμην ἕτοιμος, *promptus abiit ad cruciatum.* Ib. p. 59. κοινὸς δ' ἦν ἐπιστολὴ, καὶ τὸ Κηνσωρίνου στρατόπεδον ἐνόσει: priora verba, quae sententiam prorsus turbant, egregie restituuntur, partim ex ingenio, partim ex codice Augustano, κυνὸς δ' ἦν ἐπιτολὴ, *erat vero Caniculae*

culae ortus. Bell. Syr. p. 205. lin. 4. vera lectio ex ſcriptis revocatur ἐπιθυμίας, pro vulgata ἐπιμελείας. Ib. p. 206. τὸ κακὸν ἐπικρύπτοντα καὶ προτιμότερον αὐτῷ θανάτου, item ex ſcriptis veriſſime corrigitur προτιμώμενον, *qui morbum celet et mori velit.* Haec ſatis manifesta ſunt indicia egregiae operae, quam uberius explicabimus, quum ipſa prodierit editio. His ſcriptis, adfertur ad nos altera hujus Scriptionis pars, cujus hic est titulus: *De Impresſis ac Manuſcriptis Hiſtoriarum Appiani Alexandrini codicibus, Commentatio Hiſtorico-Critica: Accedit novae Editionis ſpecimen.* Et affirmare posſumus, ſpem noſtram magis etiam auctam incenſamque esſe, cum ſpeciminibus doctrinae et criticae facultatis, tum elegantia et nitore operae chalcographicae. Quo lubentius Editoris preces ad eruditos viros repetimus, eosque ipſi rogamus, ut ejus inſtitutum juvent; vel librorum ſubſidiis, vel conſilio, vel animadverſione, vel quacumque opera et ratione.

V. *PLATONIS Dialogi IV, Meno, Crito, Alcibiades uterque: cum Animadverſionibus Virorum clariſſimorum, Gedike, Gottleber, Schneider, priorumque Editorum, curavit Bieſter.* 8. *Berolini.* 1780. Cum Borusſiae Rex, prudentisſimus idemque doctisſimus regum, verisſime judicaret, ad praeſtantis firmaeque doctrinae fructum ex reliquis inſtitutionis puerilis partibus eam plurimum valere, quae verſaretur in im-

imbuendis ingeniis diligenti veterum Auctorum lectione; ex eorum numero ipse gravissimos elegit, eosque frequentius accuratiusque in Gymnasiis tractari jussit. Igitur Ill. Zedlizius, Academiarum Scholarumque Borussicarum Curator, vir de tuendis provehendisque doctrinarum studiis meritissimus, operam dedit, ut salutare consilium prudenti ratione conficeretur, neque tantum ad verborum cognitionem, sed, quod in primis Rex spectaverat, ad rerum scientiam et vitae usum converteretur. Et provinciae hujus partes inter doctos viros complures distribuit; ut alii in conscribendis libris scholasticis, alii in edendis Auctoribus, alii in vertendis, alii in explicandis, alii denique in designanda explicationis via et ratione, operam collocarent. Ceterum, explicationis eam rationem constituit, auctore Engelio, viro venustissimae doctrinae, ut cum verborum linguaeque cognitione rerum scientia conjungeretur. Itaque doctissimus Gedikius, Gymnasii Fridericiani Director, cum alios Auctores ad alias doctrinae partes addiscendas tironibus explicuit, tum Platonis interpretationem ejusmodi aggressus est, quae ad facultatem disserendi, seu, Logicam, consequendam accommodata esset. Cui instituto ne deesset exemplorum copia, Biesterus, vir elegantis doctrinae idemque Zedlizio ab epistolis, hos quatuor Dialogos edidit. De cujus editionis ratione fortasse alio tempore copiosius exponemus. Nunc universe

ſignificamus, eam nobis probari, cum rerum verborumque interpretatione diligente et perſpicua, tum obſervatione viae artisque disſerendi. Gedikii animadverſiones ad Menonem pertinent, et habent indicia eruditionis haud vulgaris accuratique judicii. In eodem numero ponimus Gottleberi annotationes ad reliquos Dialogos. Schneideri paucae ſunt. Bieſtero quoque laus elegantis doctrinae debetur.

VI. *Verſuch einer Methode, die Vernunftlehre aus Platoniſchen Dialogen zu entwickeln.* —— i. e. *Periculum conſtituendae Methodi, qua Dialectica ex Platonicis Dialogis explicetur: auctore J. J. Engel.* 8. *Berolini.* 1780. Libellus elegantisſime ſcriptus refertur ad conſilium conjungendae una inſtitutione disciplinae linguarum et rerum. Nos, ut ejusmodi Dialogorum interpretationem plurimum valere judicamus ad uſum exercitiumque Dialecticae facultatis, ita eam non ſatis valere putamus vel ad Dialecticam vel ad Graecam linguam addiscendam, niſi ſi harum peculiaris inſtitutio praecesſerit. Et quod ad linguam attinet, ſatis ipſe perſpexit Auctor, juvenum ingenia diſtrahi inter verba et res, niſi prius Dialogi orationem Graecam accurate intellexerint, aut Germanice verterint. Dialectica vero interpretatio necesſe est lente ac difficulter procedat, niſi praeparati ſint discentes aliqua, univerſa ſaltem, cognitione materiae Dialecticae, veluti Enunciationum, Notionum, Definitionum, Diviſionum, Argumentatio-

num.

num. Quae cognitio nisi adferatur ad interpretationem, sed ex ipsis Dialogorum exemplis investiganda colligendaque sit, nae pro faciliori breviorique via longior difficiliorque ostenditur. Et vero praeceptâ universâ illâ materiae cognitione, non modo non perit inventionis lenocinium, quod in primis Socratica ratio habet, sed augetur etiam facilitate celeritateque inveniendi. Ceterum, ut Regis ac Zedlizii cura providit studio Graecae linguae per ejus peculiarem institutionem, ita credibile est Dialecticae initiis discendis peculiarem disciplinae partem datam esse.

VII. *Dan. Wyttenbachii Praecepta Philosophiae Logicae.* 8. *Amstelaedami.* 1781. Liber, quum sit conjunctus cum Veterum doctrina, commemorandus est a nobis. Scriptio ejus, in tanta compendiorum Logicorum multitudine, apud plerosque aliquid reprehensionis, vel certe admirationis, habere videatur. Igitur Scriptor consilii rationes exponit. Prima repetitur a necessitate. Nam quum munere fungeretur eo, cujus pars esset Logicae institutio, neque suppeditaret compendium Latinum ad veterum rationem compositum, quodque haberet conjunctam et rerum et orationis bonitatem, ipse se dedit ad scribendum. Neque vero ejus consilio accommodati erant compendia ab Ernesto et Facciolato scripta; quod hic scriptionem inferiori cuidam juvenum aetati accommodasset: ille Peripateticam doctrinam unice spectas-

ſpectasſet: uterque haud una in parte cum formae tum materiae a Scriptoris conſilio discesſisſet, quod ſubinde aliam rationem, locorumque ab illis viris praetermisſorum tractationem poſtularet. Altera ratio, ducta ab utilitate compendiorum, pertinet ad eorum inſtitutum, qui Logicam non ex compendiis, ſed ex interpretatione Socraticorum Dialogorum, disci volunt. Quorum inſtitutum Scriptor, ut magnopere laudat, ita magis ad exercendam, quam discendam, Logicam valere judicat. Materia libri diſtributa est in quatuor partes. Prima est de Vero generatim, Enunciationibus, et Ideis. Secunda, de facultatibus hominis, quibus maxime continetur Logicae officium, Cognitione et Oratione: quarum haec, ſaepius praetermisſa in compendiis, ex Dialecticis fontibus ducitur, et ad Grammaticae inſtitutionem accommodatur. His duabus partibus, asſumtis ex Metaphyſica doctrina, et ſubſtratis veluti fundamentis, tertia ſuperſtruitur pars, quae est de Methodo, propriumque ipſius Logicae officium continet: hujus initium ducitur ab explicatione variorum generum Methodi, et a disputatione de Nota Veri: quae doctrina potisſimum ad Veterum intelligentiam refertur, ex eorumque fontibus hausta est: ſequuntur reliqua ejus partis capita, de Verborum uſu, de Definiendo, Dividendo, et Argumentando in utroque genere Evidentiae, Mathematico et Morali. Quarta pars totum illum apparatum componit

ponit et convertit ad finem Logicae, qui pofitus est in doctrinae praeftantia: et funt hujus partis duo capita, alterum de ingenio acuendo, alterum de fontibus doctrinae, Experientia, Lectione, Meditatione: quibus, velut admonitionis loco tertium fubjicitur de Fontibus Errorum. Rationem vero eam fecutus est, ut ita rem quamque primo loco poneret, prouti vel natura fua vel mentis cogitatione prior esfet: et ut, Platonis exemplo, utriusque Methodi ufum exprомeret, ad eumque omnes Dialecticas leges revocaret. Porro, vetera cum novis ita conjunxit, ut ex utrisque optima quaeque asfumeret, ac discentes, cum ad recentiorum Logicorum praecepta cognofcenda, tum ad antiquorum Dialecticorum intelligentiam vocaret. In oratione vero fecutus est Latinitatem et perfpicuitatem; ita quidem, ut rudioribus etiam fuccurreretur, addendis fubinde notandisque nominibus fcholafticis iis, quae vulgari ac diuturno ufu eam auctoritatem nacta funt, ut non nifi cum obfcuritatis periculo negligi queant. Atque compendio ejusmodi confcribendo arbitratus est Scriptor, fe operam fufcepturum haud inutilem, cum discipulis fuis, tum aliis elegantis accurataeque doctrinae ftudiofis.

VIII. *Francisci Volkmar. Reinhard., Phil. Prof. Publ. Extraord. Oratiuncula, de Ratione docendi Socratica in inftitutis Philofophiae Academicis imitanda. Cum Additamento de Methodo docendi Socratica.*

tica. 8. *Vitebergae.* 1780. Brevis libellus magnopere nos cepit, cum elegantis doctrinae suavitate, tum ipsa novitate Auctoris, qui nobis hac scriptione primum innotuit. Duae sunt ejus partes Prior continetur Oratione publice habita, qua hoc argumentum tractatur, et diserte, et accommodate ad audientium persuasionem. Altera habet argumenti subtiliorem Explicationem, quae in Orationis formam et consilium non congruebat. Nos, quantum probemus eos, qui Philosophiae institutionem ad Socraticam rationem revocare student, supra et aliis locis significavimus. Sed eorum in primis eos probamus, qui ad hanc rationem ipsi adferunt usum Antiquitatis et literarum. In quibus est Reinhardus. Nam, ut omnia breviter complectamur, est in eo cum scientia argumenti, non illa ex recentiorum rivulis aut versionibus, sed ex intelligentia fontium et usu veterum Socraticorum, Platonis atque Xenophontis, ducta: tum orationis est elegantia et perspicuitas, collecta ex Ciceronis lectione diligenti et cogitata.

IX. *Fragment d'un Ouvrage Grec d'Anthemius* —. i. e. *Libri Graeci de Paradoxis Mechanicis ab Anthemio scripti Fragmentum: recensuit et emendavit ad exempla scripta quatuor, Gallicam versionem et Notas adjecit Dupuy, Academiae Inscriptionum Parisiensis Scriba perpetuus.* 4. 1777. *pagg.* 41. Anthemius, a scientia Mechanices et Architecturae celebratus, et a Justiniano in primis adhibitus ad aedificiorum con-

constructionem, librum ediderat *Paradoxa Mechanica* inscriptum: cujus fragmentum nunc primum editur ex scriptis exemplis quatuor: tribus Parisiensibus bibliothecae regiae, et Vaticano uno. Sunt vero ejus fragmenti Problemàta quatuor, eorumque Explicationes. Primum est: Ἐν τῷ δοθέντι τόπῳ κατασκευάσαι ἀκτῖνα καταπίπτειν ἡλιακὴν ἀμετακίνητον ἐν πάσῃ ὥρᾳ καὶ τροπῇ. i. e: *Efficere, ut certo loco incidat radius solis, in eoque constanter maneat omni hora ac tempestate.* Gallicus Editor haec ad majorem perspicuitatem dilatavit, ita reddens in praefatione: *faire tomber constamment et invariablement a toute heure et en toute saison sur un point donné et fixe les rayons solaires, qui entrent par un trou, ou par une petite ouverture, de maniere que ce point soit toujours le seul eclairé par le Soleil.* Atque eadem ratione in reliquis versionis partibus perspicuitati operam dedit. Secundum est: Πῶς ἂν εἰς τὸν δοθέντα τόπον ἀφεστῶτα οὐκ ἔλαττον ἢ τόξου βολὴν κατασκευάσομεν ἔξαψιν γενέσθαι διὰ τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων; i. e. *Quomodo efficiamus, ut ex spatio, quod non sit minus jactu sagittae, incendium existat per radios Solis.* Pröemio Explicationis affirmatur auctoritas Historicorum, qui hujus artificii facultatem Archimedi tribuerunt; et simul negatur, illud effici potuisse secundum Antiquorum Explicationem. Igitur Anthemius novam ipse proponit: quae ejusmodi

modi est, ut oſtendatur, Archimedem ex tanto ſpatio naves Marcelli ad Syracuſas incendisſe ope complurium ſpeculorum planorum hexagonorum. Quam rationem, Anthemianae ignarus, poſtea denuo invenit Buffonus. Tertium est: Πρὸς τῷ δοθέντι σημείῳ ἐπιπέδου ἐσόπτρου θέσιν εὑρεῖν, ἥτις κατὰ πᾶσαν θέσιν ἐρχομένην ἐπὶ τὸ εἰρημένον σημεῖον ἡλιακὴν ἀκτῖνα ἐπὶ ἕτερον ἀνακλᾶσθαι σημεῖον. Niſi lacuna Mſti inter ἥτις et κατὰ explenda ſit verbo ποιήσει, corrigendum erit ἀνακλάσει, *reflectet*: alterum θέσιν vix ſanum est: locus forte ita vertendus: *Dato certo puncto, invenire poſitionem ſpeculi plani, quae radium Solarem, ex quacumque regione in illud punctum incidentem, reflectat in aliud punctum.* Quarti Problematis, non quidem ipſa formula, ſed Explicatio tamen exſtat. Argumentum ejusmodi est: *Dato diametro et puncto, in quo conveniant radii ſolares, invenire conſtructionem ſpeculi parabolici.* Ceterum illuſtrando Fragmento doctam utilemque navavit operam Editor. In praefatione de ipſo Anthemio pauca dicuntur, argumentum vero Fragmenti fuſius exponitur. Graecis ab altera pagina addita est verſio: ſubjectae ſunt notae criticae, ſeu tales quae lectionis varietatem continent. Ad calcem libri accedunt delineatae Explicationum figurae, et Obſervationum duo capita. Primum, valde breve, pertinet ad primum Problema. Secundum duas habet partes. In prio-

priore, doctrina Anthemii de Speculis Archimedeis comparatur cum descriptione Jo. Tzetzae in Chil. II, 35, qui temere omnia turbavit. In posteriore, comparatur Anthemii ratio cum explicatione Vitellonis, Mathematici ex Seculo XIII: qui libros decem De Re Optica composuit, et libri quinti propositione 65 ita retulit Anthemii sententiam, ut eam non recte describeret, et a tradita in hoc Fragmento ratione aberraret. Itaque notat Editor, non mirandum esse, Cartesium et Keplerum falsam judicasse Archimedis rationem; quippe qui de ea, non ex Anthemio, sed ex Vitellone, existimaverint.

X. *Selecta quaedam THEOCRITI Idyllia. Recensuit, Variorum Notas adjecit, suasque Animadversiones, partim Latine partim Anglice scriptas, immiscuit Thomas Edwards, S. T. P. In usum juventutis Academicae. 8. Cantabrigiae. 1779. pagg.* 388. Idyllia sunt, I, IV, VI, VIII, IX, X. De ratione editionis, ipsum audiamus Editorem, „Animadversionibus fere integris, J. J Reiskii, et viri summi J. Toupii, et selectis Scholiastarum, Stephani, Scaligeri, Casauboni, Palmerii, Heinsii, Wartoni, hancce nostram editionem instruxi. Quas autem ex Heinsio selegi animadversiones, eae admodum sunt paucae. Heinsius in Theocrito explicando passim aberrat: et nunc subtilia nimis et exquisita, nunc dura plane et contorta interpretamenta lectoribus propinat." Hoc judicium, a Reiskio sum-

tum, minime decebat novum Editorem, qui novi ipse nil attulit praeter temeritatem et inscitiam. Videamus reliquam praefationis partem. „ Sed „ nonnullas immiscui observationes, quas pro singu- „ lari sua humanitate mecum per literas communi- „ cavit *Toupius ille magnus*, literatae Britanniae de- „ cus. Quod ad meas ipsius ubique fere intersper- „ sas Adnotationes attinet, multa Theocriti loca „ novâ, ni fallor, luce perfundunt. Et ne forte „ mireris, amice Lector, eas partim Latino sermo- „ ne partim Anglicano esse conscriptas, scire te o- „ portet, — Me aliquot abhinc annis Animadver- „ siones in omnia Theocriti Idyllia horis subsecivis „ scripsisse; modo Latina lingua, modo vernacula, „ prout mihi venit in mentem, prout fors tulit, „ adhibita: neque me postea vidisse, quum jam No- „ tas meas recensueram et selecta quaedam Idyllia „ edere decreveram, cui bono esset futurum, vel „ Anglicas Latine vel Latinas Anglice reddere." Hoc igitur videtur Editoris fuisse consilium, ut nullum consilium sequeretur, et temere, quidquid in buccam veniret, effutiret, neque tam esset pervulgatum quidquam, quin illud arriperet et *lectoribus propinaret.* Itaque ad Idyll. I. v. 1. de constructione particularum μὲν et δὲ, quam nemo puer ignorat, observatio longissima, tamquam ex interiore doctrina, expromitur, et referuntur duae paginae ex Hoogeveeni libro de Particulis, cum honorificentissima

ejus-

ejus viri commemoratione. „ Vir incomparabilis
„ Hoogevenus copioſam et luculentam explicatio-
„ nem protulit de vera origine, propria poteſtate,
„ varioque uſu nobilis hujus particulae, in libro De
„ doctrina Particularum, ad quem lectorem ablego.
„ Initium tamen ejus ſectionis ea est praeſtantia, et
„ tam illuſtre habet documentum magnae ſagacitatis
„ et rarae diligentiae celebratisſimi hujus Auctoris,
„ ut nequeam facere, quin illud hoc loco referam.
Nos hoc per cavillationem dictum putabamus, antequam cognovisſemus tantam esſe Editoris ignorantiam, ut pervulgatisſima quaeque ei nova et miranda videantur. Erat illud, *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Mox docet, τῇδε dici per ellipſin nominis χώρᾳ. In hoc genere ſunt illae animadverſiones, quibus profesſus est ſe novam lucem allaturum Theocrito. At vero, dicat quis, Toupii obſervationibus haec editionis penuria compenſatur. Poterat omnino Toupius operae pretium facere. Nunc vero non niſi quatuor locis eas adjectas deprehendimus: et ſunt ex ejus viri conſuetudine et Laconica brevitate: veluti: *Interpretes nil viderunt: Senſus est, quem demonſtravi:* nimirum, quem demonſtraverat jam antea in editione Wartoniana, vel aliis ſcriptis; ut adeo nil habeant Toupii adjectiones, niſi veteris ſuae ſententiae repetitionem. Neque, profecto, eo erat ſtomacho Toupius, ut cum novo hoc Editore bonas horas perderet. Varietas lectionis ex Wartoniano exem-

plo repetita est. Ad Id. VIII. nova collatio facta est codicis Cantabrigiensis, qui duo nec ea integra Idyllia habet, nec novae correctionis quidquam praebet. Ceterum Editor Valckenarianam adeo editionem ignoravit. Narrat etiam se *Miscellanea Critica* parata habere et aliquando editurum esse. Quae antequam nobis *propinet*, ipse Veterum fontes adeat, ex iisque accuratiorem doctrinam petat: nec nobis nauseam faciat *propinanda* turbida rivulorum aqua.

XI. *Anecdota Graeca, e regia Parisiensi, et e Veneta S. Marci, bibliothecis depromta, edidit Johannes Baptista Caspar d'Ansse de Villoison, regiae Academiae Parisiensis Inscriptionum Socius: cet. Tomi II. Anno 1781. Venetiis, typis et sumptibus fratrum Coleti.* 4. Villoisonus, V. Cl., qui jam tertium annum Venetiis occupatur in eruendis ex S. Marci bibliotheca reconditis Graecae doctrinae monumentis, hujus operae fructum in communem usum edere aggressus est. Et de aliis quidem hujus fructus partibus, et vetustissimo Homeri praestantissimique in eum Commentarii codice, tum dicemus, quum editus fuerit a Villoisono: quod brevi futurum speramus. De argumento Anecdotorum, nunc universe significamus, et proximâ hujus Bibliothecae parte uberius exponemus. Primo igitur Tomo continetur ex Parisina bibliotheca nunc primum editum opus Eudociae, Augustae Constantinopolitanae ex Seculo XI, inscriptum Ἰωνιά, *Violarium*, ad literarum seriem digestum,

de

de Diis, Deabus, Heroibus, et hominibus artium doctrinarumque laude claris. Historia, cum partim aliunde, partim ex iisdem fontibus ducta sit ex quibus Suidas hausit, ad ejus emendationem multum adfert adjumenti; multa etiam habet nova, et antea non satis cognita. Paginis constat 442, nulla versione, nec animadversione, adjecta. Secundo Tomo varia exstant. Descriptio diligens Ῥοδωνιᾶς, seu Florilegii, Macarii Chrysocephali, ex bibliotheca S. Marci: quo libro continentur sententiae variorum Auctorum, Synesii, Dionis Chrysostomi, Plutarchi, Aristidis, Herodiani, Aeschinis Oratoris, Luciani, Demosthenis, Libanii, Choricii, cujus inedita oratio funebris in Mariam, matrem Marciani Gazae et Anastasii Eleutheropolis Episcoporum, vulgatur ex codice Parisino. Hac occasione invitatus Editor profert ineditam orationem Procopii Gazaei ex codice bibliothecae S. Marci: subjunguntur reliqua Macarii ex Choricio excerpta, et Declamatio ejus inedita ex codice Parisino: porro excerptorum ex aliis apud Macarium Auctoribus notatio, Xenophonte, Stobaeo, Josepho, Eusebio, Nicephoro Chummo, Germano, Gregorio, Const. Manasse, Pindaro, Homero, Theocrito, Luciano, Hesiodo, Aristophane, Phocylide. Sequuntur inedita ex aliis codicibus bibliothecae S. Marci: opusculum de Atticismis: Heliae Monachi, περὶ τῶν ἐν τοῖς στίχοις παθῶν: Herodiani varii libelli Grammatici: Dionysii Thracis

matica cum codice ſcripto collata: Porphyrii de Proſodia: Scholia inedita in Dionyſii Grammaticam: in eandem ex commentario Diomedis Scholaſtici excerpta. Denique duae praeſtantisſimae partes hujus voluminis, Jamblichi tertius liber de Pythagorica diſciplina, et Plotini duae disſertationes. Ceterum ex ipſa disputatione Villoiſoni apparet magna ſcientia cum Graecae linguae, tum rei antiquae literariae et Palaeographiae.

XII. Περὶ Λίθων. *De Lapidibus Poëma, Orpheo a quibusdam adſcriptum, Graece et Latine: ex editione Jo. Matthiae Gesneri. Recenſuit notasque adjecit Th. Tyrwhitt. Simul prodit Auctarium Disſertationis de Babrio. 8. Londini.* 1781. Hujus quoque libri uberior enarratio exſtabit proxima Bibliothecae parte. Nunc facere non potuimus, quin ejus mentionem injiceremus; ut editionis praeſtantia, per nos quidem, ne diutius a noſtratium notitia cohiberetur. Atque duae ſunt hujus praeſtantiae partes, quarum utraque commendationem habet et novitatis, et Criticae facultatis egregiae. Altera pertinet ad deſcriptionem, conſilium, ſeu oeconomiam, aetatem et auctorem, carminis: de quibus ante Tyrwhittum nemo probabiliter expoſuerat. Altera verſatur in conſtituenda ſcriptura, quae per hanc editionem multis partibus melior emendatiorque exhibetur. Auctarium Babrianum quinque tantum conſtat paginis; habet tamen, praeter correctiones aliaque additamenta, Fabulas novas duas.

XIII.

XIII. Γεωπονικά. *Geoponicorum, sive, De Re Rustica Libri XX. Cassiano Basso Scholastico, collectore: antea Constantino Porphyrogenneto a quibusdam adscripti. Graece et Latine, post Petri Needhami curas, ad MSS. fidem denuo recensiti et illustrati ab, Jo. Nicolao Niclas. IV. Voll. 8. Lipsiae.* 1781. Opus hoc, vulgo *Geoponicorum* nomine appellatum, magna habet praesidia cum ad Antiquitatis tum ad Agriculturae cognitionem. Continet enim ejus artis praecepta ex optimis veterum Auctorum collecta et in certos locos digesta a Cassiano Basso, docto homine ex aetate Constantini Porphyrogenneti. Igitur magna erat habenda gratia Niclasio, si nil nisi editionem Needhamianam, cujus exempla in dies rariora fiebant, repetivisset. Nunc non modo reddita est editio Needhamiana, sed multis etiam aucta dotibus, cum emendatae scripturae, tum doctrinae illustratae atque explicitae. Et collationem quidem Editor habuit quatuor librorum scriptorum, trium Palatinorum et unius Gottorpiani, factam olim a Marq. Gudio: a quo primum pervenit ad J. A. Fabricium, deinde ad J. Matthiam Gesnerum, qui ipse aliquando hujus operis edendi consilium ceperat, postea vero transtulerat in discipulum Niclasium. Hic ad susceptam provinciam attulit Graecae dictionis scientiam, qua et subsidiis librorum recte uteretur, et errores multos cum librariorum tum priorum Editorum, atque in primis Needhami, corrigeret. Attulit quoque

que argumenti ſcientiam ex Veterum lectione hauſtam, Theophraſti, Catonis. Varronis, Columellae, Plinii, aliorum, quorum dicta frequenter ad partes vocavit. Atque his inſtructus ſubſidiis editionem confecit Needhamianae multum anteponendam: addidit quoque, utiliſſimo conſilio, Indicem Graecitatis. Ad has dotes accedit externus cultus, literarum forma et chartae bonitate probandus.

XIV. *Scriptores Phyſiognomoniae Veteres; ex recenſione Camilli Peruſci et Frid. Sylburgii, Graece et Latine: recenſuit, animadverſiones Sylburgii, et Dan. Guil. Trilleri V. Ill. in Melampodem emendationes, addidit, ſuasque adſperſit notas Johannes Georgius Fridericus Franzius. 8. Altenburgi.* 1780. Quatuor ſunt Scriptores. Princeps Ariſtoteles. Secundus Polemo, non quidem ille Xenocratis in Academia ſucceſſor, ſed recentior, antiquior tamen idem Origene, qui ejus mentionem fecit. Tertius Adamantius, qui Honorii, ut videtur, aetate novum de hoc argumento compoſuit opus, cum ex ſuis obſervatis, tum ex Ariſtotelis ac Polemonis præceptis. Quartus eſt Melampus, qui ad Ptolemaeum Aegypti regem ſcripſit *de Divinatione ex Palpitationibus:* cui ſcripto aliud ſubjungi ſolet, ejuſdem Auctoris nomine, *de Naevis oleaceis humani corporis.* Horum tres poſteriores primus conjunctim edidit Camillus Peruſcus Romae A. 1545, forma quarta, cum Aeliani Variis Hiſtoriis et Heraclide de Rebus publicis: poſtea eos Frid. Syl-

Sylburgius adjunxit editioni operum Aristotelis. Ab eo inde tempore quum Physiognomici Graeci nulla peculiari editione repetiti fuerint, videbatur novus Editor facturus rem plurimis gratam; cum propter Scriptorum praestantiam, quae posita est in Antiquitate et jucunda varietate doctrinae: tum propter commendationem ipsius argumenti, quod ab aliquot annis multorum studia tenuit, atque ita decantatum est, ut omnibus et lippis et tonsoribus notum sit. Igitur laudanda est Editoris opera hoc nomine, quod exempla librorum frequentiora reddidit. Quantum ob adjectas suas animadversiones laudandus sit, alii judicent. Nos quidem eum in doctrinae interpretatione parum, minus etiam in orationis vitiis emendandis et difficultatibus expediendis, posse reperimus.

XV. *Fastorum Anni Romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae, ex marmorearum tabularum fragmentis Praeneste nuper effossis collectae et illustratae. Accedunt Verrii Flacci Operum fragmenta omnia quae extant, ac Fasti Romani singulorum mensium ex hactenus repertis Calendariis marmoreis inter se conlatis expressi, cura et studio P. T. Fogginii. Fol. maj. Romae.* 1779. Verrius Flaccus nobilis Grammaticus, aetate Augusti ac Tiberii, Fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos Praeneste publicavit: ut est apud Suetonium de Grammaticis cap. 17. His monumentis collapsis et humo obrutis, quum Romae A. 1547 Fasti Capitolini effoderentur, non defuerunt

de eo, tanquam de re nova; quippe diu est, quod percrebuit tristis nuncius: ſed, ut dolorem noſtrum prodamus, ad ejusque ſocietatem bonarum literarum amantes vocemus; neque, reticendo ſenſu noſtro, aliis videamur carere ſenſu, quo praeditos esſe decet cultores earum literarum, quarum praecipuus antistes fuit *Erneſtus*, quae molliunt mores nec ſinunt esſe feros. Ergo vana fuerunt vota nostra, quae pro vita ejus fecimus in cenſura operis Ciceroniani. Jam enim eo tempore inſtabat fatalis hora, qua primo corpus labefactaretur, mox illud ingenii literarumque lumen exſtingueretur. Nos, quo minus in laudes Viri digrediamur, prohibemur et loco et facultate. Et ſperamus non defuturum idoneum laudatorem ejus viri, qui per Elogia tot alios immortalitati commendavit, quorum nemo fuit, qui uberiorem quam ipſe materiam Elogii praeberet. Verum tamen quod Romanus Poëta de ſe ipſe gloriatus est, ſe opus exegisſe, quod

nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

quid impedit, quo minus augurio nos quodam ad *Erneſtum* referamus? Venit quidem illa dies, quae nil niſi corporis hujus jus habet, et incerti finivit ſpatium aevi. Ille vero parte ſui meliori ſuperſtes, et indelebile nomen asſecutus, legetur quacumque humanior patebit orbis, non quidem a populo, qui literas ad ludicram oblectationem referat, ſed ab iis qui antiquam venuſtatem retineant, quique fructum ejus metiantur doctrina, cum eleganti, tum accurata.

BIBLIOTHECA

CRITICA.

VOL. II. PARS III.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXXII.

BIBLIOTHECAE CRITICAE

PARS SEPTIMA.

I.

ANECDOTA GRAECA *e Regia Parisiensi & e Veneta S. Marci Bibliothecis depromta edidit Johannes Baptista Caspar d'Ansse de Villoison, Regiae Inscriptionum Academiae Parisiensis, Regiae nec non & Antiquariae Societatum Londinensium, cet. Socius. A.* 1781. *Venetiis. II Voll.* 4. *Typis & sumtibus fratrum Coleti.*

Tomus Primus, quo continetur EUDOCIAE VIOLETUM, *paginis* 442.

Ad hominum opinionem, cum de aliis rebus, tum de libris novis, multum in utramque partem valet exspectatio. Nam, ut eos quos nil posse putavimus, probamus & laudamus adeo, si mediocre quid effecerint, ita eos, de quorum facultate egregie existimavimus, non modo laudamus, sed reprehendi-

mus etiam, cum quidem operae pretium fecerint, nec tamen ſpem noſtram ſuperaverint. Ita fit, ut & legentes perperam de libris ſtatuant, & optimus quisque Scriptor ad iniquisſimas laudis conditiones redigatur. Et haud ſcimus an hic error mentibus plerorumque offecerit in hujus libri exiſtimatione. Complures ſunt anni, quum ejus editionem pollicitus est Villoiſonus: continuo rumor per totum orbem literatum percrebreſcebat: ferebatur praeſtantia operis, quod contineret hiſtoriam Deorum, Heroum, & hominum doctorum: ſpes exiſtebat, multas ex eo incognitas Antiquitatis partes in lucem prolatum iri: erant, qui cogitatione informarent Lexicon frequens perditorum Scriptorum locis: erant, quibus obverſaretur Auctoris cum ſexus tum regia dignitas, in quibus doctrina quamvis mediocris, tamen quo est rarior, eo majorem habet commendationem: huc accedebat exſpectatio eruditionis Villoiſonianae, qua opus ad aliorum intelligentiam explicaretur. Atque tot tantasque libri dotes qui opinione praecepisſent ac devorasſent, ita paulatim ſuam ipſi ſpem augebant atque incendebant, ut ſatisfieri ei nullo modo posſet. Igitur, libro edito, imperiti in externo ejus habitu offendere, majus volumen, Editoris commentarium, & neſcio quid, deſiderare: peritiores, leviter tractato libro, non tamen de momento ejus ſtatuere, ſed incidere partim in res cognitas, partim in incognitas, nec recordari

aut

aut indagare, utrum novae essent, an eodem vel alio modo in editis Antiquitatis monumentis proditae: pauci, diligenter excusso & cum editis monumentis collato libro, vere de ejus vel novitate vel utilitate judicare. Quo magis illud nobis agendum est, ut alii ex nostra censura operam laudemque cum Auctoris tum Editoris intelligant.

Eudocia, cognomine Macrembolitissa, complures filios suscepit ex priore marito Constantino Duca, qui Byzantinum imperium ab anno 1060 ad 1067 tenuit. Hoc mortuo, quo melius res publica gereretur, in matrimonium & regni societatem assumsit Romanum Diogenem, virum strenuum. Ceterum Eudociae ex Constantino filii Romanum anno 1071 interficiunt, regno ipsi potiuntur, matrem in monasterium relegant. Ipsa quidem Violetum vivo & imperante Romano composuit, eidemque praemissa praefatione dedicavit; quâ doctrinas laudat & earum studium profitetur, rationemque hujus operis exponit. Operae pretium est hanc praefationis partem referre, ut ejus & orationis forma & consilium intelligatur: —— ταυτηνὶ τὴν παῖδα ἐκ στέρνων ἐγεννησάμην, παντοίαις ἱστορίαις, καὶ γενεαλογίαις Θεῶν τε καὶ Νύμφων, Ἡρώων τε καὶ Ἡρωίνων πεποικιλμένην, ἅτε τινὰ Ἰωνιὰν ἀκμὴν ἐξηνθηκυῖαν· περιέχει γὰρ καὶ πολλοὺς σοφοὺς, κατὰ διαφόρους χρόνους ἀνθήσαντας, μύθους τε καὶ ἀλ-

 λη-γορίας,

ληγορίας, καὶ ἐξηγήσεις αὐτῶν, κατὰ τὴν τῶν παλαιῶν δόξαν, χρησίμους ὄντας τοῖς φιλολόγοις, καὶ ἄλλα τινὰ οὐχ ἧττον χρήσιμα, οἵσπερ ἐσπαργανώθη ἐκ τῆς τιμαλφεστάτης ἡμῶν βιβλιοθήκης ἐρανισαμένη· ἥτινι καὶ πολλὰ τῶν βιβλίων προσέθηκα ἐκ διαφόρων μοι χωρῶν συναθροισθέντα μελέτῃ καὶ δαπάνῃ πολλῇ· βασιλικὸν ἡγησαμένη τὸν νοῦν ἔγγραφον ἀνθρώπων συναγείρειν, καὶ μὴ καταλιπεῖν ἀκηδίᾳ διαφθαρῆναι. Τῆς σῆς τοίνυν βασιλείας χρυσάσης ἐκδοθήσεται, καὶ μετὰ τῶν ἀδελφῶν παρέσεται· Ἄρξομαι δὲ ἀπὸ τοῦ μύθου τῆς Ἀθηνᾶς, ἐπεὶ καὶ ἔφορος σοφίας, ὡς οἱ πάλαι τροπικώτερον ἐφιλοσόφησαν· καὶ τὰ ἑξῆς κατὰ στοιχεῖον ἀπογράψομαι.

Verbis μετὰ τῶν ἀδελφῶν παρέσεται ſubjecta est animadverſio veteris cujusdam Annotatoris, quâ reliqua Eudociae ſcripta recenſentur: λέγει, ὅτι καὶ ἄλλα τινὰ συνέθετο ἡ ἀοίδιμος βασίλισσα, τόν τε Πλόκαμον τῆς Ἀριάδνης ἐπικῶς, καὶ τὰς τῶν Γυναικῶν Χρείας, καὶ Τί δεῖ τὰς βασιλίδας ἀσκεῖν, ἐν πεζῷ λόγῳ, χρήσιμόν τι χρῆμα· καὶ Περὶ διαίτης μοναζουσῶν, ὅπερ καὶ νῦν καθ' ἡμᾶς ἐν τῷ τῆς Προκοννήσου σεμνείῳ σώζεται. Προκόννησος, ὁ νῦν Μαρμάρας. Quae ſcripta vel perierunt vel alicubi terrarum in bibliothecarum angulis latent. Hanc animadverſionem ex Ducangio & Montfau-

cono,

cono, indicem vero locorum Violeti ex Bandurio, repetiit J. A. Fabricius B. G. VI p. 563. seq.

Jam si quis ab Eudociae praefatione ad ipsum accedat opus, miretur profecto diversitatem orationis; adeo illa posterioris aevi pravitate laborat; haec bonitate & antiquitate commendatur. Quo vel uno argumento quivis continuo intelligat, totum opus ex veteribus Scriptoribus confectum esse; quod cum ipsa profiteatur Eudocia, tamen nusquam memorat Auctores, quorum locos exscripsit. Satis habuit Villoisonus universe in praefatione nominasse Scriptores, ex quibus Eudocia materiam operis sumserit; nec notavit, quid quoque loco cujusque veteris Auctoris sit: quippe solum opus Graecum sine animadversione aut versione reddidit. „ Pleraque „ ex iisdem hausit fontibus" inquit Cl. Editor Praef. p. 10. „ ex quibus Suidas, qui illius collatione non „ semel emendari potest; nonnullorum Philosopho- „ rum ac Sophistarum vitas e Diogene Laërtio & „ e Philostrato habuit; quaedam Mythologica, & „ ea praesertim, quae ad Heroum effigiem spectant, „ ex ejusdem Philostrati Heroicis; cetera Mytho- „ logica ex omnibus Interpretibus omnium Poëta- „ rum Graecorum, Homeri, Hesiodi, Theocriti, „ Lycophronis, Apollonii Rhodii, Arati, cet. imo „ ex Argumentis, quae Tragicorum Graecorum „ fabulis praefixa sunt, ex editis a Richardo Mon- „ tacutio Etonae 1610. 4. in duas S. Gregorii Na-

„ zianzeni, & ex ineditis in multas alias ejusdem S. „ Patris Orationes Commentariis, ſive Συναγωγῇ „ καὶ ἐξηγήσει ἱστοριῶν, quae est ejusdem Nonni „ Monachi; e Cornuti aliisque Mythographis & „ Scholiastis editis ac ineditis, mutuata est, ſparſa „ collegit, diſpoſuit, & in ordinem alphabeticum „ redegit." Haec Villoiſonus.

Ceterum, ut harum literarum ſtudioſi ex noſtra cenſura hujus libri vim ac rationem plenius cognoſcerent, ſumſimus totam primam literam, quae paginis 86 fere quintam operis partem continet, atque operam dedimus, ut quemque locum ad Auctorem, unde deſcriptus esſet, referremus. Itaque reperimus, plerosque omnes Eudociae locos in editis veterum Scriptorum libris exſtare. Norunt harum rerum periti, quantum variae ſcripturae ſit apud eos, qui Antiquorum locos vel collegerunt vel laudarunt, veluti Athenaeum, Euſebium, Stobaeum, aliosque, & Lexicographos & Grammaticos: norunt etiam, quantum in iis poſitum ſit emendandi ſubſidium. Sed Eudocia quidem ejusmodi fere veterum librorum exemplis uſa videtur, ex quibus ea fluxerunt quae hodieque feruntur. Neque vero hoc ita dicimus, ac ſi nullam novitatis gratiam nec utilitatis commendationem haberet hic liber. Immo, niſi noſtra nos fefellit diligentia, habet nonnulla quae ex commentariis vel ineditis vel perditis ſumta videantur: habet etiam quaedam eorum, quae in

editis

editis libris exſtent, vulgatis ſaniora & pleniora, ut ſaepius valeant ad lectionem vel vexatam vindicandam, vel corruptam emendandam. Sed hoc totum quale quantumque ſit, age videamus notatis omnibus deinceps primae literae locis.

Ἀθηνᾶ μυθικῶς Διὸς θυγάτηρ, κ. τ. λ. Totus locus iisdem verbis exſtat apud Euſtathium ad Il. A. p. 83. Nam Euſtathius & Tzetzes fuerunt quidem post Eudociam, ſed ex iisdem quibus illa Veterum fontibus commentarios hauſerunt.

Ἀθηνᾶ ἐστιν ἡ τοῦ Διὸς σύνεσις, κ. τ. λ. Ex Cornuto ſunt compilata de Nat. Deor. Cap. XX. Ne vero quis putet, ea, quae a Cornuto abſunt, ex pleniore libro petita esſe. Nam quae de cognomine Ἀκρία interponuntur, ſunt ex Heſychio in Voc. Et quae paulo post ſunt de Ἀλαλκομένη, plenius exſtant apud Etym. M. in Voc. Ex quo & Heſychio corrigenda est Eudocia: ἡ ἀλαλκοῦσα τῷ τεμένει, & legendum ἡ. ἀ. τῷ μένει.

Τοὺς δ' αὐλοὺς εὑρεῖν μὲν αὐτὴν λέγεται, κ. τ. λ. Sunt ex eodem capite Cornuti: excepta ea particula, quae est de abjectis a Dea tibiis: Λέγεται δὲ καὶ ὅτι ποτὲ τοὺς αὐλοὺς λαβοῦσα καὶ αὐλοῦσα παρῆλθε ποταμόν. —— ἐξ οὗ Μαρσύας ὁ ποταμὸς λέγεται: haec igitur est Nonni ad Greg. Naz. Stel. II. Hist. 10.

Ἀθηνᾶ ἡ φρόνησις τοῖς Ἕλλησι συμμαχεῖ — φθαρτικῷ ὄντι τῶν καρπῶν. Habet Euſtathius Il. Υ. p. 1194. Proxima verba: Ἐχόμενον δ' ἂν εἴη συγκαταριθμήσασθαι τοῖς μύθοις καὶ τοῦτον, εἰ καὶ μυσαροῦ τινὸς ἐφάπτεται, ἀλλ' ὅμως χάριν τῶν φιλολόγων καὶ περὶ τούτου διαληψόμεθα: haec igitur ipſius ſunt Eudociae; ſolet enim ejusmodi quid continuandae orationis cauſſa addere.

Τὴν Ἀθηνᾶν βουλόμενος ὁ Ζεὺς ἀποκυῆσαι, & reliqua de Minervae ex Jovis cerebro partu ac vi in Deam tentata a Vulcano, petita ſunt ex Nonno II, 21.

Ἀπόλλων υἱὸς λέγεται Λητοῦς κ. τ. λ. Apud Euſtathium ad Il. A. p. 22.

Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν. κ. τ. λ. Est Cornuti N. D. XXXII. levisſima lectionis varietate; niſi quod verum ἄῤῥην pro Ἄρης confirmatur, in verbis Ἀπόλλων Ἄρης ἀνεπλάσθη. Porro, ἀλευρόμαντις δὲ λέγεται, διὰ τὸ καὶ ἐν ἀλεύροις μαντεύεσθαι, ex Heſychio & Etym. M. V. Ἀλευρόμαντις interjecta ſunt. Mox habet bonam lectionem ἐκμελείας pro ἐμμελείας. Ceterum conſentit in corruptela, quae quamvis levis, tamen miras Latino interpreti tenebras offudit. Dicitur de *Daphne*: τάχα δὲ καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς προτρέχον πῶς τῷ διαφαίνειν, ἐπιτήδειαν αὐτὴν ἐποίησε πρὸς τὰς μαντείας εἶναι δοκεῖν·

δοκεῖν· non vidit legendum esſe προστρέχον, nec attendit ad notationem, quum locum ita vertendo corrumperet: *Forſan Daphne, id est Laurus, propter nominis etymon, quaſi τῷ διαβαίνειν, id est,* tranſiendo, *oraculis dedicata est, quaſi oraculis reddendis apta ſit & conveniat.* Cornuti haec est ſententia: *Forte quoque nomen Daphne, quod ſimilitudinem habet cum verbo διαφαίνειν, effecit ut oraculis apta haberetur.* Προστρέχειν τινὶ est *cum aliquo conſentire, ſimilem alicui esſe.*

Τὴν Ἄρτεμιν λέγουσι κ. τ. λ. Brevis, nec novi quid habens, narratiuncula de Diana & Actaeone, unde ſumta ſit, non reperimus.

Τὴν Ἄρτεμιν κυνηγέτιν κ. τ. λ. Item est Cornuti N. D. XXXIV. ſed poſtremis primo loco poſitis.

Ἄρτεμις, παρθένος οὖσα καὶ σώφρων ἔχαιρε τοῖς αἵμασι τοῖς ξενοκτονίοις τιμᾶσθαι. Verba ſunt Nonni I, 12. Similia tradit Euſtathius ad Dionyſ. Perieg. v. 307.

Ἄρης Διὸς υἱὸς εἶναι λέγεται. κ. τ. λ. Pars prior, ab ἔσχε δὲ τὴν ὀνομασίαν usque ad ἀρηΐφθογγα ὄντα, est ex Cornuto N. D. XXI. Poſterioris particulae, quae de variis ſignificationibus nominis Ἄρης est, ſedem non reperimus.

Τὸν Ἄρην λέγει ὁ ποιητὴς, ὅτι ἐτρώθη ὑπὸ τοῦ Διομήδους, κ. τ. λ. Apud Nonnum I, 85.

Ἀΐδης ἀδελφὸς Διὸς εἶναι μυθολογεῖται, κ. τ. λ. Conflata sunt ex duobus Cornuti capitibus, V. et XXXV.

Ἡ Ἀφροδίτη λέγεται ὅτι ἐκ τῶν αἰδοίων τοῦ Οὐρανοῦ ἔσχε τὴν γένεσιν —— ἐτελοῦντο. Particula haec videtur referri ad Hesiodi Theog. 190. quamquam locus, ubi eadem res iisdem verbis tradatur, se nobis non obtulit. Reliqua in eodem capite sunt Cornuti N. D. XXIV. non sine insigni varietate.

Ἀφροδίτη γυνὴ ἦν Ἡφαίστου τοῦ χαλκέως κ. τ. λ. Est apud Nonnum, I, 86.

Ὑπὲρ χρόνον τινὰ κατὰ περίοδον τοῖς Αἰγυπτίοις ἐγεννᾶτο βοῦς, κ. τ. λ. Forte ex Scholio Nonni inedito: locum, ad quem haec referri possint, & Eudociae caput notavit Jablonskius Panth. Aegypt. Tom. II. p. 188.

Αἴολος κ. τ. λ. Sunt partim ex *Palaephato* de Incredib. Cap. XVIII, partim ex fontibus unde hausit Eustathius ad Dionys. Perieg. v. 465, cujus locum notavit quoque Berkelius ad Steph. Byz. V. Λιπάρα.

Αἰολίδης, κ. τ. λ. Sunt verba Scholiastae Apollon. Rhod. III, 1093.

Ἀσκληπιὸς κ. τ. λ. Prima loci pars usque ad ἠπίως προσφερόμενος, compilata est ex Etym. M. Voc. Ἀσκελές. quocum conferatur Tzetzes ad Lycophr. v. 1054. ubi pro ἐπὶ Δαύνου legendum Ἐπιδαύρου. Posterior pars est ex Cornuto N. D. XXXIII.

XXXIII. in quo ἀπόσκλησις ex Eudocia reponendum pro vulgato ἀπόκλησις.

Ἀσκληπιοῦ δὲ παῖδες λέγονται κ. τ. λ. Locus, ubi haec iisdem verbis tradantur, a nobis non est obſervatus.

Ἄτλαντα τὸν οὐρανὸν βαστάζειν κ. τ. λ. Exſtant apud Cornutum N. D. XXVI.

Αἰακὸς κ. τ. λ. Hic quoque locus unde ſit depromtus, nos fugit. Ceterum de pluvia, ejus precibus a Jove impetrata, eadem fere aliis verbis tradunt Apollodorus III, 11. & Pauſanias I, 44. II, 39.

Ἀνταῖος κ. τ. λ. Habet Euſtathius ad Od. A. p. 1700.

Ἀντιόπη κατὰ μὲν Ὅμηρον κ. τ. λ. Habet idem Euſtathius ad Od. A. p. 1682.

Ἀντιόπη, Νυκτέως ἦν θυγάτηρ, κ. τ. λ. Ex Scholiaſta Apoll. Rhod. IV, 1090. unde corrigendus hic locus.

Ἀμφίων καὶ Ζῆθος κ. τ. λ. Ex eodem Schol. Apoll. Rhod. I, 735.

Ἀλκμαίων Ἀθηναῖος ἦν τὸ γένος, κ. τ. λ. Sedem horum verborum non invenimus. Fundus historiae est apud Herodotum, V, 63.

Ἀχαίων κ. τ. λ. De priori parte ſupra notavimus: posterior est ex Palaephato Incred. Cap. III.

Ἄβαρις κ. τ. λ. Haud ſcimus an hic locus ex ple-

pleniore vel Harpocrationis vel Suidae exemplo; vel ex deperdito Lexico in Oratores Atticos, depromtus sit. Certe in eam cogitationem inducimur verbis Lycurgi, ab Eudocia laudatis, quae nos alibi legere non meminimus: Λυκοῦργος δὲ ὁ ῥήτωρ μέμνηται τοῦ Ἀβάριδος ἐν τῷ κατὰ Μενέσχυς (lege Μενεσαίχμυ) λόγῳ, λέγων· Λιμοῦ γενομένυ ἐν τοῖς Ὑπερβορέοις, ἦλθεν ὁ Ἄβαρις ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ ἐμισθώτευσεν τῷ Ἀπόλλωνι· καὶ ἐδιδάχθη παρ' αὐτοῦ τὸ χρησμολογεῖν· καὶ οὕτω κρατῶν τὸ βέλος εἰς σύμβολον τοῦ Ἀπόλλωνος, τοξότης γὰρ οὗτος ὁ θεὸς, περιῄει χρησμολογῶν πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα. Reliqua ſunt apud Suidam V. Ἄβαρις· Videtur ex eodem fonte hauſiſſe Scholiaſta Ariſtoph. Equ. 725.

Ἀταλάντην καὶ Μηλανίωνα κ. τ. λ. Pauca verba, exordii loco, de ſuo praemiſit Eudocia. Ipſa fabulae narratio ſumta est ex Palaephato Incred. Cap. XIV.

Ἄλκηστις ἡ Πελίυ θυγάτηρ κ. τ. λ. Caput ex variis Auctoribus confectum. Prima pars usque ad ὃς ὤκνησε θανεῖν ὑπὲρ τοῦ παιδὸς, exſtat apud Euſtathium ad Il. B. p. 326. Mox Ἀπόλλων ᾐτήσατο παρὰ τῶν μοιρῶν, est Argumentum vulgatum Alceſtidis Euripideae. Deinceps ſequitur Argumentum ejusdem Tragoediae, a Musgravio revocatum ex Arſenio. Denique ultima pars, indè ab

ἐπειδὴ

ἐπειδὴ Πελίαν ἀπέκτειναν αἱ θυγατέρες, est ex Palaephati Incredib. Cap. XLI.

Ἀλκμαίων ὁ ἐξ Ἀμφιάρεω καὶ Ἐριφύλης, κ. τ. λ. Est apud Eustathium Od. Α. p. 1697.

Ἀμφιάραος μάντις ἦν ἄριστος κ. τ. λ. Apud Eustathium Od. Α. p. 1689.

Ἀμφιάραον φιλεῖν ὁ Ζεὺς λέγεται. κ. τ. λ. Compilata sunt e Philostrato Icon. I, 27.

Ἀγαμέμνων, κατὰ μὲν Ὅμηρον, Ἀτρέως τοῦ Πέλοπος κ. τ. λ. Ex Scholiasta Homeri Il. Α, 7. exceptis verbis οὐδενὸς τῶν ἀρίστων ἥττων ἐφάνη· σεμνὸς γὰρ καὶ μεγαλοπρεπὴς ὁ ἀνὴρ, καὶ ὁπόσα εἰς βασιλέα ἥκει πράττων, quae confecta sunt ex Philostrato Her. VI.

Ἀγήνωρ ὁ Ποσειδῶνος κ. τ. λ. Habet Scholiasta Apoll. Rhod. III, 1185.

Ἀγκαῖος κ. τ. λ. Habet idem Scholiasta Apoll. Rhod. I, 188.

Ἄδωνις ὁ Κύπριος κ. τ. λ. Loci hujus sedem non meminimus nos in alio Scriptore legere. Res quidem ipsae non sunt novae. De Priapo similia produntur apud Nonnum II, 28. Etymol. M. V. Ἀβαρνίδα. Suid. V. Πρίαπος. Schol. Ap. Rhod. I, 932. De Adonide quaedam ex eodem fonte habet Suidas V. Ἄδωνις.

Ἀδωνίδος κῆπων, καὶ δένδρων Ταντάλου πολλὴ διαφορά· κ. τ. λ. Locus exstat apud Eustathium ad Od. Α. p. 1701.

Ἀθά-

Ἀθάμας ἐκ Νεφέλης δύο παῖδας ἔσχε, κ. τ. λ. Ex Scholiasta Aristophanis Nub. 256.

Ἄκμων, ὁ τοῦ Οὐρανοῦ πατὴρ, κ. τ. λ. Apud Eustathium ad Il. Σ. p. 1154. cum quo conferendus est Cornutus N. D. I.

Αἴαντα τὸν Λοκρὸν κ. τ. λ. Sumta sunt ex Philostrato Her. VIII.

Αἴας ὁ Λοκρὸς, κ. τ. λ. Apud Tzetzem ad Lycophr. 365.

Αἴαντα δὲ τὸν Τελαμῶνος κ. τ. λ. Sunt e Philostrato Her. XI.

Αἰγαίωνα κ. τ. λ. Ex Scholiasta Apoll. Rhod. I, 1165.

Αἰγίοχος Ζεὺς, κ. τ. λ. Apud Eustathium ad Il. A. p. 86.

Αἰγὶς τοῦ Διὸς κ. τ. λ. Sunt apud Eustathium variis locis: veluti ad Il. E. p. 601, 602. & ad Il. O. p. 1017.

Αἰγόκερως κ. τ. λ. Est Eratosthenis Catasterism. XXVII.

Ἄϊδος κυνέη. κ. τ. λ. Conflatum est, partim ex Scholio Hom. Il. E. 845, partim ex Hesychio Voc. Ἄϊδος κυνέη, partim ex Diogeniano Prov. I, 39. & Proverbiis ex Suida collectis a Schotto I, 37, 50.

Αἰήτης κ. τ. λ. Ex Scholiasta Apoll. Rhod. III. 242.

Αἴση-

Αἴσημος κ. τ. λ. Est apud Tzetzem ad Lycophr. 344.

Ἄκαστος κ. τ. λ. Ex Scholiasta Apoll. Rhod. I, 224.

Ἀκρίσιος κ. τ. λ. Ex eodem Scholiasta Apoll. Rhod. IV, 1091.

Ἀκτορίωνες κ. τ. λ. Utraque hujus loci pars est apud Eustathium: prior ad Il. Ψ. p. 1321: posterior ad Il. Λ. p. 882.

Ἀλεκτρυῶνα ἄνθρωπον ὄντα κ. τ. λ. Eadem aliis verbis traduntur ab Eustathio ad Od. Θ. p. 1598. fin.

Ἀλέξανδρος κ. τ. λ. Haec apud varios Auctores exstant. De caussa nominum *Alexandri* & *Paridis*, Etym. M. Vocibus Ἀλέξανδρος & Πάρις. De nativitate ejus & reliquis infantiae rebus, eadem sunt ap. Scholiastam Homeri Il. Γ, 325. De utroque apud Apollodorum III, 6. Quae sequuntur de forma & cultu Paridis, sumta sunt ex Philostrato Her. XV. Duae sunt particulae, quarum sedes a nobis non sit observata. Altera: τοῦτον Φιλοκτήτης τοξεύσας, βάλλει. πρῶτον κατὰ χεῖρα λαιάν· εὐθὺς δὲ δεύτερον οἰστὸν ἀφεὶς, ἐκκόπτει τοῦτο τὸν δεξιὸν ὀφθαλμόν· καὶ τρίτῳ βέλει κατὰ σφυρὸν πείρας, αὐτὸν ἀναιρεῖ οὔπω τριακοντούτην· ὅτι δὲ Φιλῳδὸς ἦν ὁ αὐτὸς Ἀλέξανδρος, δηλοῖ καὶ ἡ κιθάρα, ἣν αὐτῷ Ἕκτωρ ὀνειδίζει· quae Philostrati

redo-

redolent dictionem: apud quem diserte illud quidem est, ἀποθανεῖν δὲ οὔπω τριακοντούτην. Altera: Ὅμηρος ἐλάφῳ μὲν αὐτὸν εἰκάζει, ὡς δειλόν· αἰγὶ δὲ ὡς ὀχευτικόν· τοιαῦτα μὲν γὰρ τὰ ζῶα. Quae vero in fine adduntur: Στησίχορος δὲ φησὶν, ὅτι διερχομένου Ἀλεξάνδρου δι' Αἰγύπτου, ὁ Πρωτεὺς Ἑλένην ἀφελόμενος, εἴδωλον Ἑλένης αὐτῷ ἔδωκε· καὶ οὕτως ἔπλευσεν εἰς Τροίαν. haec igitur exstant apud Tzetzem ad Lycophr. 113.

Ἀλετρίδες κ. τ. λ. Apud Eustathium ad Od. Υ. p 1885. cum quo conferendus Scholiasta Aristoph. Lysistr. 644.

Ἀλκιμέδη κ. τ. λ. Habet Scholiasta Apoll. Rhod. II, 45.

Ἀλκυὼν κ. τ. λ. Partim iisdem, partim aliis verbis traduntur a Scholiasta Apoll. Rhod. I, 1086. Eustathio ad Il. I. p. 776. & Suida in Voc.

Ἀλιτήριοι κ. τ. λ. Est apud Scholiastam Aristoph. Equ. 443: & Suidam Voc. Ἀλιτήριος.

Ἁλοσύδνην κ. τ. λ. Exstat apud Eustathium ad Od. Δ. p. 1502. & ad Il. Υ. p. 1203, 1204.

Ἀλωϊάδας κ. τ. λ. Habet Scholiasta Apoll. Rhod. I, 482.

Ἀμάδοχοι κ. τ. λ. Nonnulla varietate exscripta sunt ex Harpocratione V.

Ἀμαζόνες κ. τ. λ. Maxima horum pars exstat apud Eustathium ad Il. Γ. p. 402. Cui adjungendi

gendi sunt Steph. Byz. V. Ἀμάζονες & Ἔφεσος. Etymol. M. iisdem vocibus & Ἄπλους. Strabo XI, p. 504. Quae postremo referuntur, *Amazones non mulieres, sed viros muliebri habitu fuisse*, sunt verba Palaephati Incred XXXIII.

Ἀμαλθεία κ. τ. λ. Quatuor priores versus compilati sunt ex Etym. M. V. Ἀμαλθεία. Proximi totidem versus leguntur apud Hesychium V. Ἀμαλθείας κέρας. Sequens tota pars est apud Eustathium ad Dionys. Per. 433.

Ἀμυμώνη, θυγάτηρ ἦν Δαναοῦ. Ejusmodi breves loci fortasse ab ipsa sunt Eudocia. Nos unde sumti essent noluimus quaerere. Quod semel monuisse satis sit.

Ἀμφιδρόμια κ. τ. λ. Priora sunt apud Harpocrationem, Hesychium, & Suidam V. Ἀμφιδρόμια. Postrema, καὶ ἄλλως sumta sunt ex Etymolog. M. V.

Ἀλφειὸς κ. τ. λ. Haec simili fere modo traduntur a Suida V. Eustathio ad Od. N p. 1746, & ad Dionys. Per. 410: ubi verba γλυκὺς ἐραστὴς ἀμιγὲς ἅλμῃ θαλάσσης φυλάσσων τὸ ῥεῖθρον, veteris Auctoris sunt, qui imitatus videtur elegantiam Luciani Dial. Mar. III. — οὔτε ἀναμίγνυσαι τῇ ἅλμῃ — καὶ γλυκὺ φυλάττων τὸ ῥεῖθρον, ἀμιγὴς ἔτι καὶ καθαρὸς ἐπείγῃ. Vid. T. Hemsterhusius.

Ἀντίποδας, χαμαιεύνας κ. τ. λ. Est apud Euſtathium ad Il. Π. p. 1058. Sequens loci pars de *Sellis* deſcripta est ex Nonno I, 20.

Ἀστρονομίαν αὐτοὶ πρῶτοι λέγονται εὑρηκέναι Βαβυλώνιοι διὰ Ζωροάστρου κ. τ. λ. Ex Nonno I, 70, 71, 72. Particula interjecta, de Platonis loco in Phaedro, exſtat apud Euſtathium ad Od. Α. p. 1397.

Ἁλουργίδα φασὶν εὑρεθῆναι ἐν Τύρῳ τῆς Φοινίκης, κ. τ. λ. Sunt verba Nonni I, 66.

Τύριοι λέγουσιν, ὡς Ἡρακλῆς ἠράσθη νύμφης ἐπιχωρίας κ. τ. λ. Venusta haec de purpurae inventione narratio Auctorem habet Pollucem I, 45. qui fortasſe hinc aliquot melioribus lectionibus augeri posſit.

Οἱ Αἰγύπτιοι κ. τ. λ. Locus unde ſit depromtus, non occurrit. Oratio non est invenusta, res pervulgata. Quod ut alii intelligant, eum totum referamus: Οἱ Αἰγύπτιοι ἐσέβοντο τὰς ἴβεις, τοὺς κροκοδείλους, τοὺς ὄφεις, τὰς αἰλούρους, καί τινα τῶν ἰχθύων γένη· ἐξ ἀλόγου τιμῆς ἑαυτοῖς ἀτιμίαν πορίζόμενοι· περὶ δὲ τούτων ἀκριβέστερόν φησιν ὁ Ἡρόδοτος, ὁ καὶ περὶ πάσης αὐτῶν τῆς θρησκείας, καὶ τῶν βασιλέων ἀκριβῶς καὶ διὰ πλάτος συγγραψάμενος.

Ἀνθεμόκριτος κ. τ. λ. Sunt apud Harpocrationem & Suidam in Voc.

Ἀν-

Ἀντίκλειαν εἶναι τὴν Ὀδυσσέως μητέρα. Habet Euſtathius ad Od Λ. p. 1673. fin. Quae adduntur, plenius retulit idem Euſtathius ad Od. Υ. p. 1871. Unde in Eudocia pro ἄσαντος πολίτε τινός, corrigendum ὕσαντος πολὺ τοῦ Ζηνός.

Sequuntur bréves loci ex eo genere, de quo modo monuimus, quos non tanti putavimus ut eorum Auctores indagaremus. Argumenta eorum ſunt, de *Antinoo*, *Amphinomo*, *Alcinoo*, *Antiphate*, *Admeto*, *Amphictyone*.

Αἴσιμος, ἀδελφὸς Ἀντικλείας τῆς μητρὸς Ὀδυσσέως, γεννᾷ Σίνωνα. Plenius prolatum ſupra in V. Αἴσημος.

Ἀερόπη, γυνὴ Ἀτρέως· ἐμοιχεύθη ὑπὸ Θυέστε, καθὰ καὶ ἡ τοῦ υἱοῦ Ἀγαμέμνονος Κλυταιμνήστρα ὑπὸ Αἰγίσθε. Aliis verbis traduntur ab Euſtathio ad Od. Λ. p. 1693.

Αἰνείε γενεαλογία κ. τ. λ. Conveniunt cum iis, quae Euſtathius refert ad Il. Υ. p. 1204. De Dardani genere idem conferendus est ad Il. Σ. p. 1155.

Ἄβαντος γενεαλογία. Loci ſedem non invenimus, nec eam invenisſe magnopere refert.

Ἀντίλοχος, υἱὸς Νέστορος· κ. τ. λ. Est Philoſtrati Her. III, 2, 4.

Ἡ κατὰ τοὺς ἀπύγους ἱστορία ὧδέ πως ἔχει, κ. τ. λ. Est ex Nonno I, 38, qui hinc aliquot locis emendandus est.

Αἴγυπτος υἱὸς Βήλου ἦν, κ. τ. λ. Eadem, sed alio ordine, exstant apud Eustathium ad Dionys. Per. 805.

Ἄμβραξ, υἱὸς Θεσπρωτοῦ· κ. τ. λ. Apud Eustathium ad Dionys. Per. 493.

Ἄμμων Λιβυκός ἐστι θεὸς κ. τ. λ. Excerpta sunt ex iisdem Commentariis, quibus usus est Eustathius ad Dionys. Per. 211.

ἸΑΤΡΟΙ'.

Ἄκρων, Ἀκραγαντῖνος ἰατρὸς κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀγάπιος. κ. τ. λ. Ductum ab eodem fonte Suidae in Voce.

ἹΣΤΟΡΙΚΟΙ'.

Ἀπολλωνίδης, ὁ καὶ Ὡράπιος ἐπικληθείς. κ. τ. λ. Forte ex pleniore Suidae exemplo sumta sunt. Nam ex ipsa sede, quae est apud Theophilum ad Autolyc. II, 6, locum hunc excitatum esse vix putemus.

Ἀκουσίλαος, Κάβα υἱὸς, Ἀργεῖος. κ. τ. λ. Est ex Suida in Voce.

Ἀναξίμανδρος. κ. τ. λ. Compilatum ex Suida in Voce.

Ἀντίπατρος, Ἰολάου υἱὸς. κ. τ. λ. Excerptum

ptum ex Suida, Voce Ἀντίπατρος· Dissentit in librorum numero & argumento. Apud Suidam est: κατέλιπεν Ἐπιστολῶν σύγγραμμα ἐν βιβλίοις δυσί· καὶ Ἱστορίαν, τὰς Περδίκκου πράξεις Ἰλλυρικάς. Apud Eudociam: ἔγραψεν Ἱστορίαν καὶ σύγγραμμα Ἐπιστολῶν ἐν βιβλίοις εἴκοσι.

Ἀπολλώνιος Ἀφροδισιεύς, κ. τ. λ. Ex Suida in Voce: ubi emendatior exstat hic locus.

Ἀλέξανδρος ὁ Μύνδιος ἱστορικός· διαλαμβάνει περὶ Γοργόνος. Hic locus nec apud Suidam, nec alibi, a nobis observatus est. Ceterum *Alexandri Myndii* non infrequens est apud Veteres mentio. Vid. Jonsius H. Ph. Scr. II, 16, 2: & Menagius ad Diog. Laërt. I, 29.

ῬΗΤΟΡΕΣ.

Ἀδριανὸς ἐκ πόλεως Τύρου κ. τ. λ. Sunt ex Philostrato Vit. Soph. II, 10: 1, 7: & ex Suida in Voce.

Ἀθηνόδωρος ὁ Ῥήτωρ, κ. τ. λ. Ex Philostrato Vit. Soph. II, 14. Quae adjiciuntur de alio Athenodoro: ἐστὶ δὲ καὶ ἕτερος σοφιστὴς Ἀθηνόδωρος ὁ ἀδελφὸς Γρηγορίου τοῦ Θαυματουργοῦ, εὖ γινώσκων τοὺς ῥητορικοὺς τῶν λόγων καὶ πολυμαθὴς περὶ τὰ ῥητορικὰ μέτρα· Haec igitur ex integriore Suidae exemplo sumta videntur. Nam in eo, quo

nunc utimur, exemplo non nisi haec sunt V. Ἀθηνόδωρος. —— καὶ ἕτερος σοφιστὴς, ἀδελφὸς Γρηγορίυ τοῦ Θαυματυργοῦ.

Αἰσχῖναι γεγόνασιν ὀκτώ· κ. τ. λ. Confecta sunt ex Diogenis Laërtii II, 60, 64.

Ἄβας σοφιστὴς, ἱστορικὰ ὑπομνήματα καὶ μέθοδον ῥητορικὴν πάνυ γλαφυρὰν κατέλιπεν. Suidas: Ἄβας σοφιστὴς, ἱστορικὰ ὑπομνήματα καὶ τέχνην ῥητορικὴν καταλιπών.

Ἀναξιμένης Ἀριστοκλέυς κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀλέξανδρος ὁ ῥήτωρ, κ. τ. λ. Ex Philostrato Vit. Soph. II, 6.

ΦΙΛΟ´ΣΟΦΟΙ.

Ἀλκμαίων κ. τ. λ. Sunt Diogenis Laërtii VIII, 83.

Ἀνάξαρχος ὁ φιλόσοφος κ. τ. λ. Compilatus est locus ex Diogene Laërtio IX, 58-60: & Nonno I, 15.

Ἀναξαγόραι τέσσαρες γεγόνασιν· κ. τ. λ. Ex eodem Diogene Laërtio II, 6, sequ.

Ἀγάπιος ὁ φιλόσοφος κ. τ. λ. Est apud Suidam in Voce.

Ἀναξίμανδρος Πραξιάδυ κ. τ. λ. Compilata sunt ex Diogene Laërtio II, 1: & Suida in Voce.

Ἀνα-

Ἀναξιμένης κ. τ. λ. Ex iisdem fontibus, Diog. Laërt. II, 3, & Suid. in Voce.

Ἀντισθένης κ. τ. λ. Item ex Diog. Laërtio VI, 1, sequ., excepta notatione, *de aetate & loco ubi obiit Antisthenes*; quam aliunde petiisse videtur Eudocia: ἐτελεύτησε δὲ Ἀθήνησιν, ἑβδομηκοντούτης γενόμενος.

Ἀκύλας κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀλέξανδρος, Αἰγαῖος. κ. τ. λ. Est initium Glossae, quae apud Suidam exstat in Voce.

Ἀλκίδαμας κ. τ. λ. Ex eodem Suida in Voce.

Ἀμμώνιος, φιλόσοφος, κ. τ. λ. Eadem, quadam varietate, sunt apud Suidam in Voce.

Ἀπολλώνιος Τυανεύς κ. τ. λ. Excerptum est ex loco Suidae in Voce.

ῬΗΤΟΡΕΣ.

Ἀντιπάτρῳ πατρὶς μὲν ἦν Ἱεράπολις κ. τ. λ. E Philostrato Vit. Soph. II, 24.

Ἀπολλώνιος ὁ Ἀθηναῖος κ. τ. λ. E Philostrato Vit. Soph. II, 20.

Ἀντίοχος, ὁ ῥήτωρ καὶ σοφιστής, κ. τ. λ. Haec apud Philostratum non de uno Antiocho; sed partim de hoc, partim de Athenodoro dicuntur: Vit Soph. II, 4 & 14. Eudocia fortasse fidem exempli sui secuta est; quippe eam partem, quam Philostratus de Athenodoro habet, ipsa in loco de Athenodoro omisit.

Ἀνδοκίδης κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀνδρόμαχος κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀνδροτίων κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀντιφῶν κ. τ. λ. Conflata ſunt ex Philoſtrato Vit. Soph. I, 15: & loco Suidae.

Ἀνδροκλείδης κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀπολλώνιος, Ἀρχεβούλε, κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀγαθίας κ. τ. λ. Compilatum ex eodem Suida in Voce. Hic & ſequentes quum fuerint poëtae, apparet inſcriptionem hujus partis omiſſam eſſe.

Ἄλεξις κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀλκαῖος κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀλκαῖος, Μιτυληναῖος κ. τ. λ. Plenius est apud Suidam in Voce.

Ἀλκμᾶν Λάκων· κ. τ. λ. Est compendium Suidae in Voce.

Ἀνακρέων κ. τ. λ. Item, Suidae compendium.

Ἀναξανδρίδης κ. τ. λ. Plenius traduntur apud Suidam. Festivum est Eudociae additamentum. Nam quum ita ſit apud Suidam: καὶ πρῶτος οὗτος ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς εἰσήγαγεν· Eudocia, nolens Anaxandridem impunitum dimittere, ita retulit: καὶ πρῶτος οὗτος ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς ὁ παμμίαρος εἰσήγαγεν.

Ἀναξίππος κ. τ. λ. Ex Suida in Voce.

Ἀν-

Ἀντίμαχος κ. τ. λ. Duo Suidae loci in unum conflati sunt.

Ἀντιφάνης κ. τ. λ. Item ex duobus Suidae locis congestum. Quod ibi omissum est de Antiphane Carystio, habet Eudocia: ἔγραψε κωμῳδίας λ΄· οἱ δὲ πεντήκοντα.

Proximi loci: Ἀπολλόδωρος Γελῷος, Ἀπολλώνιος, Ἀπολλοφάνης, Ἀπολλόδωρος Ταρσεὺς, Ἄρατος Σολεύς: hi igitur omnes ex Suida sumti sunt.

ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΙ΄.

Haec tota pars quum ex Suida sit compilata, ne de singulis singulatim notandum sit, argumenta locorum nominasse sufficiat: Ἅβρων, Ἀκύλας, Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος, Ἀλέξανδρος Αἰτωλὸς, Ἀντέρως, Ἀπίων, Ἀπολλόδωρος Ἀσκληπιάδης, Ἀπολλώνιος Ἀλεξανδρεὺς, Ἀρίσταρχος, Ἀριστόνικος, Ἀριστοφάνης, Ἀρκάδιος, Ἀρχίβιος, Ἀσκληπιάδης, Ἀστυάγης, Ἀριστογένης Θάσιος ἰατρὸς, Ἀριστογένης ἰατρὸς Κνίδιος, Ἀρχιγένης, Ἄψυρτος· In horum ultimo Eudocia numerum addit librorum *Operis Physici de Equis:* ἐν βιβλίοις τέσσαρσιν, cujus loco apud Suidam est, καὶ ἕτερα.

Ἀριστείδης ὁ ῥήτωρ κ. τ. λ. Locus ex Philostrato compilatus Vit. Soph. II, 9: quaedam adjecta sunt ex Suida.

Ἀριστογείτων κ. τ. λ. Ex Suida compilatum.

Ἀπολλώνιος ὁ Ναυκρατίτης κ. τ. λ. Item compilata ex Philostrato Vit. Soph. II, 19.

Ἀριστοκλῆς κ. τ. λ. Ex Philostrato Vit. Soph. II, 3: & ex Suida.

Ἁρποκρατίωνες περὶ τὰ Ῥητορικὰ τρεῖς λέγονται γενέσθαι κ. τ. λ. Tres loci Suidae in unum coacti sunt. Apud hunc est: Λέξεις ί Ῥητόρων. Ἀνθηρῶν συναγωγήν. Eudocia haec ut unum opus memorat: Λέξεις τῶν δέκα Ῥητόρων, ἀνθηρὰν συναγωγήν.

Ἀσπάσιοι τρεῖς σοφισταὶ ἐγένοντο· κ. τ. λ. Haec item ex tribus Suidae locis confecta sunt. A quo differt Eudocia in *Aspasio Ravennate*; quippe nonnulla adjecit ex Philostrato Vit. Soph. II, 33.

Proximi loci, Ἀφαρεὺς, Ἀψίνης, Αἴσωπος, exstant apud eundem Suidam.

Ἀρισταίνετος ῥήτωρ, ἔγραψεν ἱστορίαν Αἰγυπτίων, καὶ περὶ τῶν τοῦ Νείλου ἀγαθῶν. Hic vero locus, qui, quod quidem sciamus, alibi non repertus est, novae notitiae commendationem habet. Rhetorem eum vocat Eudocia, utrum vere, an confundens cum Philostrateo Vit. Soph. II, 11, 1, non definimus. Ceterum referendus est locus ad Aristaenetum illum, cujus Fabricius B. G. I. p. 433, memoriam excitat ex uno Nonno II, 15: ἀνέγνων δὲ παρὰ Ἀρισταινέτῳ τῷ ἱστορικῷ, ὅτι ἑορτάζουσιν Αἰγύπτιοι τῷ Νείλῳ ἑορτὴν πανδημεί κ. τ. λ.

ΠΟΙΗΤΑΙ.

ΠΟΙΗΤΑΙ.

Omnes hujus partis loci exſtant apud Suidam, lectionis quidem varietate exigua, ceterum auctiores plerumque. Sunt vero haec eorum argumenta: Ἀῤῥιανὸς ἐποποιὸς, Ἀρίων, Ἀριστέας, Ἀριστομένης, Ἀριστώνυμος, Ἀρχέδικος, Ἀστυδάμας, Ἄρχιππος, Ἀστυδάμας ὁ νέος, Αὔγουστος Καῖσαρ, Αὐγέας, Ἀχιλλεὺς Στάτιος, Αὐτοκράτης, Ἀχαιὸς, Αἴνικος, Αἰσχρίων.

ΦΙΛΟΣΟΦΟΙ.

Ἀρκεσίλαος κ. τ. λ. Compilata ſunt e Diogene Laërtio IV, 28, ſequ.

Ἀῤῥιανὸς κ. τ. λ. Plenius exſtant apud Suidam.

Ἀριγνώτη κ. τ. λ. Ex Suida.

Ἀριστοκλῆς, κ. τ. λ. Ex Suida.

Ἀρίστιπποι κ. τ. λ. Compilata ex Diogene Laërtio II, 65. ſeq.

Tres proximi loci ſunt Suidae: Ἀριστόξενος, Ἄρνουφις, Αἰσχίνης.

Ἀρχέλαος κ. τ. λ. Ex Diogene Laërtio II, 16, 17.

Ἁρποκρατίων Ἀργεῖος κ. τ. λ. Est Suidae in Voce.

Ἀφρικανὸς κ. τ. λ. Item Suidae in Voce.

Ἀνάχαρσις κ. τ. λ. Sunt Diogenis Laërtii, I, 101, 102.

Ἀρ-

Ἀρτεμίδωρος κ. τ. λ. Habet Suidas in Voce.

Ἀρχιμήδης κ. τ. λ. Auctior est locus quam apud Suidam, unde ſumtus est: nam, quod in noſtris exemplis non exſtat, memoratur ab Eudocia opus hujus Archimedis εἰς τινας τοῦ Πλάτωνος διαλόγους.

Ἀρχύτας κ. τ. λ. E Diogene Laërtio VIII, 79.

Ἀνδροκλείδης, κ. τ. λ. Hic quoque locus habet particulam, quae abest a Suida, ex quo haec depromta ſunt. Addit enim *Alexandriae* docuiſſe Androclidem.

Ἀρίςανδρος ὁ μάντις, Ζεύθου υἱὸς, ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως. ἔγραψε περὶ μαντικῆς βιβλία δέκα. Haec est prior hujus loci pars, quam alibi exſtare non meminimus. Ariſtandrum de Divinatione ſcripſiſſe, conſtat ex Plinio H. N. XVII, 25. Luciano Philopatr. 21, 22, T. III. p. 609, 610. Artemidoro, I, 33. Decem fuiſſe operis libros, haud ſcimus an nemo, praeter Eudociam, prodiderit. Proxima loci pars exſtat apud Euſtathium ad Dionyſ. Per. 747.

Sequuntur duo loci ex alio argumento. Alter est de Festo Ἀπατουρίων, qui exſtat apud Scholiaſtam Ariſtoph. Acharn. 146: cum quo conferendus est idem Schol. ad Pac. 890, Suidas & Harpocration in Voce. Alter est de Proverbio Ἄπαγ' εἰς

εἰς Μακαρίαν, qui exſtat apud Zenobium II, 61, & Scholiaſtam Ariſtoph. Pac. 1148.

Proxima deinceps in hac litera pars usque ad finem est de rebus Heroum, a quibus digreſſa fuerat Eudocia:

Αὔσονες δὲ οἱ Ἰταλοὶ λέγονται, κ. τ. λ. Est apud Euſtathium ad Dionyſ. Per. 78.

Αἰνείαν τὸν Ἀγχίσου κ. τ. λ. Est apud Euſtathium ad Il. Υ. p. 1209.

Ἀρκεσιλάου γενεαλογία κ. τ. λ. Apud Euſtathium ad Od. Π. p. 1797.

Ἀτρεὺς κ. τ. λ. Est Scholium Homeri ad Il. Β. 106.

Ἀντιγόνη κ. τ. λ. Est vulgatum argumentum Antigonae Sophoclis.

Ἁρμονίαν τὴν τῷ Κάδμῳ συνοικήσασαν κ. τ. λ. Sunt apud Euſtathium ad Dionyſ. Per. 389.

Ἀριάδνη κ. τ. λ. Habet auctorem Nonnum II, 1.

Ἀγήνωρ κ. τ. λ. Apud Euſtathium ad Il. Γ. p. 385.

Ἄργος, εἷς τῶν Φρίξου παίδων, κ. τ. λ. Est Scholium ad Apoll. Rhod. II, 1125.

Ἀργὼ, ἡ ναῦς, κ. τ. λ. Conflata ſunt ex duobus Scholiis ad Apoll. Rhod. I, 4, & 224.

Ἄπιδες κ. τ. λ. Habet Suidas in Voce, qui ſua ipſe compilaſſe videtur ex Nonno II, 27.

Ἄρκτος

Ἄρχτος κ. τ. λ. Sunt apud Euſtathium ad Il. Σ. p. 1156.

Ἄρνη κ. τ. λ. Apud Euſtathium ad Il. B. p. 270. Conferendus Steph. Byz. Voc. Βοιωτία.

Ἅρπυιαι, θήλειαι δαίμονες πτερωταί, κ. τ. λ. Plenius traduntur a Tzetze ad Lycophr. 653, qui ex eodem vetere Grammatico hauſit. Conferendi ſunt Steph. Byz. Voc. Ἄπτερα & Etym. M. ibidem.

Ἀστάρτη, ἄγαλμα Ἀφροδίτης, τιμώμενον παρὰ Σιδωνίοις· τοῦ ἄστρου δὲ τύπος, αὐτὸ τὸ ἄστρον ὁ ἑωσφόρος, ὅπερ Ἀφροδίτην ὀνομάζουσι. τὸ αὐτὸ καὶ παρὰ Μοαβιτῶν ἐτιμᾶτο. Locum, ubi haec iisdem verbis traderentur, non obſervavimus.

Ἀστερία κ. τ. λ. Exſtant apud Tzetzem ad Lycophr. 401.

Ἀστυάνασσα, Ἑλένης θεράπαινα. ἥτις πρώτη ἐξεῦρεν Ἀφροδίτην καὶ ἀκόλαστα σχήματα· Eudocia honestioribus verbis reddidit glosſam Suidae: ἥτις πρώτη τὰς ἐν τῇ συνουσίᾳ κατακλίσεις εὗρεν καὶ ἔγραψε περὶ σχημάτων συνουσιαστικῶν.

Ἀστυδάμεια, Ἀκάστου γυνή. Haec ex eo genere est glosſa, quarum ſedem propter brevitatem non quaeſivimus.

Ἀστυόχη κ. τ. λ. Est apud Euſtathium ad Il. B. p. 315.

Ἀσ-

Ἀσφαλίων κ. τ. λ. Apud Euſtathium ad Od. Δ. p. 1492.

Αὐγείας κ. τ. λ. Prior hujus loci pars exſtat apud Scholiastam Apoll. Rhod. I. 172: posterior apud Euſtathium ad Il. Λ. p. 879.

Ἀχέρων, κ. τ. λ. Ex Etymol. M. Voc. Ἀχέρων, & Euſtathio ad Il. N. p. 938.

Αἴολος κ. τ. λ. Est Scholium Homericum Il. A, 2. Conferendi ſunt Strabo VIII. p. 383, & Pauſanias VII, 1.

Ἀρτίβιος Πέρσης, κ. τ. λ. Iisdem verbis haec alibi nos legere non meminimus. Videntur ex eodem deſcripta Commentario, quo uſus est Euſtathius ad Dionyſium Perieg. 373. Auctor notitiae est Herodotus V, 111.

Ἀχιλλέως γενεαλογία κ. τ. λ. Videtur ex pleniore Scholio ad Il. A, 7, ductum esſe.

Γεννηθεὶς ὁ Ἀχιλλεύς, κ. τ. λ. Ex variis Auctoribus conflata ſunt, ut mox notabimus.

Ἄψυρτος κ. τ. λ. Est apud Euſtathium ad Dionyſ. Per. 488.

Enumeravimus omnes primae literae locos, verbo tantum notatis Eudociae argumentis. Ceterum, ut ii quoque, quibus liber non est ad manum, intelligant, quam rationem ſecuta ſit Eudocia in hoc opere concinnando, referamus totum caput de

Achille,

Achille, notatis ejus partibus iis, quarum ſedes apud alios Auctores reperimus:

(1) Γεννηθεὶς ὁ Ἀχιλλεὺς ὑπὸ Θέτιδος παρεδόθη τῷ Χείρωνι, τροφεῖ ἅμα καὶ διδασκάλῳ τῆς τοξείας χρησόμενος· ἦν δὲ οὗτος ὁ Χείρων ἱπποκένταυρος, οἰκῶν ἄντρον τι καὶ σπήλαιον ἐν Θετταλίᾳ· Ὁ οὖν Χείρων λαβὼν Ἀχιλλέα, οὐ γάλακτι καὶ ἄρτῳ ἔτρεφεν αὐτὸν, ἀλλὰ κηρίοις τε καὶ μυελοῖς ἐλάφων καὶ ἄλλων ζώων (2) διὸ καὶ Ἀχιλλεὺς ὠνομάσθη, ὁ μὴ μετασχὼν τοῦ χιλοῦ· χιλὸς γὰρ ἡ τροφή. (3) Κολακεύει δὲ αὐτὸν ὁ Χείρων οἷον λέοντα, πτῶκας ἁρπάζειν, καὶ νεβροῖς συμπέτεσθαι· (4) Εἰς ἡλικίαν δὲ ἥκοντα, ἐν ᾗ

οἱ

(1) Philostr. Her. XIX, 2. ἐπεὶ δὲ ὁ Ἀχιλλεὺς ἐγένετο, ποιοῦνται αὐτοῦ τροφέα τὸν Χείρωνα: ὁ δὲ ἔτρεφεν αὐτὸν κηρίοις τε καὶ μυελοῖς νεβρῶν. Forte Eudocia habuit auctiorem, vel Scholiaſtam ad Il. Λ, 831, vel Commentarium ex quo hauſit Euſtathius ad Il. A, 2. Conferatur Eratoſth. Cataſter. XL. Schol. Arat. p. 55.

(2) Etym. M. V. Ἀχιλλεύς — διὰ τὸ μὴ θίγειν χείλεσι χιλῆς, ὅ ἐστι τροφῆς· ὅλως γὰρ οὐ μετέσχε γάλακτος, ἀλλὰ μυελοῖς ἐλάφων ἐτράφη ὑπὸ Χείρωνος. Conferantur Schol. Hom. Il. Π. 36. Euſtath. ad Il. A. p. 15.

(3) Philoſtr. Icon. II. 2. κολακεύει δὲ αὐτὸν ὁ Χείρων, οἷον λέοντα, πτῶκας ἁρπάζειν καὶ νεβροῖς συμπέτεσθαι.

(4) Philoſtr. Her. XIX, 2. ἐς ἡλικίαν τε ἥκοντα, ἐν ᾗ οἱ παῖδες ἁμαξίδων καὶ ἀστραγάλων δέονται, εἶργε μὲν οὐδὲ τῶν τοιούτων, ἀκοντίοις δὲ ἤθιζε καὶ παλτοῖς, καὶ δρόμοις. Icon. II,

οἱ παῖδες ἁμαξίδων καὶ ἀςραγάλων δέονται, εἴργε μὲν οὐδὲν τῶν τοιούτων· ἀκοντίοις δὲ ἤθιζε καὶ παλτοῖς καὶ δρόμοις· ἱππάζεσθαί τε καὶ κεχρῆσθαι αὐτῷ ὡς ἵππῳ. Ἐπικαθίσας οὖν αὐτὸν ὄπισθεν αὐτοῦ, κατὰ τοῦ ἱππίυ μέρυς, οὕτως ἐγύμναζε καὶ ἐδίδασκεν αὐτὸν τὴν τοξικήν· καὶ οὕτω μὲν περὶ Χείρωνος μυθικῶς πως λέγεται. (5) Ἡ δὲ ἱςορία γενέσθαι αὐτὸν ἐν Πηλίῳ ἀνθρώπῳ ὅμοιον οἶδε, σοφὸν δὲ καὶ λόγυς καὶ ἔργα· θήρας τε γὰρ ποικίλης ἥπτετο, καὶ τὰ πολεμικὰ ἐπαίδευε, καὶ ἰατρικοὺς ἀπέφαινε, καὶ μυσικοὺς ἥρμοττε, καί δικαίυς ἐποίει, βιῶναί τε ἐπὶ μήκιςον· Φοιτῆσαι δὲ αὐτῷ καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Τελαμῶνα, καὶ Πηλέα, καὶ Θησέα· θαμίζειν δὲ καὶ Ἡρακλέα, ὅτε μὴ ἀπάγοιεν αὐτὸν οἱ ἆθλοι, με-

II 2. διδάσκει ὁ Χείρων τὸν Ἀχιλλέα ἱππάζεσθαι, καὶ κεχρῆσθαι αὐτῷ ὅσα ἵππῳ.

(5) Philostr. Her. IX: Χείρωνα δὲ τὸν ἐν Πηλίῳ, γενέσθαι μὲν φησὶν ἀνθρώπῳ ὅμοιον, σοφὸν δὲ καὶ λόγους καὶ ἔργα: θήρας τε γὰρ ποικίλης ἥπτετο, καὶ τὰ πολεμικὰ ἐπαίδευε, καὶ ἰατρικοὺς ἀπέφαινε, καὶ μουσικοὺς ἥρμοττε καὶ δικαίους ἐποίει, βιῶναί τε ἐπιμήκιςον· Φοιτῆσαι δὲ αὐτῷ Ἀσκληπιὸν, Τελαμῶνά τε καὶ Πηλέα, καὶ Θησέα· θαμίζειν δὲ καὶ Ἡρακλέα τῷ Χείρωνι, ὅτε μὴ ἀπάγοιεν αὐτὸν οἱ ἆθλοι· μετασχεῖν δὲ τῆς τοῦ Χείρωνος ὁμιλίας, καὶ αὐτός φησι, Παλαμήδει ἅμα καὶ Ἀχιλλεῖ καὶ Αἴαντι.

μετασχεῖν τε τῆς τοῦ Χείρωνος ὁμιλίας Παλαμήδει ἅμα καὶ Ἀχιλλεῖ καὶ Αἴαντι. Ἀλλ' ἐπὶ τὸν προκείμενον Ἀχιλλέα ἐπανέλθωμεν. (6) Οὗτος μὲν οὖν ἐν Σκύρῳ Δηϊδάμειαν, θυγατέρα Λυκομήδους, ἔτι ἔφηβος, γήμας, γεννᾷ Νεοπτόλεμον, οὕτως ὀνομασθέντα διὰ τὴν νεότητα τοῦ Ἀχιλλέως, καθ' ἣν εἰς τὸ πολεμεῖν ὥρμησεν· ἐνταῦθα τῷ Ἀχιλλεῖ διαιτωμένῳ παρεγένετο ἡ Θέτις, ὡς ὁ μῦθος, καὶ ἐθεράπευε τὸν υἱὸν, ὥσπερ αἱ θνηταὶ τῶν μητέρων· (7) Ὁ δὲ Πολυξένης, τῆς Πριάμου θυγατρὸς, ἐρασθεὶς, ἐδήλωσε τῷ Πριάμῳ συμμαχῆσαι αὐτῷ, εἰ λάβοι τὴν κόρην· ὁ δὲ Πρίαμος συνέ-

(6) Philostr. Her. XIX, 3. 4: Δηϊδάμειαν δὲ, θυγατέρα τοῦ Λυκομήδους, ἔγημε. καὶ γίνεται αὐτοῖς Νεοπτόλεμος, ὀνομασθεὶς τοῦτο διὰ τὴν νεότητα τοῦ Ἀχιλλέως, καθ' ἣν ἐς τὸ πολεμεῖν ὥρμησεν· Ἐνταῦθα τῷ Ἀχιλλεῖ διαιτωμένῳ παρεγίνετο ἡ Θέτις, καὶ ἐθεράπευε τὸν υἱὸν ὥσπερ αἱ θνηταὶ τῶν μητέρων·

(7) Tzetzes ad Lycophr. 269. Φασὶν οἱ πολλοὶ, ὅτι Ἀχιλλεὺς ἐρασθεὶς Πολυξένης, τῆς θυγατρὸς Πριάμου, ἐδήλωσε τῷ Πριάμῳ, συμμαχήσειν αὐτῷ εἰ λάβοι τὴν κόρην· ὁ δὲ συνέθετο δοῦναι· καὶ ἐλθόντων ἐν τῷ τοῦ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ἱερῷ, Ἀλέξανδρος λάθρα τοξεύει τὸν Ἀχιλλέα· καὶ οὕτω συνέβη ἀποθανεῖν τὸν ἥρωα· λαβόντες δὲ τὸ σῶμα αὐτοῦ οἱ Τρῶες ἠσφαλίσαντο, οὐ πρότερον δώσειν ἐπαγγελλόμενοι πρὶν ἢ τὰ δῶρα λάβωσιν ἐξοπίσω, ἃ Πρίαμος ὑπὲρ Ἕκτορος δέδωκεν, ὃ καὶ γέγονεν· λέγει οὖν, Τὸν ἀντίποινον χρυσὸν ἴσον τῷ σταθμῷ δοὺς ὁ Ἀχιλλεὺς, ταφήσεται παρὰ τοῖς Ἕλλησι.

συνέθετο δοῦναι, ὡς τοῖς πολλοῖς ἱςόρηται· καὶ ἐλθόντων ἐν τῷ Θυμβραίῳ Ἀπόλλωνος ναῷ, Ἀλέξανδρος λάθρα τοξεύει τὸν Ἀχιλλέα· καὶ οὕτω συνέβη ἀποθανεῖν τὸν ἥρωα· Οἱ δὲ Τρῶες τὸ σῶμα αὐτοῦ τοῖς Ἕλλησιν οὐκ ἐδίδων, ἕως ἔλαβον πάλιν τὰ δῶρα, ἃ Πρίαμος ἀκριβεῖ ζυγοςαθμήσει τρυτάνης τοῦ ζυγοῦ ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ Ἕκτορος, λάθρα τῶν Ἑλλήνων, τῆς νυκτὸς, τῷ Ἀχιλλεῖ δέδωκεν. (8) Σώςρατος δὲ ἱςορεῖ Ἀλέξανδρον Ἀπόλλωνος ἐρώμενον καὶ μαθητὴν τοξείας, ὑφ' οὗ τόξον ἐλεφάντινον σχόντα, τοξεῦσαι Ἀχιλλέα κατὰ γαςρός· Τέλης δὲ ἱςορεῖ Πενθεσιλείαν ἀνελεῖν τὸν Ἀχιλλέα· αἰτησαμένης δὲ τῆς Θέτιδος τὸν Δία, ἀναςῆναι αὐτὸν καὶ ἀντανελεῖν ἐκείνην· Ἄρεα δὲ, πατέρα Πενθεσιλείας, δίκην λαχεῖν Θέτιδι· κριτὴν δὲ γενόμενον Ποσειδῶνα, κατακρῖναι Ἄρην. (9) Μετὰ δὲ θάνατον Ἀχιλλεὺς, ὡς ληροῦσιν

(8) Eustathius ad Od. Λ p. 1626: Σώςρατος δὲ ἱςορεῖ, Ἀλέξανδρον Ἀπόλλωνος ἐρώμενον καὶ μαθητὴν τοξείας, ὑφ' οὗ τόξον ἐλεφάντινον σχόντα, τοξεῦσαι Ἀχιλλέα κατὰ γαςρός. Τέλλης δὲ ἱςορεῖ, Πενθεσίλειαν ἀνελεῖν τὸν Ἀχιλλέα· αἰτησαμένης δὲ Θέτιδος τὸν Δία, ἀναςῆναι αὐτὸν καὶ ἀντανελεῖν ἐκείνην· Ἄρεα δὲ πατέρα Πενθεσιλείας, δίκην λαχεῖν Θέτιδι. κριτὴν δὲ γενόμενον Ποσειδῶνα κατακρῖναι Ἄρην.

(9) Scholiasta Apoll. Rhod. IV, 814: ὅτι δὲ Ἀχιλλεὺς εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον παραγενόμενος ἔγημε Μηδείαν, πρῶτος Ἴβυκος εἴρηκε, μεθ' ὃν Σιμωνίδης.

ληςοῦσιν, ἔγημε Μηδείαν τὴν Αἰήτου παῖδα, εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον παραγενόμενος· Αἰήτης δὲ καὶ Κίρκη, καὶ Πασιφάη, Ἡλίου παῖδες καὶ Πέρσης τῆς Ὠκεανοῦ, Αἰήτου μὲν παῖδες καὶ Εἰδυίας, Μήδεια καὶ Ἄψυρτος· καὶ τοῦτο πρῶτος Ἴβυκος εἴρηκε καὶ Σιμωνίδης. Τῷ Ἀχιλλεῖ κεκλωσμένον ἦν, ἢ πολυχρόνιον γενήσεσθαι καὶ ἄτιμον, ἢ ὀλιγοχρόνιον καὶ ἔντιμον. (10) Λέγεται δὲ καὶ ὅτι ἐκέλευσε τὸ μαντεῖον Θετταλοὺς εἰς Τροίαν πλέοντας, θύειν κατ' ἔτος τῷ Ἀχιλλεῖ καὶ σφάττειν, τὰ μὲν ὡς θεῷ, τὰ δὲ ὡς ἐν μοίρᾳ τῶν κειμένων. (11) Ἐπειδὴ καὶ οἰμωγὴ τῆς Θέτιδος, ὡς ὁ μῦθος, διεφοίτα τὸν ςρατὸν, ἀνευφημούσης τε καὶ τὸν υἱὸν βοώσης· ἐβόα δὲ τορὸν, μέγα τε καὶ ἔναυλον, καθάπερ ἡ ἐν τοῖς ὄρεσιν ἠχώ· καὶ τότε μάλιςα καὶ Ἀχαιοὶ συνῆκαν ὅτι τέκοι τὸν Ἀχιλλέα ἡ Θέτις, οὐδὲ ἄλλως ἀπιςοῦντες. (12) Τὰ δὲ

(10) Philostr. Her. XIX, 14. ἐκέλευσε γὰρ δὴ τὸ μαντεῖον Θετταλοὺς ἐς Τροίαν πλέοντας θύειν ὅσα ἔτη τῷ Ἀχιλλεῖ, καὶ σφάττειν, τὰ μὲν ὡς θεῷ, τὰ δὲ ὡς ἐν μοίρᾳ τῶν κειμένων·

(11) Philostr. Her. XIX, 12 ἐπειδὴ γὰρ νὺξ ἐπέλαβεν, οἰμωγὴ τῆς Θέτιδος διεφοίτα τὸν ςρατὸν, ἀνευφημούσης τε καὶ τὸν υἱὸν βοώσης· ἐβόα δὲ τορὸν, μέγα τε καὶ ἔναυλον· καὶ τότε μάλιςα καὶ Ἀχαιοὶ ξυνῆκαν ὅτι τέκοι τὸν Ἀχιλλέα ἡ Θέτις, οὐδὲ ἄλλως ἀπιςοῦντες.

(12) Philostr. Her. XIX, 14. Τὰ δὲ Θετταλικὰ ἐναγίσματα

δὲ Θετταλικὰ ἐναγίσματα οὕτως ἦν. ναῦς ἐκ Θετταλίας μέλαινα ἱςία ἠρμένη εἰς Τροίαν ἔπλει· θεωροὺς μὲν τεσσαρεσκαίδεκα ἀπάγουσα· ταύρους δὲ λευκόν τε καὶ μέλανα, χειροήθεις ἄμφω· καὶ ὕλην ἐκ τοῦ Πηλίου· ὡς μηδὲν τῆς πόλεως δέοιντο· καὶ πῦρ ἐκ Θετταλίας ἦγον, καὶ σπονδὰς, καὶ ὕδωρ τοῦ Σπερχείου ἀρυσάμενοι· ὅθεν καὶ ςεφάνους ἀμαραντίνους εἰς τὰ κήδη πρῶτοι Θεσσαλοὶ ἐνόμισαν, ἵνα κἂν ἄνεμοι τὴν ναῦν ἀπολάβωσι, μὴ σαπροὺς ἐπιφέρωσι μηδ' ἐξώρους· νυκτὸς μὲν δὴ καθορμίζεσθαι ἔδει, καὶ πρὶν ἅψασθαι τῆς γῆς, ὕμνον ἀπὸ τῆς νεὼς ᾄδειν εἰς τὴν Θέτιν, ὧδε συγκείμενον.

Θέτι

ματα — καταρχὰς μὲν δὴ τοιάδε ἐγίνετο. ναῦς ἐκ Θετταλίας μέλαινα ἱςία ἠρμένη ἐς Τροίαν ἔπλει, θεωροὺς μὲν δὶς ἕπτα ἀπάγουσα. ταύρους δὲ, λευκόν τε καὶ μέλανα, χειροήθεις ἄμφω, καὶ ὕλην ἐκ τοῦ Πηλίου, ὡς μηδὲν τῆς πόλεως δέοιντο, καὶ πῦρ ἐκ Θετταλίας ἦγον, καὶ σπονδὰς, καὶ ὕδωρ, τοῦ Σπερχειοῦ ἀρυσάμενοι. ὅθεν καὶ ςεφάνους ἀμαραντίνους ἐς τὰ κήδη πρῶτοι Θετταλοὶ ἐνόμισαν, ἵνα, κἂν ἄνεμοι τὴν ναῦν ἀπολάβωσι, μὴ σαπροὺς ἐπιφέρωσι μηδ' ἐξώρους. νυκτὸς μὲν δὴ καθορμίζεσθαι ἔδει, καὶ πρὶν ἅψασθαι τῆς γῆς ὕμνον ἀπὸ τῆς νεὼς ᾄδειν εἰς τὴν Θέτιν ὧδε ξυγκείμενον.

Θέτι κυανέα, Θέτι Πηλεία,
Τὸν μέγαν ἔτεκες υἱὸν Ἀχιλλέα.
Τοῦ θνατὰ μὲν, ὅσον φύσις ἤνεγκέ τοι,
Τροία λάχε.
Σᾶς δ' ὅσον ἀθανάτου γενεᾶς παῖς ἔσπασε,
Πόντος ἔχει.
Βαῖνε πρὸς αἰπὺν τόνδε κολωνὸν
Μετ' Ἀχιλλέως ἐν πυρᾷ.
Βαῖν' εὐδάκρυτος μετὰ θυηλᾶς,
Θέτι κυανέα, Θέτι Πηλεία.

Προσελθόντων δὲ τῷ σήματι μετὰ τὸν ὕμνον, ἀσπὶς μὲν ὥσπερ ἐν πολέμῳ περιεδουπεῖτο· δρόμοις δὲ ἐρρυθμισμένοις συνηλάλαζον, ἀνακαλοῦντες τὸν Ἀχιλλέα· στεφανώσαντες δὲ τὴν κορυφὴν τοῦ κολωνοῦ, καὶ βόθρους ἐπ' αὐτῇ ὀρύξαντες, τὸν ταῦρον τὸν

„ Θέτι Κυανέα, Θέτι Πηλεία, τὸν μέγαν ἔτεκες υἱὸν
„ Ἀχιλλῆα, τοῦ θνατὰ μὲν ὅσον Φύσις ἤνεγκέ τοι, Τροία
„ λάχε· σᾶς δ' ὅσον ἀθανάτου γενεᾶς παῖς ἔσπασε, πόντος
„ ἔχει· βαῖνε πρὸς αἰπὺν τόνδε κολωνὸν Ἀχιλλέως· ἐν πυρᾷ
„ βαῖν' ἀδάκρυτος μετὰ θυηλᾶς. Θέτι Κυανέα, Θέτι Πηλεία"
Προσελθόντων δὲ τῷ σήματι μετὰ τὸν ὕμνον, ἀσπὶς μὲν ὥσπερ ἐν πολέμῳ περιεδουπεῖτο, δρόμοις δ' ἐῤῥυθμισμένοις συνηλάλαζον, ἀνακαλοῦντες τὸν Ἀχιλλέα. στεφανώσαντες δὲ τὴν κορυφὴν τοῦ κολωνοῦ καὶ βόθρους ἐπ' αὐτῇ ὀρύξαντες τὸν ταῦρον τὸν μέλανα ὡς τεθνεῶτι ἔσφαττον. ἐκάλουν δὲ καὶ τὸν Πάτροκλον ἐπὶ τὴν δαῖτα, ὡς καὶ τοῦτο ἐς χάριν τῷ Ἀχιλλεῖ πράττοντες. ἐντε-

τὸν μέλανα, ὡς τεθνεῶτι ἔσφαττον· ἐκάλουν δὲ καὶ τὸν Πάτροκλον ἐπὶ τὴν δαῖτα, ὡς καὶ τοῦτο εἰς χάριν τῷ Ἀχιλλεῖ πράττοντες· ἐντεμόντες δὲ καὶ ἐναγίσαντες, κατέβαινον ἐπὶ τὴν ναῦν ἤδη· καὶ θύσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, τὸν ἕτερον τῶν ταύρων Ἀχιλλεῖ πάλιν, κανοῦ τε ἐναρξάμενοι καὶ σπλάγχνων ἐπ' ἐκείνῃ τῇ θυσίᾳ, (ἔθυον γὰρ τὴν θυσίαν ταύτην ὡς θεῷ) περὶ ὄρθρον ἀπέπλεον, ἀπάγοντες τὸ ἱερεῖον, ὡς μὴ ἐν τῇ πολεμίᾳ εὐωχοῖντο· Καὶ ταῦτα περὶ Ἑλληνικοῦ Ἀχιλλέως. (13) Λέγουσι δὲ τινὲς καὶ ἕτερον γεγονέναι Ἀχιλλέα παρὰ Σκύθαις, βασιλέα τῶν τόπων· ὃς ἠράσθη τε τῆς τοῦ Ἀγαμέμνονος Ἰφιγενείας πεμφθείσης ἐκεῖ, καὶ ἔμεινεν ἐπιδιώκων· ἐξ οὗ καὶ ὁ τόπος Ἀχίλλειον ὠνομάσθη, οὐ μὴν ἐκ τοῦ Ἑλληνικοῦ· οἱ δὲ τοῦτο λέγοντες παραφέρουσι μάρτυρα τὸν Ἀλκαῖον λέγοντα· Ἀχιλλεῦ ὃς τᾶς Σκυθικᾶς μεδέεις.

Hujus

μόντες δὲ καὶ ἐναγίσαντες, κατέβαινον ἐπὶ τὴν ναῦν ἤδη· καὶ θύσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν τὸν ἕτερον τῶν ταύρων Ἀχιλλεῖ πάλιν, κανοῦ τε ἐναρξάμενοι καὶ σπλάγχνων, ἐπ' ἐκείνῃ τῇ θυσίᾳ, τὴν γὰρ θυσίαν ταύτην ἔθυον ὡς θεῷ, περὶ ὄρθρον ἀπέπλεον ἀπάγοντες τὸ ἱερεῖον, ὡς μὴ ἐν τῇ πολεμίᾳ εὐωχοῖντο.

(13) Eustathius ad Dionys. Perieg. 306: ἄλλοι δέ φασιν ἕτερον εἶναι τοῦτον τὸν Ἀχιλλέα παρὰ Σκύθαις, βασιλέα τῶν τόπων, ὃς ἠράσθη τε τῆς Ἰφιγενείας πεμφθείσης ἐκεῖ, καὶ ἔμεινεν ἐπιδιώκων· οἱ δὲ τοῦτο λέγοντες παραφέρουσι μάρτυρα τὸν Ἀλκαῖον λέγοντα· Ἀχιλλεῦ ὃς τᾶς Σκυθικᾶς μεδέεις.

Hujus quamvis longae ac laboriosae censurae nos eo minus poenitet, quo accuratius agendum erat de libro antiquo nunc primum ad communem notitiam vulgato. Operam dedimus, ut ostenderemus, quid in eo novum, quid vulgatum, esset. Vidimus, in satis magna parte, quam recensuimus, perpaucos esse locos, quorum sedem in Auctoribus editis non reperiremus. Qui loci utrum alibi exstent, an nostram diligentiam fugerint, non statuimus. Sed fac, quod non est credibile, nil esse in Eudociae opere, quin idem in editis libris proditum sit; magna profecto ei relinquatur laus criticae utilitatis ad Auctorum, ex quibus congestum est, lectionem constituendam. Itaque Villoisonus, quamvis nullam adjecit animadversionem, magnopere de Antiquitatis studio meritus est edendo vetere monumento diu ab eruditis hominibus exspectato.

II.

GASPARIS ALOYSII ODERICI, *Patricii Genuensis, Academici Etrusci, De Marmorea Didascalia in Urbe reperta, Epistola ad Cajetanum Marinium, Tabular. Secret. Vatic. Praefectum.* 8. *Romae* 1777. *pagg.* 115.

Eorum, qui eruditam Antiquitatem scriptis illustrant, varia sunt genera, pro varia, quam sequuntur, ratione ac via, varioque ingenii doctrinaeque modo. Et primum quidem sunt, qui diligenti Veterum lectione monumenta colligant, in suos locos disponant, fideliter tradant, eaque opera contenti abstineant a disputandi subtilitate: doctum & laboriosum, plerumque etiam modestum, hominum genus; ex quo fuit Joannes Meursius. Alii nil adferunt novae materiae, sed ratione & ingenio sibi valere videntur, ipsi architecti esse volunt, illos laboriosos tamquam bajulos contemnunt, & ex rudi eorum indigestaque mole firmum & praeclarum doctrinae opus se exstructuros profitentur: vanum & jejunum, & frequens nostris temporibus, genus. Sunt vero etiam, qui non contenti materia a prioribus congesta, eam augeant abditis Antiquitatis recessibus pervestigandis, eique certam judicii ra-

tionem accuratamque interpretationem adhibeant: optimum genus, sed idem perquam rarum. His generibus interjecta sunt alia, ita vel laudanda vel reprehendenda, ut cum horum quoque conjuncta sunt. Atque ex medio ejusmodi genere censemus esse hujus Epistolae Scriptorem. Nam, ut Veterum aut lectione aut interpretatione nil novi protulit ad hunc locum pertractandum, tamen utraque hactenus valuit, ut materiam a prioribus congestam digereret, cum Antiquitatis intelligentia, tum disserendi diligentia.

Duae sunt libelli partes, quarum prior eaque longior est de tempore, ratione, & legibus certaminum Tragicorum & Comicorum; altera eaque brevior, cujus caussa libellus editus est, continetur duobus fragmentis iisque laceris Didascaliae Marmoreae, eorumque explicatione. Nos deinceps Auctoris disputationem summatim referamus.

„Ut Grammatici veteres peculiaribus scriptionibus, quae *Didascaliae* dicebantur, tempora locosque fabularum actarum prodiderunt; ita earundem rerum memoria publice lapidibus inscripta est. Sed Grammaticorum in hoc genere libri ad unum omnes perierunt, nec nisi brevissimae paucissimaeque notationes in Argumentis fabularum Aristophanis & Tragicorum servata sunt. Lapidea quoque monumenta vetustas absumsit: nec nisi duo ad nostrae aetatis notitiam venerunt Didascaliae fragmenta,

quae

quae hoc libello vulgata sunt. Primum, in aedibus Maffejorum Romae repertum, & a Cajetano Marinio cum Oderico communicatum, antea nondum editum erat. Alterum, a Calmaldulensibus monachis antea ad calcem Syllogae Odericianae adjectum, & a quodam haud indocte illustratum, sed perperam tamen ad Athletas relatum, nunc ab Oderico recte Didascaliis, & quidem Comicis, vindicatum est." (§. 1. 2.)

Non modo Didascalias; sed nomina fabularum certi Tragici sola, marmoribus inscribi & posteritati commendari moris fuisse apud Graecos, apparet ex fragmento Inscriptionis ap Muratorium p. 609. in quo haec nomina fabularum Euripidis extant. Ἄλκηστις, Ἀρχέλαος, Αἰγεύς, Αἴολος, Ἀλόπη, Ἀντιγόνη, Ἀλκμαίων, Ἀνδρομέδα, Μέσανδρος (leg. Ἀλέξανδρος), Αὔγη, Ἀνδρομάχη, Ἀντιγόνη (leg. Ἀντιόπη), Αὐτόλυκος, Βάκχαι, Βελλοροφόντης, Βούσειρις, Δίκλυς, Δανάη, Εἰφιγένεια, Ἑλένη, Εἰνώ, Ἑκάβη, Ἐρεχθεύς, Εὐφυσθεύς (leg. Εὐρυσθεύς), Ἔπεος, (si vera est scriptura, novam fabulae nacti sumus notitiam) Ἡρακλ....

Proxima est (§. 3.) disputatiuncula de aetate Thespidis, & initii certaminum Tragicorum. De qua non est quare referamus, post accuratam Bentleji disputationem in Responſ. ad Censur. Boylei Cap.

Cap. VIII--XI: quam sibi nequaquam videre licuisse, scribit Odericus: qui, si eam vidisset, aliter de toto hoc loco judicaturus erat. Ceterum, *Tragica ne an Comica certamina sint antiquiora*, quod ignorare se ingenue fatetur, cognoscere poterat, *Comica recentiora esse*, ex Aristotele Poet. Cap. V. quocum consentit Horatius A. P. 281.

„Constat quatuor fuisse festa quibus Scenica certamina haberentur, *Panathenaea* & *Liberalia*. Ceterum Liberalium formae tres fuerunt: *Dionysia* per excellentiam ita dicta, quod *Majora* essent & vocarentur: sed in duabus reliquis formis dissentiunt eruditi; Seldenus & Corsinus Λήναια & τὰ κατ' ἀγροὺς faciunt, eaque distinguunt: Petitus, Palmerius, Spanhemius, haec unum idemque festum fuisse volunt, eique *Anthesteria*, ut tertiam formam, adjungunt." Horum sententiam sequitur Odericus, eique confirmandae longam nec indoctam consumit disputationem usque ad §. 10: de qua mox peculiariter exponemus.

Quare Scenica certamina Panathenaeis acta sint, ratio redditur ex Minervae cum Baccho cognatione, quae ex Diodoro Siculo & Nonno aperitur. Sequitur (§. 12.) recensio quarumdam legum, quibus Scenici tenebantur. *Ne quis in scenam prodeat minor annis triginta, vel quadraginta*, ap. Schol. Aristoph. Nub. 350, non minus ad actores quam poëtas, ceterum ad Comicos solum, pertinuisse videtur; quippe

quippe Sophocles octavo supra vigesimum anno vicit. *Ne quis Archontem in comoedia ludat*, ap. Schol. Aristoph. ib. 31. *Ne quis nomine quempiam in Comoedia ludat.* Illa fere ex Petito Legg. Att. I, 1. repetita sunt. Quem ubi deserit Odericus, & Vossium secutus duas alias memorat leges ex Platone, non se facile expedit. Nec enim Plato eas leges Athenis valuisse dicit, sed in ea, quam fingit, re publica constitui vult.

„ *Iudices victoriae* (§. 13, 14.) fuerunt numero quinque." De quibus consulere poterat Odericus Valesium ad Mausaci Diss. in Harpocrat. p. 82, laudatum a P. Wesselingio ad Petit. Leg. Att. p. 154, quam editionem non habuisse videtur. Ceterum ex Luciano in Harmonide (T. I. p. 853.) notat, numerum Iudicum non semper eundem fuisse. Recte quoque reprehendit eos, qui ex Plutarcho Cimon. p. 483. D. conficere volunt, *decem fuisse judices.* Nam factum illud singulare est, & ad unum certamen pertinet, quod judicum sententias Aeschylum inter & Sophoclem suspensas tenuit. Acuta, nec abhorrens a verisimilitudine, est Plutarchi correctio, qua pro Ἔθετο δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν, Odericus legit, ἔθ. δ' εἰς γνώμην αὐτοῦ κ. τ. λ.

„ Tragici quatuor certabant fabulis (§. 15, 16.), tribus Tragoediis & Satyrico dramate, quae plerumque, nec tamen semper, in eodem argumento versabantur." Hoc de loco, quae traduntur ab Oderico,

Oderico, satis pervulgata sunt. Diligens est animadversio erroris, in quem Corsinum induxit Dodwellus, qui Xenoclem adversarium & victorem Euripidis in Olympionicarum numero posuerunt, decepti falsa inscriptione capitis apud Aelianum V. H. II, 8, quam dudum reprehenderat Kuhnius. Nam in Olympicis non fuit locus Tragicis certaminibus, quae Nero demum induxit."

„ Denique dicitur de praemiis Victorum, *hirco* Tragicorum, ficubus Comicorum: vino, tripode seu poculo, oleo ex moriis, coronis: quae an Tragicis & Comicis, & omnibus festis promiscue tributa sint, definiri nequit." In marmore Arundeliano ignóravit palmariam emendationem Bentleji Resp. ad Cens. Boyl. Cap. VIII p. 112, 113: sed, secutus vitiosam lectionem, perperam Comicis obtrudit praemium quod *quadrigis domum veheretur.*

Sequitur altera libelli pars, quae majorem novitatis gratiam habet; quippe continetur duobus fragmentis Didascaliae marmoreae, altero nunc primum edito, altero rectius explicito. Haec, quandoquidem breves sunt Inscriptiones, hoc loco reponamus, cum annorum notis ut ab Oderico expressae sunt, & adjectis speciminis caussa quibusdam ejus interpretationibus.

Frag-

Fragmentum I.

Lin.

1.........ΠΙ ΑΝΤΙΟΧΙΔΟΥΚΥ Ol. 86. a. 2.

2.........ΣΚΩΜΩΙΔΙΑΙ Δ̄ ΕΝΑ

3. .... ΜΩΙΔΙΑΙ ΕΠΙ ΤΙΜΟΚΛΕ 84. a. 4.

4.....ΕΠΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΣΑΤΥΡΟΙΣ 85. a. 3.

5..... ΕΡΟΙΣ ΣΙΔΗΡΟΙΣ ΕΠΙ ΠΥ

6...... ΟΙΣ Ε̄ ΕΠΙ ΑΝΤΙΟΧΙΔΟΥ 86. a. 2.

7........ΥΣΙΠΠΟΣ ΕΝΙΚΑΜΕΝ

8. .... ΠΟΥ ΚΑΤΑΧΗΝΑΙΣ

9....... ΑΙΣ ΑΥΤΑΙΜΟΝΑΙΣΩΙ

10. .... ΠΙΔΙΟΦΑΝΤΟΥ ΔΙΟΝΥ 96. a. 2.

11. ..... ΤΕΙ ΕΠΙΝΙΚΟΤΕΛΕΟΥΣ 97. a. 2.

12. ......Ε ΕΠΙ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ 86. a. 1.

13. .... Ι ΕΠΙ ΜΟΙΡΙΧΙΔΟΥ 85. a. 1.

14. ..... ΥΣ ΚΟΛΕΟΦΟΡΟΙΣ

Fragmentum II.

1. ..... ΕΠΙ ΧΙΩΝΟΣ ΜΑΙ ... 103. a. 4.

2. ...... ΔΙΟΝΥΣΟΥΓΟΝΑ....

3. ..... ΑΜΠΡΑΚΙΟΤΙΔΙ Γ̄ΕΝ ...

4. ..... ΤΡΑΤΟΥ ΕΡΕΧΘΕΙΕ....

5. ... ΑΕΙ ΕΠΙ ΧΑΡΙΣΑΝΔΡΟ .. 101. a. 1.

Lin.

Lin.

6. . . . . . ΠΟΔΑΜΑΝΤΟΣ ΙΟΙ Ε . Ol. 101. a. 2.
7. . . . . ΟΔΥΣΣΕΙ ΕΠΙ ΚΗΦΙΣΟΔ . . 103. a. 3.
8. . . . ΕΠΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ ΑΓ . . 107. a. 3.
9. . . . . ΞΙΠΠΟΥ ΛΗΝΑΙΑ ΕΠΙ . . .
10. . . . . ΟΙΩΙ ΕΠΙ ΝΑΥΣΙΓΕΝΟΥ . . . 103. a. 1.
11. . . . . ΝΑΣΤΕΙ ΕΠΙ ΧΙΩΝΟΣ . . . — a. 4.
12. . . . . . . ΕΙ ΕΠΙ ΑΓΑΘΟΚΛΕ . . . . 105. a. 4.
13. . . . . ΠΙ ΘΟΥΔΗΜΟΥΑ . . . . 106. a. 4.
14. . . . . . . ΟΥΑΝΤΕΡΩΤΙΙ . . . . . .
15. . . . . ΝΙΚΑΛΗΝΑΙΑ . . . . . .
16. . . . . Ι ΕΝΑΣΤΕΙ . . . .
17. . . . . ΙΙΕΤ . . . .
18. . . . . ΑΡ . . . .

Utramque Inſcriptionem ad eandem Didaſcaliam pertinere, ejusdemque monumenti partem esſe, contendit Odericus; marmoris enim ſpeciem & literarum formam eandem esſe. Nomina Poëtarum, quae ab initio verſuum exſtitisſe videntur, omnia interciderunt. Ex Archontum nominibus Odericus annos collegit ac notavit. Fabularum, quae memorantur, novas nec antea cognitas fuisſe obſervat, Σιδῆρυς, Καταχῆνας, Αὐταιμόναιον, Κολεοφόρυς, Ἀμπρακιότιδα, Ἀντέρωτα. Quae nomina an diſerte in marmore ſervata ſint, non defi-

definimus: de Ἀὐταιμωναίῳ quidem dubitamus. Loco ejus quod vulgatum est Ἀντέρωτι, quid si Ἀντερῶντι fuit? hoc enim nomine laudatur Anaxandridae fabula Athenaeo XIV. p. 654. B.

Sed, age, specimina interpretationis proponamus ex Commentario Editoris.

Ad Fragm. I. lin. 5. „ Delphos abibis, ea si te „ cura mordet, Phoebi oracula sciscitatum, quid- „ nam Σίδηροι isti, ex quibus Comoedia hujus „ anni nacta est nomen. Vereor enim, ne nos „ Anticyram navigare jubeas, si qui non ἐν ὄλμῳ „ ἐχοιμήθημεν, definire id audeamus. At quidquid „ sit, novam habes atque hactenus ignotam Co- „ moediam. Quid illa vero ἐπὶ Πυ..? Legamne „ Πυθοδώρυ, an Πυῤῥίωνος. Nam Πυθόκριτον „ Ol. LXXXI, 3, & Πυθέαν Ol. CI, 1, epony- „ mos hinc nimium distare arbitror. Pyrrionem Ol. „ XCVIII, 1, Archontem refert Diodorus Sic. „ XIV, 107. Pythodoros duos reperio, quos huc „ referre possis, alterum Ol. LXXXVII, epony- „ mum: alterum Ol. XCIV, 1, Archontem fuisse „ memorant Xenophon & Lysias (ἑλ. II, 3. Orat. „ de Sacra Oliv.) quamvis hic annus a Diodoro „ aliisque *Anarchiae* nomine designetur, cujus rei „ caussas dabit Corsinus, Fast. Att. h. a."

Ibid. lin. 9. „ Comici nomen hic latet: an Εὔπολις, nobilis Comoediae poeta? Floruit sane

„ per ea tempora, quae Didascalia haec nostra com-
„ plectitur, atque Ol. LXXXVIII, 3, Νεμηνίαις
„ *tertias* tulit, uti in Acharnensium Didascalia le-
„ gitur: Ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυδήμε Ἄρχοντος ἐν
„ Ληναίαις διὰ Καλλιςράτε, καὶ πρῶτος ἦν·
„ δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις, οὐ σώζεται·
„ τρίτος Εὔπολις Νεμηνίαις. Id. Ol. LXXXIX, 3,
„ Alcaeo Archonte, Κόλακας docuit: anno au-
„ tem sequente Αὐτόλυκον, uti leges apud Athe-
„ naeum V, 17, 18.

„ Αὐταιμοναίσω· tertius hic ignotae Comoediae
„ titulus, pluribus ex vocibus efformatus: non hoc
„ sane primum Graecorum in Fabulis exemplum;
„ at quid sibi velint, ex aliis libentius discam; nam
„ quod utcumque probem, non habeo.

Fragm. II. lin. 9. „ ΟΙΩΙ. Et hic Comoediae
„ nomen latet, sed plura sunt, quae huic trunco
„ aptari possint capita. Legi namque posset
„ Αυτροποιῷ, quo titulo invenio Anaxilae Fabu-
„ lam apud Pollucem VII, 167: quam ab aliis
„ Αυροποιὸν, ab aliis Μυροποιὸν, ab aliis Αὐρο-
„ ποιὸν nominatam refert Fabricius. Ἐκπωμα-
„ τοποιὸν Alexidis, Νυμφοποιὸν Sophronis, apud
„ eundem Fabricium reperio. At Sophron si Eu-
„ ripidis, ut fertur, aequalis fuit, huc non perti-
„ net: obiit enim Euripides, ex Arundelliano mar-
„ more, Antigene Archonte, Ol. XCIII, 2, annis

„ octo

„ octo & triginta ante Nausigenem, quo haec Fabula acta fuit, nimirum Ol. CIII, 1."

In his, quamquam paucis & brevioribus, illustrationibus satis inesse arbitramur indicii, unde ratio Interpretis intelligatur. Nam longiores quoque annotationes subinde expromsit, neque versum intactum reliquit, exceptis tribus ultimis secundi Fragmenti.

Superest ut referamus de libelli parte, quâ de *tribus festis Bacchi* exponitur, & eorum sententia defenditur, qui Λήναια ac τὰ κατ' ἀγροὺς eadem esse volunt. Nam, descripta demum hac parte, vidit Ruhnkenii de hoc argumento disputationem in Auctario Emend. Hesych. T. II. ad Voc. Διονύσια; qua disputatione, ut omnis Liberalium ratio novâ luce illustratur, ita extra dubitationem ponitur, Λήναια diversa a τοῖς κατ' ἀγροὺς, & eadem atque *Anthesteria*, fuisse Igitur Odericus, vel praejudicata opinione occupatus, vel studio tenendae sententiae incitatus, Addenda subjecit, quibus Ruhnkenii rationes refelleret. Nos primum summas referemus utriusque disputationis, Odericianae & Ruhnkenianae: deinde videbimus quae earum ad veri similitudinem propius accedat.

ODERIC. §. 4. Quatuor ludis certabatur quotannis, *Panathenaeis* ac tribus festis *Bacchi*. Horum prima & antiquissima *Anthesteria*: celebrabantur mense *Anthesterione*, ut Thucydides II, 94. (l. 15)

 testa-

testatur, & idcirco *Anthesteria* appellata sunt: eadem *Limnaea* dicta, quod antiquitus in Limnaei Bacchi templo agerentur, & Χύτροι ab ultimo *Anthesteriorum* die, quo celebrabantur. Secunda, quae mense *Posideone* habebantur, *Rustica*, seu κατ' ἀγροὺς, & *Lenaea*, dicta sunt: illud, quod in agris agerentur: hoc vero ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, a *torcularibus*, quorum in vindemiis usus. Tertia tandem, quae mense *Elaphebolione* habita sunt, *Dionysia* per excellentiam vocata, *Dionysia magna*, &, quod in urbe haberentur, *Dionysia* ἐν ἄστει. cet."

Haec ceterum nota sunt. Illud non ita simpliciter poni debuerat, Λήναια *dicta esse a* ληνοῦ, *torculari.* Nam, quamquam ante inductos in urbem hos ludos *Lenaea* ac *Rustica* eadem fuisse videntur, quippe quae ruri agerentur; tamen postea hoc nomen retinere potuerunt a Baccho *Lenaeo*, cujus templum in Limnis erat, ut videbimus ex Hesychio. *Lenaea* vero & *Rustica* eadem fuisse, quibus rationibus efficere conetur, mox cognoscemus.

Idem §. 5. „ Non satis constat de tempore, quo primum his festis Tragica & Comica certamina addita sunt. Panathenaeis quidem ea Pericles adjecit, ut constat ex Plutarcho in ejus vita (p. 160. B). *Anthesteriis*, Aristophanis aetate, nulla fuisse certamina contendit Palmerius Exerc. in Gr. Auctor. p. 618. auctoritate Scholiastae Acharn. (503.): qui duo fuisse memorat, *in urbe* & *in agro*: praeterea

inductus

inductus silentio proëmiorum in fabulas Aristophanis, ubi nulla mentio fiat fabulae *Anthesteriis* actae. Sed haec levis est ratio; nec enim Didascalias omnes habemus; & in iis, quas habemus, festus saepe dies omittitur. Ceterum *Anthesteria* aliquamdiu intermissa, a Lycurgo Oratore restituta sunt, ut est apud Plutarchum (T. II. p. 841. E.). Errat vero Petitus, cum ait Comicorum Tragicorumque fabulas *Anthesteriis* primum actas, Callia post Antigenem Archonte, Ol. 93, anno 3: falsa interpretatione verborum Aristotelis ap. Schol. Ar Ran. 406. deceptus, ut recte notavit Kusterus."

Res, ut aliis in partibus, ita hac in parte, multo erit expeditior, si statuamus *Anthesteria* & *Lenaea* fuisse eadem. Nam, quamquam aliis quoque locis apud Athenienses festa Bacchi celebrarentur Comoediis & Tragoediis, tamen, quum de Victoriis Scenicis loquuntur Veteres, duo tantum genera memorant, τὰς ἐν Ἄστει & τὰς ἐπὶ Ληναίῳ, *Urbanas* & *Lenaeas*; nec tantum in Didascaliarum reliquiis, sed in ceteris scriptis. Plutarchus vero perperam accipitur. Nam illud dicit, *Comicorum certamina constituta esse a Lycurgo* τοῖς Χύτροις: qui erant pars *Anthesteriorum*. Hoc igitur nec ad tota *Anthesteria*, nec ad omnia Scenica certamina, sed ad sola Comica, pertinet.

Idem §. 6. „ Dissentiunt eruditi de *Lenaeis*: Seldenus, Longoruaeus, & Corsinus volunt eadem

 fuisse

fuisse atque *Anthesteria*: Petitus, Palmerius, Spanhemius eadem fuisse statuunt quae *Rustica*; quorum multo probabilior est sententia. Nam primum, vox ipsa rusticum habet Etymon: *Lenaea* quippe ἀπὸ τοῦ ληνοῦ. Deinde, ut Aristophanis Scholiastam (Acharn. 201, 503,) omittam, aperte id docet Apollodorus apud Steph. Byz. V. Ληναῖος: Ληναῖος· ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς, ἀπὸ τοῦ Ληνοῦ. Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ Χρονικῶν· Neque satis suadet Seldenus, verba ἐν ἀγροῖς futile esse, sive Hermolai Epitomatoris, sive alterius alicujus recentioris, glossema. Tertio: *Chytros* a *Lenaeis* distinguunt Thrasyllus apud Laërtium, Aelianus, atque Athenaeus. *Chytri* autem ultimus *Anthesteriorum* dies fuerunt. Ergo differunt *Anthesteria* a *Lenaeis*. Porro *Rustica* ex plaustris data sunt antiquitus. At *Lenaea* quoque è plaustris acta, est apud *Suidam* V. Ἐξ ἁμάξης: quae ad ea tempora referenda, quibus rudis adhuc & imperfecta Scenica res fuit. Insignis est locus Demosthenis Or. contr. Midiam (p. 386. C.) ubi *Lenaea* ab *Anthesteriis* distincta sunt, & qui Seldenum apertissime coarguit: Εὐήγορος εἶπεν· Ὅταν ἡ πομπὴ ᾖ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ, καὶ οἱ Κωμῳδοὶ καὶ οἱ Τραγῳδοὶ. καὶ ἐπὶ Ληναίῳ ἡ πομπὴ, καὶ οἱ Κωμῳδοὶ καὶ οἱ Τραγῳδοί. καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ, καὶ οἱ παῖδες, καὶ ὁ κῶμος, καὶ οἱ Κωμῳδοὶ καὶ οἱ

Τρα-

Τραγῳδοὶ. κ. τ. λ. Spanhemio assentior, qui, ubi Theatrum in Piraeo extructum, antiquissimam illam Liberalium pompam, quae prius in Limnaei Bacchi templo agebatur, in Piraeum dehinc, in quem per longos muros brevis erat ex arce excursio, translatam censet. In Piraeo jam inde a Socratis aetate Tragicorum certamina habita esse testis est Aelianus V. H II, 13. cet."

In Etymo nullum esse Oderico praesidium, supra monuimus. Nec Aristophanis Scholiasta nos moveat: qui, ubi Veterum testimonia profert, habet magnam auctoritatem: nullam, ubi ex sua ipse observatione loquitur. At Apollodorus, gravis auctor, non facile repudiandus est. Fateor: sed, si nec aliorum Veterum auctoritates accedunt, & reliqua Antiquitatis ratio repugnat, ut videbimus; verisimilis judicanda est conjectura Seldeni, qui suspicatus est, verba ἐν ἀγροῖς ab aliena manu invecta esse. Nam Thrasylli quidem locus non recte accipitur. Diogenes Laërt. III, 56. Θράσυλλος δέ φησι, καὶ κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ἐκδοῦναι αὐτὸν τοὺς Διαλόγους. Hactenus pertinent Thrasylli verba: quae deinceps sequuntur, sunt ipsius Laërtii, vel interpolatoris: οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις, ὧν τὸ τέταρτον ἦν Σατυρικόν. τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο Τετραλογία.

 Igitur

Igitur haec pars, vel tota, vel certe nomina quatuor festorum, non sunt a Thrasyllo. Neque enim Grammaticus & doctus & prudens tam inscite nomina festorum eo loco ponat, quo non pro festis, sed pro dramatibus, accipi debeant. Norunt qui Diogenem Laërtium diligenter tractant, eum fere constare excerptis veterum Auctorum locis, saepius turbatis, alieno loco positis, interpolatis, nec continua disputatione explicitis; ut in ejus auctoritatibus ponderandis critica diligentia opus sit. Animadvertit quoque difficultatem in memorato Diog. L. loco T. Hemsterhusius ad Lucian. T. I. p. 167: qui ait, parum hactenus eum intellectum esse. Porro quod Χύτροι a *Lenaeis* distinguuntur apud Aelian. H. A. IV, 43. Athen. IV, p. 130. E: probabilis est ratio Ruhnkenii, *Lenaea*, ut tamquam genus tres complectebantur formas, Πιθοίγια, Χόας, Χύτρους, ita quartam habuisse formam, quae per excellentiam *Lenaea* diceretur; vel Πιθοίγια, quia primo ejus festi die celebrabantur, eximie *Lenaea* dicta fuisse. Ceterum recta interpretandi ratio cavet, ne continuo, ubi plura nomina ponuntur, per ea diversas res putemus significari; praesertim si Scriptor non illud egisse videatur, ut de iis rebus de industria exponeret. Veluti in loco Aeliani: καὶ τί δεῖ καταλέγειν τε καὶ ἐπαντλεῖν τὸν τοιοῦτον ὄχλον; κεκήρυκται γὰρ Διονύσια, καὶ Λήναια, καὶ Χύτροι, καὶ Γεφυ-

Γεφυρισμοί. Consilium Aeliani fuit, non ut accurate recenseret Liberalia, sed ut celebrata quaedam festorum nomina poneret. Igitur, ut *Lenaea* sunt forma Dionysiorum, quid impedit quo minus *Chytri* sint forma *Lenaeorum*. Nam nec *Gephyrismi* ad Liberalia pertinent, nec peculiare festum, sed pars Mysteriorum, fuerunt; licet hoc loco absolute ponantur: Vid. Corsinus Fast. Att. T. II, p. 319. Eadem est ratio apud Athenaeum: σὺ δὲ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων, σεαυτὸν εὐδαιμονίζεις τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων, θύμα καὶ εὔζωμα καὶ τοὺς καλοὺς ἐσθίων στρεπτοὺς, Ληναῖα καὶ Χύτρους θεωρῶν. haec igitur quum non ex Grammatici officio, sed ex communi loquendi consuetudine dicantur, frustra sit qui ex diversis nominibus diversa hic festa significari velit; nisi forte illud etiam, quod consequens est, tueri audeat, hominem, ad quem haec dicuntur, nil nisi haec Athenis egisse. Eadem quoque est ratio apud Alciphron. II, 3. p. 230, cujus locum excitavit Ruhnkenius: τῶν κατ' ἔτος Χοῶν καὶ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις Ληναίων. Habemus vero Antiquorum auctoritatem, qua hanc particulae καὶ interpretationem tueamur. Sic apud Demosthenem Olynth. III, p. 14. B. τί ἄν τις εἰπεῖν ἔχοι; τὰς ἐπάλξεις, ἃς κονιῶμεν; καὶ τὰς ὁδοὺς ἃς ἐπισκευάζομεν, καὶ κρήνας, καὶ λήρους. De Rep. Ordinand. p. 71. B. ἡ πόλις ἡμῶν τὰς ὁδοὺς ἀγαπᾷ κατασκευάζουσα, καὶ

κρήνας, καὶ κονάματα, καὶ λῆρυς. Itane *nugae* fuerunt quoddam publici aedificii genus? Plutarch. T. II. p. 258. E. ὅτε Ῥωμαῖοι καὶ Γναῖος (ita legendum ex codd. pro Γναῖοι) ἐνίκησαν μάχῃ. Atqui ipse Cnaeus fuit Romanus. Tale est illud Petronii Sat. Cap. II. *Pindarus novemque Lyrici.* Atqui hic unus e novem erat. Sed de hoc usu particulae videantur, quos memorat P. Burmannus. Ceterum fac, diversa fuisse *Lenaea* a *Chytris*; nil profecto impediet, quominus partes ejusdem festi *Anthesteriorum* fuerint. Neque vero Demosthenis locus. Seldenum apertissime coarguit. Neque enim apparet, in ea lege omnia Bacchi festa enumerari: neque vestigium exstat, unde consectemur, verum esse illud, in quo Spanhemium sequitur Odericus, *Anthesteria* ex Limnis in Piraeum translata esse. Quamquam minime dubitamus, quin Musica certamina in Piraeo acta fuerint. Porro in Suidae loco, V. Ἐξ ἁμάξης, nil est praesidii Oderico; quippe haec valent de temporibus antiquissimis, quibus festa Bacchi tantum ruri agebantur, nec in urbem inducta erant. Alius est locus Suidae V. Τὰ ἐξ ἁμαξῶν, quo haec plenius traduntur, & Χοὲς a Λην̣αίοις distinguuntur: quem, si quidem novisset Odericus non omissurus erat: Ἀθήνησι γὰρ ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἔσκωπτόν τε καὶ ἐλοιδόρουν.

δόρων· τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῖς Ληναίοις ὕστερον ἐποίουν. Distinguuntur haec festa; neque tamen ita, ut negetur ea ejusdem festi partes fuisse.

Sed, quandoquidem Seldenus quatuor Hesychii locis sententiam suam tuetur, quibus locis *Rustica* & *Lenaea* diserte distinguuntur, operam dat Odericus ut eorum auctoritatem labefactet.

Idem. §. 7. „ Quatuor sunt Hesychii loca. Ab eo primum exordiamur, quo *Lenaea* a *Rusticis* distingui videntur: Διονύσια· ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἡ Διονύσῳ ἤγετο. τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς, μηνὸς Ποσειδεῶνος· τὰ δὲ κλαῖα, μηνὸς Ληναιῶνος· τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. Pro corrupto τὰ δὲ κλαῖα, legendum cum Palmerio τὰ δὲ ἀρχαῖα; nam aut ita scripsit Hesychius, aut deceptus est. Duo enim festa, non tria, memorantur; prouti ab Aristophanis Scholiasta l. c. Acharn., quem si ab Hesychio exscriptum dicam, quo me teste refellet Seldenus? *Lenaeonem* porro eundem vult esse mensem atque *Anthesterionem*; in quo eum sequitur Corsinius Fast. Att. T. II. p. 327. Perperam. Primum enim *Lenaea* distinguuntur a *Chytris*, seu *Anthesteriis*,, apud Demosthenem, Thrasyllum, Aelianum, Athenaeum, ut supra ostendimus: quibus Lexicographum nemo prudens praelatum velit; praesertim quum Auctoris hujus codices corruptissimi sint, ut Bentlejus fatetur Ep. ad Mill. p. 39, qui mendorum quinque millia se correpturum olim spondebat.

debat. Deinde, *Anthesteria* initio veris agebantur: *Lenaea* Autumno acta docet Comici Scholiastes Ach. (377.) τὰ δὲ Λήναια ἐν τῷ μετοπώρῳ ἤγετο, ἐν οἷς οὐ παρῆσαν οἱ ξένοι, ὅτε τὸ δρᾶμα οἱ Ἀχαρνεῖς ἐδιδάσκετο. Idem ad v. 503. — τὸ δεύτερον ἐν ἀγροῖς ἐπὶ Ληναίῳ λεγομένοις, ὅτε ξένοι οὐ παρῆσαν Ἀθήνησιν, χειμὼν γὰρ λοιπὸν ἦν. Porro *Lenaea* hiberno tempore, Posideonis initio, acta esse, confirmare me posse video Diodori Siculi auctoritate. Hic, XV, 73, 74, narrat, Dionysium Seniorem, pactis *hieme instante* cum Carthaginiensibus induciis, paulo post, μετ' ὀλίγον χρόνον, dum epulis & compotationibus, ob relatam in *Lenaeis* victoriam indulget, in morbum incidisse, atque ex eo mortuum. Obiit igitur Dionysius, cum hiems adhuc in cursu esset. Finge enim animo, *Lenaea*, ut Seldenus aliique volunt, XIII *Anthesterionis* habita, nuncius victoriae, ut secundis ventis navigaverit, non nisi *Anthesterione* cadente, Athenis Syracusas pervenire potuit: nuncium convivia excepere, tyranni morbus, atque ex eo mors; quae, ut citius, initio *Elaphebolionis*, qui *Anthesterionem* ἀμέσως excipit, statuenda erit. At hoc Diodorus non patitur, qui Dionysium non multo post, induciis τοῦ χειμῶνος ἐνστάντος pactis, mortuum scribit. At omnia belle quadrant, si *Lenaea Posideonis* initio mecum statuas."

An-

Anthesteria verno tempore acta, & *Anthesterionem* vernum mensem fuisse, in quo longam disputationem consumsit Odericus, satis pervulgatum est. Modo hoc ita intelligatur, ut hiemi proximus fuerit, ac partim Februario responderit. In Hesychio sequitur correctionem Palmerii, τὰ δὲ ἀρχαῖα: neque mentionem facit emendationis Ληναῖα, quam interpretes quidam protulerant. Hanc Ruhnkenius confirmavit e Lexico Rhetorico MS., in quo eadem glossa exstat: Διονύσια· ἑορτὴ Ἀθήνησι Διονύσου· ἤγετο δὲ τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς, μηνὸς Ποσειδεῶνος· τὰ δὲ Ληναῖα, Γαμηλαιῶνος· τὰ δὲ ἐν ἄστει, Ἐλαφηβολιῶνος. Quod quum tamquam nullius momenti repudiat Odericus in Addendis p. 102, cumque contendit Scholiastam Aristophanis ab Hesychio exscriptum esse, cumque ejus auctoritatem universa corruptelarum notatione convellere studet; ostendit profecto, exiguum se habere usum in veteribus Lexicographis. Ceterum confirmat eandem lectionem MS. Scholiastes Platonis ad Rep. V. p. 467. Διονύσια, ἑορτὴ Ἀθήνησι Διονύσου ἤγετο, τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος, τὰ δὲ Ληναῖα μηνὸς Μαιμακτηριῶνος, τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. qui, ut in nomine mensis dissentiat ab Hesychio & Lexico Rhetorico, certe lectionem Ληναῖα ab omni exceptione vindicat. Jam *Lenaea* a *Chytris* distingui apud Demosthenem, Aelianum, Thrasyllum,

ſyllum, Athenaeum, hoc quale ſit vidimus. Scholiaſtae quoque Ariſtophanici auctoritatem ſupra labefactavimus. Supereſt, ut de loco Diodori dicamus, in quo multum praeſidii paratum ſibi putavit Odericus. Hujus notitiam accepiſſe videtur e Dodwello Chronol. Xenoph Anno XLIV, quem laudat; qui ceterum *Lenaea* & *Antheſteria*, Seldenum ſecutus, pro iisdem habuit. Ratio, quam hinc Odericus ad confirmandam opinionem ſuam ducere conatur, nulla est; quippe quae eadem opera in contrariam partem converti queat. ' Factae ſunt induciae cum Carthaginienſibus inſtante hieme: & Dionyſius mortuus est μετ᾽ ὀλίγον χρόνον, *brevi tempore interjecto.* Atqui hoc *breve* non definitum temporis ſpatium ſignificat, ſed ad totum illud tempus referri poteſt, quo hiems continetur. Igitur, ſi duobus vel tribus menſibus praeterlapſis, XIII die *Antheſterionis*, qui fere Februario noſtro reſpondet, victoriam *Lenaeis* reportavit, potuit jam initio *Elaphebolionis* obiiſſe. Nam Diodorus quoque diſerte monet, *nuncium ſingulari celeritate Syracuſas veniſſe.*

Idem. §. 8. „ Neque magis altero Heſychii loco Seldenus proficit, qui ex eo *Antheſterionem* eundem eſſe ac *Lenaeonem* evinci manifeſto putat: Ληναιών· μὴν· οὐδένα τῶν μηνῶν Βοιωτοὶ οὕτω καλοῦσιν· εἰκάζει δὲ ὁ Πλούταρχος Βυκάτιον· καὶ γὰρ ψυχρός ἐστιν· ἔνιοι δὲ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς κατὰ τὸν

Βυκά-

Βουκάτιόν ἐστιν· καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ληναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἄγουσιν. Lego cum Bouherio ὃν ἕνα pro οὐδένα. Non asſentiar Seldeno, ita binos Atticos & Boeotios menſes componenti, ut *Bucatius Gamelioni*, *Hermaeus Antheſterioni*, reſponderit. Et primum, valde est incertum quem menſem vocaverit *Lenaeonem* Heſiodus O. & D. 504, quo Heſychii gloſſa pertinet: hiemalem fuiſſe certiſſimum est, ex iis quae addit Heſiodus. Hinc Decembrem fuiſſe aut Januarium; non aegre aſſentior ejus interpretibus. Neque, ut *Lenaeon* vocaretur a Boeotiis, haec fuit cauſſa, quod Athenienſes in eo *Lenaea* agerent: ſed potuit ita vocari, quia apud ipſos Boeotios tunc festum Bacchi ageretur. Neque, ubi Bacchi *Lenaei* mentio fit, ſtatim de *Lenaeorum* festo cogitandum: veluti ap. Schol. Ariſtoph. Acharn. 690. *Lenaeon* menſis fuit Jonum, proximus post *Poſideonem*, ut conſtat ex Ariſtide & Cyziceno Lapide. Male igitur hinc concludatur, *Lenaeonem* Jonum convenisse cum *Antheſterione* Athenienſium."

Igitur, ut Heſychium reprehendere poſſit, falſa Bouherii lectione eum corrumpit. Nam, ſanum esse locum, cum res ipſa oſtendit, tum Proclus ad Heſiod. l. l., laudans Plutarchi perditum commentarium, unde gloſſa deſumta est: Πλούταρχος οὐδὲ ἀφίησι μῆνα Ληναιῶνα Βοιωτοὺς καλεῖν· ὑποπτεύει δὲ ἢ τὸν Βουκάτιον αὐτὸν λέγειν, ὅς ἐστιν, ἡλίου

τὸν

τὸν αἰγόκερων διιόντος —— ἢ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς ἐστὶ μετὰ τὸν βούδρομα (l. Βυκάτιον), καὶ εἰς ταυτὸ ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι, καθὸ τὰ Λήναια παρ' Ἀθηναίοις· Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσι. In principio hujus loci Ruhnkenius Auct. Hesych. pro οὐδὲ ἀφίησι, recte corrigit οὐδένα φησί. Mensis *Lenaeon* antiquitus fuit apud Athenienses, certe apud Boeotios. Postea a Jonibus solis retentus, ab Atheniensibus & Boeotiis aliter vocatus est. Ergo, si *Lenaeon* convenit cum *Gamelione*, non efficiat Odericus, *Lenaea* fuisse eadem ac *Rustica*; quippe *Rustica Posideone* mense agebantur. Porro, concedimus Oderico, *non continuo de Lenaeis cogitandum esse, ubi Bacchi Lenaei fit mentio*. Sed ubi, *festum Bacchi Lenaei* memoratur, hoc quomodo non de *Lenaeis* accipiamus, non videmus. Nam apud Schol. Aristoph. Ach. 960, dicuntur *Choes* instituti esse in festo Bacchi *Lenaei*, eo tempore, quo Orestes Athenas venisset. Quod, ante inductos in urbem ludos, sed tamen de *Lenaeorum* festo, accipiendum est.

Idem §. 9. „ Tertius Hesychii locus ille est, quo Lexicographus *Lenaea* in Limnis acta scribit: Λίμναι, ἐν Ἀθήναις τόπος ἀνείμενος Διονύσῳ, ὅπου τὰ Λήναια ἤγετο· Lege mecum, ὅπου τὰ Λίμναια ἤγετο. & nihil erit in quo Seldenus, Hesychio auctore, exultet. Quartus Hesychii locus ejusmodi:

Ἐπὶ

Ἐπὶ ληναίῳ. ἀγὼν ἐστὶν ἐν τῷ ἄστει ληναῖον περίβολον ἔχων μέγα, καὶ ἐν αὐτῷ Ληναίου Διονύσου ἱερὸν, ἐν ᾧ ἐπετελοῦντο οἱ ἀγῶνες Ἀθηναίων, πρὶν τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι. Si me audis, lege apud Hesychium: ἐστὶν ἐν τῷ ἀγρῷ, sive ἐν τοῖς ἀγροῖς: atque, illa ἐν τῷ ἄστει, deleto. *Lenaeum* enim templum in agro fuisse docet Aristophanis Scholiastes, Ach. 201. Τὰ Λήναια λεγόμενα ἔνθεν τὰ Λήναια, καὶ ὁ Ἐπιλήναιος ἀγὼν τελεῖται τῷ Διονύσῳ. Ληναῖον γάρ ἐστιν ἐν ἀγροῖς ἱερὸν τοῦ Διονύσου· διὰ τὸ πλεκτοὺς ἐνταῦθα γεγονέναι, ἢ διὰ τὸ πρῶτον ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ληνὸν τεθῆναι. Neque vero dubito, quin in agris Theatrum aliquod, quo *Lenaea* & Scenici agones agerentur, exstructum tandem fuerit, ne Hesychio falsi crimen dicam; quod sane non temere fortasse facerem. Suspicor enim Alexandrinum Lexicographum, quae (omisit verbum quoddam Odericus) de Limnaei Bacchi templo, ubi, antequam in Piraeo Theatrum exstructum foret, agones *Anthesteriorum* agebantur, ad *Lenaeum* templum & *rusticos* agones transtulisse. Sed & Hesychium & Spanhemium & reliquos, quos nominabam, facile componi posse video; si dicas, *Lenaeis*, ubi in iis Tragici Comicique agones agi coepti, hi quidem in urbe acti, primum in *Lenaeo*, deinde in Theatro: reliqua vero, quae ad Dionysiacam pompam spectabant, in agris celebrata."

Ergo, ut sententiam suam tueatur, Odericus Veterum locos mutat: quod longe a Critici officio abest. Nec nobis reponatur, idem nos fecisse probanda Seldeni conjectura, qua ex loco Stephani Byz. V. Ληναῖος verba ἐν ἀγροῖς ejiciuntur. Haec Criticae rationi consulit, illa vim infert: haec unum mutat locum, illa quatuor. Sed Aristophanis Scholiasta firmat Oderici correctionem? Primum, non videmus, quare potius Hesychius ex *Scholiasta*, quam Scholiasta ex Hesychio, corrigatur. Sed sit illa Scholiorum lectio ab ipso eorum auctore profecta; intelligemus eum errasse: neque hoc temere dici, mox constabit, quum erroris fontem ostenderimus. Ceterum, quid opus erat Hesychium corrumpere & tantam consumere disputationem, si tamen eo concessurus erat, ut *Lenaea in agris & in Urbe acta fuisse* statueret. Quamquam hoc non ita dicimus, ut a nobis probetur. Nam nec rationibus hactenus expositis efficitur, *Lenaea* & *Rustica* eadem fuisse: & in agris quoque Scenicos ludos actos fuisse constat, v. c. ex Aeschine contr. Timarch. p. 193. A. πρώην ἐν τοῖς κατ' ἀγροὺς Διονυσίοις Κωμωδῶν ὄντων ἐν Κολυττῷ, καὶ Παρμένοντος τοῦ Κωμικοῦ ὑποκριτοῦ εἰπόντος τὶ πρὸς τὸν χορὸν ἀνάπαιστον·

Expositis & ad Grammaticam rationem expensis locis, quibus efficiatur *Lenaea* & *Rustica* eadem fuisse, vidimus parum iis inesse auctoritatis ad eam

causam

causfam obtinendam. Sequitur, ut breviter dicamus de argumentis, quibus efficitur, *Lenaea diversa a Rusticis, & eadem atque Anthesteria, fuisse*: quam sententiam, post Seldenum & Corsinum, ornavit Ruhnkenius in Auctario Hesychiano

„ Tria diversis mensibus erant Liberalia: *Rustica*, *Posideone*: *Lenaea*, de quorum tempore dissentiunt libri: *Urbana*, *Elaphebolione*. Sic est apud Hesychium V. Διονύσια: apud quem lectio Ληναῖα vera habenda est, quippe confirmata ab Auctore Lexici Rhetorici MS, & a Scholiasta Platonis inedito. Quare, si quis hanc Hesychii auctoritatem repudiare velit, ostendat eum errasse. Sed eum non errasse, inde apparet, quod reliqui Veterum loci cum hac sententia congruunt. Nam *Lenaea* agebantur in urbe, in Templo Bacchi *Lenaei*, quod erat in loco *Lenaeo* dicto: ut constat ex eodem Hesychio V. Ἐπὶ Ληναίῳ: quocum consentiunt Etymolog. M. V. Ἐπὶ Ληναίῳ, Photius Lex. MS, & Lexicon Rhet. MS. Sed Templum *Lenaeum* fuit in Limnis; quia, ut refert idem Hesychius in V. Λιμναγενής, *Lenaea* in Limnis agebantur. Confirmatur haec conclusio argumento, ex Aristophanis Ranis ducto. Acta est haec fabula *Lenaeis*, seu ἐπὶ Ληναίῳ, ut constat ex veteri Didascalia p 116 l. 7. At ipse poëta diserte prodit, Chytris actam esse: & haud obscure significat, Limnas fuisse locum, quo ageretur. Quod si cui obscurius

videatur, manifestius est argumentum in Acharnensibus. Acta est haec fabula *Lenaeis*, ut constat ex v. 503 & 1153, & vetere Didascalia p. 231, 5. At ex v. 969 & 1209 patet, eam festo Χόων actam fuisse: & sub idem tempus, quum *Choës* & *Chytri* agerentur, Boeotios in Atticam incurrisse, dicitur v. 1075. Igitur *Choës* & *Chytri* sunt pars *Lenaeorum*. Sed *Choës* & *Chytri* sunt pars *Anthesteriorum*, quod inter omnes constat. Hinc efficitur, *Lenaea* & *Anthesteria* esse idem festum. Accedit Thucydides, II, 15, memorans, Antiquiora Liberalia in Limnis acta esse duodecimo die *Anthesterionis*; quocum consentit Demosthenes Adv. Neaeram p. 591."

Huic sententiae non est quod opponatur, nisi auctoritas Apollodori apud Stephan. Byz. V. Ληναῖος, & Scholiastae Aristoph. Ach. 201 & 501: qui *Lenaea* & *Rustica* pro iisdem habuerunt. De Apollodoro supra monuimus. Scholiastae error fluxit ex male intellecto Aristophane, ut Seldenus suspicatus esse videtur, & accuratius ostendit Ruhnkenius. „Nam apud Comicum est v. 201: Ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια: & v. 251, Ἀγαγεῖν τυχηρῶς τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια. At ejusdem fabulae, v. 503, Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών: & v. 1153, Ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα, Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον. Quis non credat,

credat, τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια & Ληναῖα ab Ariſtophane promiscue dici? Enim vero tantum abest, ut inde conficiatur *Ruralia Liberalia* & *Lenaea* idem festum fuiſſe, ut illi ipſi loci accuratius excusſi discrimen, quod inter haec duo festa fuit, clarisſime demonſtrent. Scena hujus fabulae Athenis est; habentur Comitia de maximi momenti rebus: adſunt Acharnenſes, in his Dicaeopolis, qui longi belli pertaeſus, ceteris bellum praeferentibus, pacem ſibimet ſoli a Lacedaemoniis comparat. Qua impetrata, gaudio exultans, Athenis avolat in pagum ſuum Acharnam, ibique celebrat v. 200, 251, 260, τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια, quae propria erant pagis: mox Athenas reverſus cum Athenienſibus *Lenaea* celebrat."

Hanc totam rationem Odericus in Addendis ita reprehendit, ut ſuam ipſe ſententiam tenere ſe dicat, nec novis eam argumentis firmet. Una ejus opportuna est reprehenſio, qua contendit in Acharnenſium argumento interpretando, quum festa duobus menſibus disjuncta in unam fabulam conjungantur, contra Dramaticas leges peccari, quae uno Solis ambitu actionem contineri velint. Sed hoc facile diluitur. Nam veteres Comici adeo his legibus non ſervierunt, ut eas ſaepius migrarent: quam in rem ſatis est conſuluiſſe Bentlejum Reſp. ad Boyl. p. 68. Ceterum eandem Ariſtophanis interpreta-

tionem postea proposuit Barthelemius V. Cl, Mem. Acad. Inscr. T. XXXIX. p. 176: qui cum Ruhnkenii Disputationem non memoret, nos hoc silentium ita accipimus, ut observatio, in quam *ille* suo ipse incidit ingenio, sua se simplicitate ac veritate attente legentibus facile offerat & commendet.

Maneat igitur, tria fuisse festa Bacchi: *Rustica*, mense *Posideone*: *Lenaea*, *Anthesterione*: *Urbana*, seu *magna* & per excellentiam dicta *Dionysia*, *Elaphebolione*. Ante inductos in urbem ludos, *Rustica* & *Lenaea* eadem fuisse & plaustris acta videntur: ut est apud Suidam V. Ἐξ ἁμάξης, & Τὰ ἐξ ἁμαξῶν: & apud Horatium de Thespide A. P. 276. Inducta in urbem, exhibebantur in tabulatis, ut est apud Hesychium V. Ἴκρια: quo pertinet illud Horatii, de Aeschylo, A. P. 279, *modicis instravit pulpita tignis*: *Lenaeirum* nomen & retinebant, & communicabant cum Limnis, ubi agebantur. Hoc igitur *Antiquius* est *Bacchi festum* a Thucydide dictum, ratione *Urbani*, quod postea institutum est. Porro, in urbe actum fuisse, cum patet ex iis, quae supra exposita sunt, tum ex Didascalia Vesparum p. 279. A. ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀμυνίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει εἰς Λήναια: quod male habuit Palmerium, qui *Lenaea* & *Rustica* pro iisdem acceperat.

Est omnino hoc argumentum in paucis ex Antiquitate

quitate Attica difficillimum; propterea quod Grammaticorum peculiares de eo libri ac Didascaliae perierunt, nec fere notitia ejus exſtat, niſi in locis quibus breviter & aliud agendo ejus fit mentio. Quos quidem locos viri, qui de hoc argumento prodiderunt recentiore aetate, veluti Scaliger, Seldenus, Palmerius, Petitus, Spanhemius, Corſinus, pleroſque omnes collegerant; ut materia fere parata unam, veluti opificem, juſtam Grammaticam interpretationem requireret. Hanc, expromta quoque nonnulla novae materiae parte, ita huic quaeſtioni adhibuit Ruhnkenius, ut, noſtro quidem judicio, eam explicuiſſe videatur. Aliquanto minus inſtructus fuit hac duplici dote Odericus: qui licet falſam, ut nobis videtur, ſententiam propugnaverit, cum magnis viris erravit, ac diſſerendi ſubtilitatem cum Antiquitatis cognitione haud vulgari ostendit.

III.

Fastorum anni Romani a VERRIO FLACCO *ordinatorum reliquiae, ex marmorearum Tabularum fragmentis, Praeneste nuper effossis, collectae & illustratae. Accedunt Verrii Flacci Operum fragmenta omnia, quae exstant, ac Fasti Romani singulorum mensium ex hactenus repertis Calendariis marmoreis inter se collatis expressi, cura & studio* P. F. F. *Romae Anno Sal.* MDCCLXXIX. *forma maxima.*

Ea profecto est seculi nostri felicitas, ut plurima Antiquitatis monumenta, quae cum hominum animos pulcritudinis gustu imbuant, tum ad Scriptorum veterum, Graecorum & Latinorum, intelligentiam adducendo eruditionem omnem amplificent, e terra protrahantur. Qua quidem re suavitatis commendationem, quam Antiquitas erudita habet, plurimum adjuvari, atque adeo voluptatem, quam nemo ingenuus in vetusti aevi reliquiis ad antiquarum rerum scientiam referendis sentire nolit, inprimis incendi, quis ad haec studia tam durus est, ut non intelligat?

Atqui, si verum fateri velimus, agnoscamus oportet,

tet, nullam aliam gentem esse, quae hac laude antecellat Italis, qui, ut superiori hujus Bibliothecae parte jam dictum est, ad bene de Antiquitate merendum ipsius soli opportunitate invitantur, & prae aliis populis in hoc genere & studiose & constanter elaborant.

Ex illorum numero ante hosce duo annos ingenti nos beneficio affecit Petrus Franciscus Fogginius, V. Cl., qui Verrium Flaccum, cujus quidem fragmenta quaedam, ex ejus operibus hic illic custodita, noveramus, Fastos vero Praenestinos omnino ignorabamus, e sepulcro quasi in lucem & vitam revocavit, eoque cum historiae antiquae, tum vero rei Literariae in universum egregie consuluit.

Quapropter nos quidem committere noluimus, quin praestantissimum Antiquitatis monumentum, quod per tot secula latuit, jamque ab aliquo tempore in magna est eruditorum exspectatione, hac scriptione nostra quam primum ad hominum nostrorum notitiam perveniat.

Scilicet nobilissimum Grammaticum, Verrium Flaccum, cum docendi ratione sibi nomen parasset, & ab Augusto Caesaribus esset datus praeceptor, in Palatium cum tota schola transiisse, statuamque habuisse *Praeneste in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo Fastos a se ordinatos & marmoreo parieti* (vel ut est in aliis: *marmore perito*) *incisos publicarat*, e Suetonio in vita Verriana viri

 eruditi

eruditi cognorant. At latebat ſtatua, latebant ipſi Fasti. Ecce vero, posteaquam Romae inter rudera veteris Fori repertae erant marmoreae illae tabulae, quae Fastos Civiles Pop. Rom. continent, & vulgo appellantur Fasti Conſulares Capitolini, mox puduit plures fateri, ignorare ſe, a quo esſent, & continuo Verrium Flaccum pro auctore habentes, Suetonii testimonium ad opinionem ſuam ſtabiliendam audacter perverterunt. Hic pro *Praeneste* legendum edicebat *pro Vestae*: ille *prope Vestae*, nempe templum, quod erat regione octava, ubi etiam forum; quidam *pura veste*: nonnemo *pedestrem*. Atqui haec & ſimilia vix ſeria animadverſione digna viderentur, niſi praestantisſimum illud ad quasvis doctrinas bene tractandas adjumentum, Critica, tali hominum ſive temeritate ſive audacia, qua, ut levisſimis ſuſpicionibus colorem quendam concilient, e quolibet quidlibet fingant, in hoc diſcrimen adduceretur, ut apud bonos ſuſpecta, imperitos autem propemodum infamis reddita, ſi non de ſalute, at dignitate ſua jam dimicare cogatur.

Igitur ut appareat, quam falſi fuerint homines isti ingenio abutentes, en! ipſe nuper Praeneste detectus est hemicyclus, cujus Suetonius meminit, & circa illum pars quaedam effoſſa est marmorearum tabularum, in quibus perite inciſi leguntur Faſti, a Verrio Flacco ordinati.

Jam vero, qualis ſit ille Antiquitatis theſaurus, &

& quaenam Fogginii in eo, cum e terra eruendo, tum vero etiam illuſtrando, partes fuerint, age, paulo accuratius exponamus.

Et primum quidem, cum Praeneste prope forum nobilisſimae Romanorum coloniae, ipſumque Palatium Caeſareum, ubi Augustus & Tiberius rusticari ſolebant, & quorum ſuperſunt quaedam reliquiae, cum ergo frusta aliqua marmorearum tabularum in agro Praenestino caſu quodam in lucem prodierant, mox in hanc ſpem venit Cl. Editor, tandem aliquando detectum esſe locum, quo Fasti a Verrio Flacco olim editi deliteſcerent. Nec jam ſpes, ſed certa res erat, cum illae marmorum particulae juxta reliquias cujusdam aedificii, figuram ſemicircularem referentis, repertae esſent. Enimvero hoc esſe hemicyclum a Suetonio deſignatum, quis non crederet? Hinc operariis a Joanne Francisco Stuppanio, Viro Eminentisſimo, amici ſtudium & diligentiam adjuvante, admotis, mox effodiuntur marmoreae Faſtorum Verrii tabulae quatuor, Januarium, Martium, Aprilem, & Decembrem referentes, nec illae tamen, quod maxime dolendum, integrae, ſed interciſae, corroſae, & in frusta, cum a vetustate, tum ruina, diffractae. Quid ergo Fogginius? Singula digerere in animum inducens, minutiora quaeque frusta in quatuor ligneis capſis, ejus altitudinis ac latitudinis, cujus veteres fuisſe marmoreas tabulas ex ipſis ſuperſti-

tibus

tibus fragmentis collegerat, dispoſuit, firmavit, & vero lacunas, gypſo impletas, plastica ratione ita compoſuit ac complanavit, ut fracturarum vestigia apparerent, & tamen hae tabulae illarum veterum marmorearum referrent ſpeciem.

Forma tabularum ita erat elaborata, ut in concavo hemicycli ſpatio aptari posſent, cum aliarum ſuperficies ſit plana, contra nonnullarum concava. Literae nundinales, & quae variam dierum rationem distinguunt, maximae ſunt, ſcalptaeque omnes elegantisſime. Elegantes etiam ſunt minores literae, quibus ſacra, eorumque cauſſa & ratio, & res historicae notantur, ſed variis modis formatae ob majorem minoremve ſeu notarum brevitatem, ſeu loci amplitudinem, & fortasſe etiam ob ſcalptorum diverſitatem. Nullae tamen ſunt implexae, ut Romanarum literarum formam amittant. *Plures* non ſunt quadratae, multaeque minutae, tenues, vacillantes. Utriusque generis literarum ſpecimen in tabula exhibet Editor.

Nec temere ſtatuas, hemicyclum aliis ornamentis fuisſe inſignitum; quoniam circum ejus reliquias plurium columnarum reperta ſunt fragmenta cum quarumdam marmorearum tabularum fruſtis, in quibus nonnullorum ipſius coloniae Magistratuum, forſan etiam alicujus collegii nomina ſcripta leguntur. Etenim illuſtrium ac bene de Rep. merentium virorum ſtatuas in foro ponere conſuevisſe Magistratus

ſtratus Praenestinos, cum Livius testatur XXIII, 19, tum plures comprobant tituli, ex baſibus ibidem repertis deſcripti. Has inter numeretur Verrii ipſius ſtatua, contra hemicyclum poſita, quaſi Verrius ſculptos faſtos, ibi a ſe ordinatos, contemplari videretur.

Quid? quod ipſius loci ſplendor talibus ornamentis non parum augebatur. Namque Praeneste elegantium hominum multitudine celebratum esſe conſtat, cum aestivas ſuas delicias haberent Romani, ipſisque Caeſaribus placeret ibi ruſticari; unde facile est ad intelligendum, cujuscumque generis operibus cum ad uſum, tum ad ſplendorem & voluptatem, auctum esſe & ornatum.

Porro, ut ipſa Faſtorum Verrianorum ratio cognoſcatur, tenendum est, eos non ſecus ac Faſtorum libros, ab Ovidio ſcriptos, complexos esſe:

Tempora cum cauſſis Latium digesta per annum:
& . . . . . *Sacra annalibus eruta priſcis,*
Et quo ſit merito quaeque notata dies.

Praeterea inciſa illis erant Augustae domus tum *feſta domeſtica*, tum *praemia*, *faſtos ſignantia*: (Ovid. *Faſt.* I. 9. *ſeqq.*): quae Julio Caeſari, Auguſto, & Tiberio, Patrum cura & Quiritium favor detulerant. Sunt igitur Faſti Verriani ex eorum genere, qui vel Sacri vel Calendares dicantur, utpote

pote Sacra & Ferias ſtatas, quae a Calendis ad Calendas ſingulis anni menſibus celebrabantur; deſignantes.

Jam vero; ab anno Numae quarto ad A. U. C. 550. penes Pontifices fuisſe omnis cum ſacri tum humani juris ſcientiam; eo autem tempore C. Flavium, Appii Coeci, Pont. Max., ſcribam dierum diſcrimina ex occultis Pontificum tabulis evulgasſe, Fastosque in albo propoſuisſe, ut, quando lege agi posſet, ſciretur; quis est, qui neſciat. In eo albo primum quidem Sacra tantummodo & Feriae ſunt indicatae: deinceps tamen Pontificii juris periti de eorumdem Sacrorum ac Feriarum ratione plura addiderunt. Adjecta etiam ſunt nomina & facta hominum, cum ambitione Principum, tum asſentatorum perverſitate. Res inde a M. Antonio in exemplum abiit: Cic. Philipp. II. 34. *Enimvero Ciceronem*, quod in Antonio vehementer exagitarat, ipſum commiſisſe, nos etiam cum Fogginio crederemus; ex *Ep.* 15. ad *Brutum*; niſi illae ad Brutum Epistolae ante hos aliquot annos ab eruditis Anglis tamquam ſpuriae, barbarae & ineptae esſent exploſae; quod fecerunt merito & nobis plaudentibus.

Iſta autem licentia, de qua dicere incipiebamus, in immenſum crevit, occupata republica ab Imperatoribus, unde *faſtos adulatione temporum foedatos* memorat Tacitus *Hist.* IV. 10. Igitur, quod dudum &

& Fastis Ovidianis, & aliorum veterum Calendariorum fragmentis probatum erat, id ipſum inprimis teſtantur fragmenta Fastorum., de quibus ſententiam dicimus.

Etenim in his Verrius non modo Feriarum, Sacrorumque dies indicat; eorumdemque Sacrorum aut cauſſam, aut rationem docet: ſed praeterea quoque notat cum dies, tum annos rerum, a Julio Caeſare, Augusto, & Tiberio, geſtorum, honorum denique, quos iisdem Principibus Senatus Populusque Rom. decrevit.

Quae cum ita ſe habeant, & in paucis, quae nunc in lucem prodeunt, eorum fragmentis plura, quae adhuc ignorabantur, ſint notata, quis tam invenustus & tam alienus a priſca doctrina est, quin vehementer doleat, hos Fastos repertos esſe laceros, mutilos & quaſi decurtatos? Imprimis ſi animo obverſetur gravisſima Verrii auctoritas, qui Grammatici nomen ſuo merito obtinuit, non quia Scholastico pulvere ſorderet ſyllabarum minutias aucupans, quales hodie fere cenſentur ab imperitis Viri, olim Literati, i. e., rerum divinarum humanarumque ſcientisſimi; ſed quia inter illustres aetatis ſuae viros doctos, atque accurata eruditione excellentes, in ea Grammaticorum Schola floreret, quae *glorioſa mater facundiae* dicta est a Casſiodoro.

Ceterum non ſine probabilitatis ſpecie disputat Fog-

Fogginius, Ovidium *Fast.* VI. 57 hos Verrii Fastos respexisse:

Nec tamen hunc nobis tantummodo praestat honorem
Roma: suburbani dant mihi munus idem.
Inspice, quos habeant nemoralis Aricia Fastos;
Et populus Laurens, Lanuviumque meum:
Est illic mensis Junonius. Inspice Tibur
Et Praenestinae moenia sacra Deae.

ubi loci Suetoniani, in Verrii vita, corrigendi dicam? an corrumpendi libidinem recte castigat Neapolis. Porro Fastos Praenestinos Augusto imperante esse vulgatos; atque in hemicyclo fuisse conspicuos certe ad Theodosium M., cujus tempore Macrobius multam eorum mentionem faciens, Saturnaliorum libros scripsit. Denique a quarto inde saeculo tabulas per nimiam superstitionis licentiam diffractas, dirutoque tandem ipso, quo continebantur, hemicyclo, ruinis esse sepultas.

Haec de Fastorum Verrianorum ratione locoque, quo reperti sunt, dixisse suffecerit.

Operi autem, in hominum literatorum commodum, praemisit Cl. Editor Verrii Flacci vitam, a Suetonio descriptam, pluribusque animadversionibus illustravit: deinde vero subjecit omnes ex deperditis Verrii libris excerptas sententias, a vetustis Scriptoribus laudatas, ita ut uno volumine omnia, quae exstant,

Verrii

Verrii Flacci opera concludantur: praeterea ad calcem libri eadem Fastorum nostrorum fragmenta, cum fragmentis aliorum Fastorum, qui similiter in marmore scripti cum Romae, tum aliis in locis, reperti sunt, collata adjecit, ex quo complexu & collatione exoritur integrum, &, quoad ejus fieri potuit, perfectum Calendarium Romanum, quod in usu fuit ab initio annorum, qui Juliani appellantur, usque ad Claudii imperium.

His de operis ratione praemissis; nunc age, nonnullos Fastorum locos excitemus, videamusque, quam doctrinam & Criticam facultatem in iis explicuerit Fogginius.

Singulorum mensium Fastis praefixit Verrius cum appellationem, tum hujus rationem. Huc referantur duo mensis Januarii fragmenta:

. . . VR. IN. LATIO
& : . . T. LIBO. QUOD

Supplet Fogginius illud: *appellabatur in Latio.* Hoc autem: *Faciunt libo, quod Janual appellatur.* Censorinus de D. N. C. 22, ex Varrone docet Romanos a Latinis nomina mensium accepisse, & Januarium a Jano, cui attributus, nomen traxisse. Porro *Janual*, ut testatur Festus, Verrii compilator, est *libi genus, quod Jano tantummodo libatur.* Meminit ejus Ovid. Fast. I. 127.

Ad Kal. . . . LAPIO. VEDIOVI. IN. INSULA. Supple fragmentum: *Feriae. Aesculapio. Vediovi. in. insula*, nempe *Tiberina*: & vide Ovid. Met. XII. 739. Fast. I. 289. Per hanc occasionem disputatur de vera scriptura vocabuli *Vediovis*, quam hujus marmoris auctoritas confirmat. In aliis reperias *Veiovis*, *Vedeiovis*, *Vediiovis*. Convenit mensis Martii fragmentum a. d. VII. . . . . OVI. ARTIS. VEDIOVIS. INTER. DUO. . . VCOS, *id* est, *Feriae Jovi*, sive *Vediovis. Arcis. Vediovis. inter. duos*, (vel, quod idem est, *duo*.) *lucos*. Locus itaque, ubi aedes Vediovis sita esset, vel potius aedes ipsa appellata statuatur *Arx Vediovis*, ut poëtria Sulpicia v. 51. aedem Junonis Monetae dixit *arcem Monetae*.

. . . . . . IS NO. . . . .

Vere Cl. Editor supplere videtur, *Annus novus incipit*. Ovid. Fast. I. 149. ad Janum:

Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus.

. . . QUIA. EO. DIE. MAG. IN. EUNT. QUOD. COEPIT
. . . . . C. . . . . A. . . BCI. . . . .

En! caussam, cur novus annus a Kal. Januariis inciperet. Consules *eo die Magistratum inibant*, *quod coepit Urbis conditae Anno* DCI. Pro diversis temporibus mensium Kalendas, & Idus, novis Coss. auspicia

auſpicia praebuiſſe, res e Livio est nota. Jam vero ex Verrio conſtat, quando certus dies Magiſtratui ineundo ſit conſtitutus.

Ad. d. 2 Jan.

... TRIDIE. OMNIS. CALENDAS. QUOD. IIS.
. . . .

Haec ita ſupplentur,

Postridie. omnis. Calendas. quod. iis.
Res. publica. male. geſta. est. . .

Annotatum nempe a Verrio ſtatuatur, diem, qui ſequitnr Kalendas, fuisſe *atrum*. Firmatur Fogginii opinio ab A. Gellio N. A. V. 17. &, qui Verrium exſcripſit, Feſto. V. *Nonarum postridie.*

Ad d. 7 Jan.

IMP. CAESAR. AUGUST...
HIRTIO. ET. PANSA.
VII. VIR. EPUL. CREATUS.

Ac primum quidem lacunas ſagacisſime ſupplet Fogginius, partim ex antiquo marmore Narbonenſi apud Gruterum p. 229. *Imp. Caeſar. Augustus. Imperium. Orbis. Auſpicatur. Hirtio. et. Panſa. Coſſ. Ti. Caeſar. Septemvir. Epulonum. Creatus.* Hoc enim Sacerdotium in aliis etiam antiquis lapidibus Tiberio tribui-

tur. v. Gruter. p 235, 10: Murator. p. 223, 6: Illi ante adscriptus fuerat Augustus: vid. idem Murat. p. 220. Porro, quod ad Vell. Paterc. II. 61, *Eum..... Senatus pro praetore una cum Cosf. designatis Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit:* monuit Ruhnkenius, id factum, magistratum gerentibus, ut demonstrarant Manut. ad Cic. Phil. V. 15, & Chishullus, ad Monim. Ancyr. p. 182. hoc ergo a Verrio confirmatum vides. Ceterum *hic* locus sit argumento, Fastos Verrianos, postquam ad imperium esset admotus Augustus, esse ordinatos. Ubique in his Octavianus dicitur *Imperator* & *Augustus*, quod prudens fecit Verrius, cum nullum aliud illi nomen magis placuerit. Quid? quod jam cognoscimus diem ipsum, quo ille *Augusti* titulus in Imp. sit collatus, ex iis, quae a. d. XVII. Kal. Febr. annotavit Verrius. IMP. CAESAR. . . . . . PPELL . . . US. IPSO. VII. ET AGRIP. . . . id est: *Imp. Caesar. Augustus. est. appellatus. ipso. VII. et. Agrippa. Cosf.* ad quem locum Ovidium, Dionem, & Censorinum, e quibus diversas diei rationes conficias, in concordiam redegit Foggi-nius, paucula quoque de annis *Augustorum*, sive *Augustanis*, subjungens.

Ad d. 11 Jan.

AB. ROMULO. ET. JANUM. . . .
AUGUSTUS.

Sup

Supplet Fogginius: *Janum Geminum., ab. Romulo. et. Janum. Quirinum. appellatum. claudit. Augustus.* Ex Dione nempe, LI, 20, novimus, cum Aegyptum in potestatem P. R. redegisset Augustus mense Sextili, & sequentis anni mense Januario esset nunciatum de rebus Parthicis, Senatum ergo pluribus Augusto decretis honoribus, hoc addidisse, ut portae Jani clauderentur, quasi omnibus bellis confectis. Jam vero, quo die illud acciderit, nunc primum e Verrio constat, cum superstites literae EP. JANUM. AUGUSTUS hoc indicare videantur. Nec mirum, quod Verrius diem annotavit, quo Janus post urbem conditam tertio clausus certae pacis argumentum dedit, sive, ut sagaciter glossema odoratus, Ruhnken. apud Vell. II, 38. p. 203. legit: *immane bellicae civitatis argumentum, tertio Augusto Principe, Janus Geminus clausus dedit.* Ceterum per occasionem notae Verrianae ad hunc ipsum diem, de Dea *Carmenta*, expromit conjecturam Fogginius, qua apud Festum legit: *mortuae pecudis corio calceos, aut soleas, fieri Flaminicis nefas habetur, sed aut occisae alioqui, aut immolatae, quoniam sua morte extincta omina funesta sunt.* In editis est: *omnia funesta sunt.*

Ad d. 14 Jan.

CORONA. QUER......
AUGUSTI. ONER.....
P. R. RES..............

 Quid

Quid a Verrio ad hunc diem ſit notatum, quivis, niſi qui rerum Romanarum ignarus ne fando quidem audiverit provinciarum diviſionem ab Augusto inſtitutam, facile asſequatur. Etenim *Corona querna* ex Scto impoſita est aedibus Imp. *Augusti*, *onero-ſas* quod eo die receperit provincias, & *pacatas populo Romano reſtituerit*. Conf. Ovid. Fast. I. 389,

Redditaque est omnis populo provincia nostro.

& v. 614.

Protegat & vestras querna corona fores.

Huc ſpectant nummi Augustei cum corona, & his verbis: *ob cives ſervatos:* quae in ipſo etiam Palatii Caeſarei fastigio videntur ſcriptae, ob Ovidii locum Trist. III. 1. 47.

Cauſſa, ſuperpoſitae ſcripto testata coronae,
Servatos cives indicat hujus ope.

Ad d. 16 Jan.

CONCORDIAE. AU...... AEST. P. DOLA-
BELLA. C.
SILANO. COS...

Fogginius legit: *Concordiae Augustae aedes dedicata est, P. Dolabella & Silano Coſ.* Ovidius hujus quoque dedicationis meminit Fast. I, 639. Jam vero ex hoc marmore annus etiam, quo dedicata est, cogno-

cognoſcitur. P. Corn. Dolabella & C. Junius Silanus A. v. 762. conſulatum gesſerunt. In annum ſequentem refert Dio, forſan, ne erroris accuſetur, quod ſub ſequentibus Coſſ. inſcripta ſint aedi Concordiae nomina Tiberii & Druſi: vid. L. 56: 125. Cum autem plura esſent in Urbe Concordiae templa, *Concordiae Augustae* nomen huic aedi inditum est, tum quod inſcripta esſent Caeſarum nomina ad concordiam eorum declarandam, tum quod Tiberius una cum Livia Augusta eam inſtauravit. Etenim nobis quidem recte videtur legi Fast. I, 640.

Nunc bene proſpicies Latiam, Concordia, turbam;
Nunc te ſacratae restituere manus.

Ad eundem diem.

TI CAESAR. EX PA.......AVIT.

Supple cum Fogginio: *Ti. Caeſar ex Pannoniis triumphavit.* Ecce diem adhuc ignotum, quo Tiberius in Urbem reverſus *jam pridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis Dalmatisque egit triumphum*, ut loquitur Vell. II, 121. Anno nempe 762 Tiberio decretus erat triumphus, qui tamen, propter adverſum ex Germania nuncium, Varianamque cladem, per biennium dilatus anno, demum 764 est actus, quem annum noverimus e Fastis Capitolinis. Conf. Suet *Tib.* XVII. & XX.

Ceterum, quid nota a. d. 17 Jan. velit, incertum:

PONTIFICES. A.......VIR. EPULONUM.
VICTUMAS. IN......NT.

Narrat Dio LIII, 20, cum Augusti cognomen accepisset Caesar, Sex. Pacuvium, Trib. plebis, ut prae aliis Caesari gratificaretur, se illi in Senatu devovisse, eumque se foras proripuisset, alios, ut idem facerent, adegisse. Num ergo ob hanc causam deinceps quoque hoc die victimas immolare consueverunt summa quatuor collegia, Pontificum, *Augurum*, XV Vir. & VII Vir. Epulonum?

Inexspectata etiam haec nota ad d. 29 Jan.

FERIAE ..... IMP. CAES. ....
MA ....
MARINA ....

Dies certe notatur ob rem aliquam ab Augusto bene gestam insignis, quem tamen nec *Ovidius*, nec quodlibet aliud Calendarium, indicat. Fogginius, considerans superstites in marmore literas MA ... MARINA, in hanc suspicionem venit, Verrium forte annotasse, quam Augustus, Cos XIV., exhibuit in Campo MA*rtio*, naumachiam, quando plurimae tam fluviales quam MARINA*e* naves conflixerunt: vel potius, aliud quoddam Neptuno dicatum seu sacrificium, seu spectaculum in Campo Martio, quod Augustus mare pacavit a praedonibus. De utroque Augustus gloriatur in tabulis Ancyranis.

Ad

Ad d. 29 Jan.

DIVUS. CAESAR. ADL... AUGERETUR. A....

Nos quidem cum Fogginio legimus: *Divus Caesar addidit hunc & posterum diem, ut augeretur annus.* Annum ad cursum Solis accommodatum esse, notum est e Suetonio & Censorino, inprimis Macrobio, Sat. I. 14; ex quo hoc observes; Caesarem *adjectos a se dies Fastos notasse, ut majorem daret actionibus libertatem, & non solum nullum nefastum sed ne comitialem quemquam instituisse, ne ambitionem Magistratuum augeret adjectio.* Jam vero hoc non diu obtinuisse, patet cum ex Calendario Maffejorum, tum nostro Verriano. In illo, a. d. 3 Kal. apposita est litera N, in hoc autem nota, N^P, quae significat *ex parte nefastum.* Praeterea Verrius Prid. Kal. Febr. notavit diem Comitialem. Ultima hujus tabulae nota haec est: a. d. 29.

FERIAE EX S. C. QUO....DIE. ARA. PACIS. AUGUSTA....
MARTIC.. DIDICATA... ST. DRUSO. ET. CRISPINO. C.....

Lege cum Fogginio: *Feriae ex Scto, quod eo die ara pacis Augustae in Campo Martio dedicata est, Druso & Crispino Coss.* Quo loco, & anno, haec ara, quam memoravit Ovid. Fast. I. 709, dedicata sit, nunc primum ex Verrio, qui Coss. A. 744. addidit, intelligimus.

Plus ſemel autem Senatus decrevit, aram *Pacis Augustae*, propter felicem expeditionem, dedicandam, unde in Calendario Amiternino, a. d. IV Non. Jul. haec nota: FER. EX. S. C. Q. E. D. ARA. PACIS. AUG. IN. CAMP. MAR. CONSTITUTA EST NERONE ET VARO COS, qui quatuor annos ante fuerunt Conſules. At vero ubi reverſus est, C. Sentio & Q. Lucretio Coſſ., A U. C. 734, ut domesticos in Urbe motus *compeſceret*, *Ara Fortunae reduci*, conſecrata est, non Paci. Quod vero Dio narrat, LIV, 10, Augustum honorem arae pacis ſibi conſecrandae a Senatu decretum rejeciſſe, pertinet tantum ad locum. Senatus decreverat dedicationem in Curia. Hoc detrectavit Augustus, quando, ut conſtat e Calendario Amiternino, dedicatio facta est in Campo Martio, quod deinceps in exemplum abiit.

Ex his etſi Historiae antiquae ſtudioſi, quantum bonae frugis Fastis Praeneſtinis, & vero Cl. Editoris animadverſionibus, inſit, intelligere posſunt, tamen, cum libri egregii exempla in paucorum manus pervenerint, majorem gratiam nos ab iis, qui Romanae Antiquitatis ſtudio delectantur, inituros ſperamus, ſi de reliquis etiam tabulis, & Fogginianis in eas Commentariis, alia Bibliothecae parte, ſententiam noſtram dicamus.

I. R.

RE-

RELATIONES BREVIORES.

I. *Rutgeri Ouwens Noctes Haganae, sive Observationum Libri tres. In quibus multi Veterum Scriptorum loci explicantur, vindicantur, vel emendantur.* 4. *pagg:* 637. *Franequerae* 1780. Libro nomen ex re & vero additum est. Auctor, Scholae Haganae Rector, vir in Literis Humanioribus accurate doctus, nervcrum morbo vexatus, qui non quidem dòlores adferret, sed somnum auferret, unum reperiebat mali levamentum, Laudanum Sydenhami. Hoc sumto, motus quidem & spasmi corporis cessabant, ceterum nox fere insomnis transigebatur, multiplices animum agitabant cogitationes, meditabatur diurna vel solemnia muneris officia, quidquid olim in Veterum scriptis legisset, recolebat ac tractabat. Quae quidem omnia somno vel levissimo ita ex animo abstergebantur, ut revocari cogitando non possent; licet quaedam non ineptae a se excogitata fuisse crederet. Ergo, ut ex hac aerumna aliquem ingenii fructum caperet, instituit lucernam lecto apponere, &, si quae memoratu digna in mentem venirent, ea scripto notare. Haec relegens mane, summa cum admiratione cognovit, se numquam bono ac tranquillo corporis statu quid-

quam

quam aptius accuratiusque excogitasse. Igitur retinuit hanc notandi consuetudinem, ac, transactâ per meditationem nocte, sub lucem obdormiscebat, & exiguo somno recreabatur. Hinc natus est hic liber, quem Auctor extremâ senectute, propior jam nonagenario quam octogenario, edere aggressus est, hortatore praestantissimo viro, Jano Grotio, ICto peritissimo, caussarum apud Haganos patrono celeberrimo atque acerrimo, nulli hujus aevi *poetarum* Latinorum secundo: qui & suasor exstitit, ut liber ex re ipsa Noctes Haganae inscriberetur. Accessit operae adjutor, Hermannus Cannegieterus, ICtus & Antecessor in Academia Franequerana Celeberrimus, vir omnis melioris literaturae peritissimus; qui Auctori & sententiam exquirenti respondit, & libros requirenti benigne gratificatus est. Ceterum, quum inter conceptos animo, primis adolescentiae temporibus, & editas has observationes, anni intercesserint amplius sexaginta; per quos prodierunt vel novae Auctorum veterum editiones, vel Criticorum animadversiones: has quidem senex, quoad ejus per ingravescentem imbecillitatem fieri poterat, consuluit: sed vel sic quaedam retinuit occupata jam in aliis ex hoc genere novissimis libris. Atque haec quidem Auctor ipse narrat in Praefatione Anno 1779 scripta: eoque non ita multo post mortuo, libri editio ut absolveretur idem effecit H. Cannegieterus V. Cl. Difficile est in relationis bre-

brevitate specimina observationum ex tanta copia proferre: quod alio fortasse tempore faciemus. Universe materiam ac rationem operis significemus. Argumentum continetur fere parte Latinarum literarum eâ, quae cum Scholastica institutione conjuncta est. Igitur nonnulli Antiquitatis Romanae loci exponuntur, veluti de rebus Civilibus, Moribus, Legibus: de Verborum Dictorumque quorumdam Latinitate disputatur: loci etiam Scriptorum tractantur, veluti Ciceronis, Nepotis, Sallustii, Virgilii, Horatii, Propertii, Ovidii, Phaedri, Flori, Lucani, Juvenalis, Suetonii. Graeca, quae tractantur, perpauca sunt, eaque perquam vitiose a Chalcographis expressa, ut nonnumquam vix sententia verborum appareat. Doctrinae modus hic est, qui Latinorum Auctorum, non omnium, sed tamen optimorum, cognitione contineatur. Ratio critica ejusmodi est, ut magis in vindicanda vulgata lectione, & confirmandis priorum Interpretum sententiis, quam proferendis novis correctionibus, versetur: &, ut magis expositione locorum disceptationeque argumentorum in utramque partem consumatur, quam acuta brevitate absolvatur. Huc quum senilis garrulitas accederet, factum est, ut quaedam observationes justo longiores fierent, & liber ad hanc magnitudinem excresceret Quare, libri laus aestimanda est non tam inventione novarum rerum, quam rerum ab aliis inventarum judicio, docto, diligenti, modesto.

II.

II. *Christophori Saxi Onomasticon Literarium; sive, nomenclator Historico-Criticus praestantissimorum omnis aetatis, populi, artiumque formulae Scriptorum: item Monumentorum maxime illustrium, ab Orbe condito usque ad Saeculi, quod vivimus, tempora digestus, & verisimilibus, quantum fieri potuit, annorum notis accommodatus* 8. *pagg.* 659. *Pars Quarta. Trajecti ad Rhenum.* 1782. Valde nobis jucundum accidit utilissimi operis volumen quartum, quod ab *A. C 1586* ad 1652 pertinet, & iisdem, quibus priora volumina, commendatur dotibus, diligentia, brevitate, delectu, in notandis Scriptorum aetate, genere, laude, & memorandis notitiae fontibus. Igitur vehementer optamus, ut egregius Auctor reliqua deinceps volumina eadem ratione & alacritate absolvat.

III. *Jo. Ad. Nodell Criticarum Observationum Libellus.* 8. *pagg.* 82. *Campis.* 1781. Opusculum est alumni disciplinae Schraderianae, & habet specimina Criticae facultatis in corrigendis Latinorum, praesertim Poëtarum, corruptis locis haudquaquam contemnenda. Nam correctiones, licet fere non in gravissimo corruptelarum genere versentur, tamen acumine, elegantiae sensu, & lenitate remedii, commendantur. Complures verae, paucae nobis videntur falsae: mediae quoque, quas nec probamus nec repudiamus, habent quod placeat. Septem sunt Libelli capita: primum versatur in Propertio: secundum

cundum in Ovidio: tertium in Lucano: quartum in Petronii Pharſalico carmine, & Valerio Flacco: quintum in Claudiano: ſextum in Anthologia Latina: ſeptimum in quibusdam ſolutae orationis Scriptoribus. Igitur ex iis, quas veras aut veri ſimiles judicamus, hae ſunt. Propert. III, 4, 22: *Ille potest nullo miſeram me linquere facto, Ac qualem nulla dicere habere domo*: minor verſus ita conſtituitur: *Ac, qualem nullus, dicere habere domi.* Nec tamen erat quod notisſimum illud, *habere puellam*, copioſius confirmaretur. Ovid. Her. VIII, 47: *Tu quoque habes proavos Pelopem, Pelopisque parentem: Si melius numeres, a Jove quintus eris*: pro *melius* reponitur *medios.* Ib. XX, 178: *Et tu continuo, certe ego ſalvus ero:* ſententia reſtituitur, legendo *per te* pro *certe.* Claudian. Conſ. Prob. & Olybr. 37: — *vel calido ſi quis conjunctus in axe Naſcentem te, Nile, bibit:* corrigitur: — *ſi quis conjunctior axi* —. Id. Conſ. Honor. 199: *equos, qui ſumma freti per caerula posſint, ferre viam, ſegetemque levi percurrere motu, Neſciat ut ſpumas, nec proterat ungula culmos:* conjicitur, *nec cieat ſpumas*, & comparatur exemplum imitationis Virgilianum, Aen. VII, 801. Anthol. Lat. L. V, Ep. 205: *Qua te cunque moves, osculum porrigis ultro, Nam turpes foetore gravi, ſi forte loquaris:* ingenioſa est conjectura, quâ ita refingitur locus: *Qua tu cunque moves os, culum porrigis ultro; Nam torpes foetore gravi, ſi forte loquaris.*

Cicero

Cicero de Divin. II, 20: fententia restituitur, addita particula negandi: *Quasi ego aut fieri non concederem, aut esset Philosophi, causfas, cur quidque fieret, non quaerere.* Tacitus Ann. XIV, 21: item laboranti fenfui fuccurritur leni mutatione, quâ pro *strueretur* legitur *destrueretur*: *Sed & consultum parcimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius, quam immenso sumtu singulos per annos consurgeret ac destrueretur:* ceterum in Nodelliano libello prave ab operis expresfum est *locatus* pro *locata.* Auctor Dialogi De Causf. Corrupt. Eloqu. Cap. VII. *Tum mihi supra tribunatus & praeturas & consulatus adscendere videor, tum abire: quod si non in alio oritur, nec codicillis datur.* Pro corrupto *abire* a Mureto fumitur *habere*, & locus ita conftituitur: —— *habere quod non in aulâ oritur*, cet. Sed memoratis bonis, omisfis mediis conjecturis, moneamus de duabus ex iis quae falfae nobis videntur. Altera est, Claudian. Conf. Mall. 300: *Perfosfique ruant, populo pallente, leones:* malit *populo plaudente:* quod nobis quidem contra Poetae mentem esfe videtur; quamquam dictionis exempla multa proferuntur; quare tuemur Gesneri explicationem. Altera est, Ciceron. Tusc. I, 48: *Iphigenia Aulide duci se immolandam jubet.* Locus, fi quis, fanus est. Tantum abest, ut, quod ait Nodellus, grave in eo lateat mendum a nemine animadverfum, ita corrigendum, ut pro *Aulide* legatur *Aulidem*; eo enim puellam

Mycenis

Mycenis ductam esse. Atqui Iphigenia cum Clytaemnestra matre Aulidem arcessebantur praetextu nuptiarum, insciae futuri. Primum reluctabatur, mox lubens mortem oppetiit, jussitque se duci mactandam: vid. Eurip. 1368-1400: in quo hanc Iphigeniae anomaliam reprehendit Aristoteles A. P. XV. Ceterum quo magis haec specimina probamus, eo magis optamus ut Auctor facultatem suam continuo exercitio ac lectione augeat, eoque jucundior nobis fuit nuncius delati in eum apud Campenses muneris Professorii.

IV. *Museum Turicense, aperuit Jo. Jacobus Hottingerus.* 8. *Turici* 1782. *Voluminis Primi Tomus Prior, pagg.* 206. *Tomus Posterior*, a 206-363. Pergit Cl. Hottingerus, vir in paucis eleganti doctrina excultus, operam in eo collocare, ut Antiquas Literas illustret, earumque studia apud Helvetios, in primis Turicenses suos, vel instauret, vel instaurata confirmet. Consilium hujus scriptionis referamus ipsius verbis in fine Praefationis positis: „ Itaque videbo" inquit „ num aetas nostra ab „ errore, quo Literas humaniores, quae labore mul- „ taque rerum doctrina constant, prae domesticis „ nescio quibus deliciis paulo ante aspernabatur, ad „ veram Graecorum Romanorumque Auctorum „ aestimationem paulatim redire visa, libri & ad „ reconditiorem doctrinam pertinentis & Latine „ scripti ferre possit lectionem. Qua spe si me non „ destitui & redemtori impensae rationem constare

 „ in-

„ intellexero, quamvis, ne certis statisque temporibus „ aliquid polliceri queam, incerta rerum mearum ratio „ obstat, tamen utcunque potero, plura volumina „ addere pergam." Materiae praecipua pars erunt lucubrationes ineditae, Hagenbuchii, Zimmermanni, Breitingeri, Turicensis quondam Academiae, & vero totius Helvetiae, luminum. Accedent epistolae quaedam, ex ingenti numero, a viris doctis ad Jacobum Hottingerum, Henrici filium, Editoris *abavum*, scriptae. Adjicientur etiam melioris quidem notae disputationes editae singulares, quae facile distrahi & ex hominum notitia evanescere solent. Nec vero tantum vetera & typis vulgata dabuntur. Nam, & Steinbrychelius, vir doctissimus, hoc Volumen ornavit Epistolâ ad Villoisonum scriptâ, ac libello animadversionum ad Euripidis Hecubam, reliqua etiam Volumina ornabit *observationibus* longo annorum usu ad Scriptores Graecos, in primis Sophoclem, congestis: & ipse Hottingerus ex suis adversariis expromet, quod jam nunc fecit, vel observationes ad Latinos Auctores, vel alia quae ab hoc instituto non abhorrere videantur. Denique homines eruditi, harum Literarum studiosi, ad operae societatem invitantur: quibus aperitur hic liber, veluti portus, cui committant quidquid suarum lucubrationum perire nolint; hac tamen lege, ut Editori integrum sit, ea modo recipere, quae & luce digna, nec a consilii sui ratione aliena, judicaverit.

verit. „ Quaecunque", inquit Praef. p. 9, „ Phi-
„ lologiam & Critica tum sacra tum profana spe-
„ ctant, aut aliquo modo cum illis sunt conjuncta,
„ ut virorum doctorum de singulis non modo libris
„ sed etiam locis judicia, observationes, emenda-
„ tionesque, quidquid porro ad Philosophiae inpri-
„ mis Antiquae & omnino Literarum historiam per-
„ tinet, denique si quae hominum memorabilium
„ vitam, scripta, perfectasque ab illis in Literis aut
„ Religione conversiones illustrant, his igitur &
„ similibus aliquis in Museo nostro locus concede-
„ tur. Qua in re ita varietati quidem studebimus,
„ ut nihil tamen a nobis proferatur, quod non e re
„ sua existimare possint illi, qui Literarum huma-
„ niorum studium profiteantur." Referamus jam argumenta singularum deinceps libri partium. TOM. PRIOR. I. *Hagenbuchii Epistola.* Consilium scriptionis fuit, ut gratias ageret Societati Columbariae Florentinae, quae ipsum socium adsciverat A. 1748. Argumentum versatur in explicatione duarum Inscriptionum, in Commentariis illius Societatis editarum. Apparet Hagenbuchii insignis illa rei Epigraphicae veteris scientia. Ejus in hoc genere magnus epistolarum numerus, quum ipse minimam earum partem edidisset, servatur apud generum, Steinbrychelium; qui profecto iis huic Museo adjiciendis magnam a doctis hominibus gratiam inibit. II. *Jo. Jacobi Steinbrychelii Epistola ad Villoisonum V. Cl.* Argu-

 mentum

mentum est de vexato illo Sophoclis loco Antig. 793: Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις: cujus primum correctiones ponuntur duae: altera, ὅτ' ἐν ἥμασι πίπτεις, i. e. *quando per tela ruis*: altera, ὃς ἐν λήμασι πίπτεις, i. e. *qui altos spiritus invadis*: deinde, relicta emendatione, ab interpretatione auxilium repetitur, & vulgata sic redditur, *qui opibus insultas*. Nobis videtur, altius huic loco inhaerere mendum, quam quod adhuc virorum doctorum conjecturis sanari potuerit. Quare medicinam exspectamus vel ab integriori codice, vel a vetere Scriptore, aut Grammatico, qui veram lectionem servaverit. III. *Dissertatio Critico-Theologica de Christi Deitate, quam sub praesidio Jacobi Verneti, V. C. palam tuitus est Joannes Le Cointe, Genevensis.* IV. *Epistola Breitingeri ad Quirinum Cardinalem scripta* 1737. Narrat, se constituisse Quirino epistolam inscribere, quâ codicis Graeci Psalmorum antiquissimi Turicensis, literis argenteis, titulis aureis, scripti, rationem omnem ac notitiam operosâ diligentia persequeretur, suas observationes interponeret, & consilium communicaret de Editione Graeci V. T. Turicensi, quinto volumine locupletanda: quâ de caussâ Quirini praesidium implorat, quem in hoc genere multum operae posuisse appareat, cum ex specimine Vaticani codicis ad se misso, tum ex duabus epistolis ad Mazochium scriptis de libro Prophetarum Chisiano. Porto de Quirini cum

Kies-

Kieslingio lite libere & prudenter ſtatuit. Denique profitetur, ſe cantilenas, vetere Teutonicâ lingua ſcriptas, ex codice regio Pariſienſi, quo antea in Paraeneticorum editione uſus fuisſet Goldastus, editurum, adjecto Elencho ſummorum virorum 139, qui haec carmina modulati esſent. De hoc libro Cantilenarum notam ſubjecit Editor: „ Praeſtiterunt „ hoc ſummi viri (Breitingerus & Bodmerus) A. „ 1758, dum eum codicem duobus voluminibus in „ 4to literis Orellianis ediderunt. Sed non reſpondit „ justisſimae exſpectationi exitus. Adeo enim non „ fuit ea opera ad palatum Germanorum, qui ele„ gantes videri volebant, ut paucisſima exemplaria „ emtores invenerint adhuc, nec illi ipſi antiqua „ haec carmina noſſe videantur, qui Antiquitates „ Germanicas ubique crepant." V. *Oratio, Profesſionis Eloquentiae adeundae causſâ, dicta ab. J. Jac. Hottingero, A.* 1774. Argumentum eſt de causſis & recta ratione eloquentiae: explicatio ejusmodi est, ut dubitemus utrum ab eloquentiae magis ſcientiâ an facultate, Auctorem laudemus. VI. *Epistola de rebus ad Labadiam pertinentibus, ad Jo. Henricum Heideggerum, S. Theol. D. & in Gymnaſio Turicenſi ejusdem olim Prof. ex Schedis Hottingerianis deſcripta.* Scriptoris nomen ſubjectum est: P. Hachenberg. Osnabrugae 1671. Scriptio non est contemnenda, ut probabili orationis bonitate, ita festivitate argumenti, quod est de Labadiae commoratione apud

Elisabetham Hervordensem Abbatissam. VII. *Observationes ad Euripidis Hecubam.* Auctor est Steinbrychelius, V. Cl, Graecarum Literarum apud Turicenses Professor, cujus in hoc genere scientia jam ante complures annos cognita est ex versione Germanica quarumdam Odarum Pindari & Tragoediarum Sophoclis. Ratio harum Observationum ejusmodi est, non ut paucis locis emendatio expromatur, sed ut multis deinceps ea Crisis *adhibeatur*, qua vel scriptura constituatur delectu variarum lectionum & Animadversionum a prioribus Interpretibus proditarum, vel sententia aperiatur ex Graecae Linguae rationibus, usu Tragicorum & Grammatica subtilitate; ut libellus utilis sit, cum doctioribus ad cognoscendum, tum minus doctis ad perpetuam Fabulae lectionem. Quod vero diximus de Critica ratione, quae magis *in explicando* quam emendando versetur, ejus & alia deprehendimus specimina, & in duobus locis, v. 799, & 807, quorum difficultatem interpretando expedire conatus est Steinbrychelius: quos quidem locos nos semper pro corruptis habuimus & emendare studuimus Vol. I. P. IV. p. 35, 36. TOM. POSTER. I. *Hagenbuchii Epistola ad Rich. Pocockium; scripta* 1753, qua ei gratias agit missi ad se operis Inscriptionum ab eo editi, & quosdam ejus locos corrigit. II. *Ejusdem Epistola ad Celeberr. Arnhemiensium Doctorem Henr. Cannegieterum, scripta* 1753.

Argumenti est Epigraphici, in primis de Trajania gente: habet quoque ineditam Inſcriptionem de Julia Clementiana. III. *Henr. Cannegieteri Epistola ad Hagenbuchium, ſcripta* 1754. Continetur reſponſione ad ſuperiorem, & confirmatione correctionis Hagenbuchianae, quâ in Lapide Camdeniano reſtituuntur nomina Pompejani & Lolliani, qui Coſſ. fuerunt A. C. 209. Subjicitur Criſis duorum Lapidum Helveticorum a Bochato editorum, quorum alter ad Lauſonnenſes pertinet, alter Aventicenſibus vindicatur. IV. *Ejusdem Epistola ad Hagenbuchium, ſcripta eodem Anno*: verſatur in emendandis Inſcriptionibus nonnullis Helveticis, a Bochato & Schelhornio editis. V. *Jo. Jacobi Zimmermanni Vindiciae Anaximandri & Anaximenis: pars operis, de Atheismo viris eruditis impacto.* Doctae & modestae disputatiunculae haec est concluſio, ut Auctor fateatur ſe quaeſtionem in medio relinquere, nec ſatis reperire argumentorum, quibus Anaximandrum & Anaximenem vel abſolvat vel condemnet Atheismi crimine. Hujus libri inediti locos ſe in hoc Muſeo ſubinde proditurum pollicetur Editor. VI. *Jo. Jacobi Hottingeri Schola Grammatica ſuper nobili illa Virgiliana forma, Vina coronare.* Elegans eruditaque commentatio huc redit, ut conficiatur, Virgilianam dictionem non ex Homerica illa κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, ſed ex more Veterum *pocula coronandi*, accipiendam eſſe. VII. *Con-*

tinuatio Observationum ad Euripidis Hecubam. VIII. *Leibnitii Epistola ad Jablonskium, ex Schedis Hottingerianis descripta.* Forma & materia scriptionis manifesta habent indicia ingenii Leibnitiani: utrum antea edita fuerit nec ne, non statuimus. Ceterum, videtur ad alium potius quam Jablonskium scripta esse; nam hujus ita mentionem facit Leibnitius, ut de eo, non ut ad eum, scribat. Argumentum est varium: de Sinensium scriptura: comparatio characterum Fohianorum cum Arithmetica Binaria, in qua latere judicat pulcherrimam imaginem Creationis ex Nihilo per potentiam summae Unitatis, id est, Dei: de opinione eorum, qui Deum cum materia confundunt: de Spinozae errore, ex Cabbala & Cartesiana doctrina orto: de Literarum forma universali, quâ notiones, veluti calculis ineundis, inveniantur: de Alphabetis vetustissimarum gentium: de Chalcographiae apud Sinenses & Europaeos inventione: cet. IX. *Jo. Jacobi Hottingeri Specimen Observationum Criticarum ad Vellejum Paterculum.* Quum Hottingerus ante quatuor annos Sallustium edidisset, de quo retulimus Vol. I. P IV. p. 127; constituit, ad eandem fere rationem, edere Vellejum, ejusque scripturam ex copiis priorum Editorum, in primis Ruhnkenii, ita constituere, ut suo tamen ipse judicio uteretur in locis affectis: cujus operae specimina per hanc scriptiunculam proferuntur.

V.

V. *Etwas über die neusten Uberſetzerfabriken der Griechen und Römer in Deutschland, insbeſondere über den Bahrdtſchen Tacitus.* 8. 1782. i. e. *De recentisſimis officinis verſionum Germanicarum, ex Graecis Latinisque Scriptoribus factarum, in primis de Tacito Bahrdtiano. pagg.* 141. Libelli Auctor idem est Hottingerus: conſilium idem, quippe refertur ad accuratae doctrinae ſtudium. Nam quum, ut ſaepe alias gentes, ita nunc Germanos veluti libido quaedam incesſerit Graecos Latinosque Auctores in patriam linguam vertendi, fueritque adeo qui profiteretur, ſe illos deinceps omnes Germanice editurum; recte ac prudenter fecit Hottingerus, quum per hanc ſcriptionem expoſuit, quanta in hac profesſione vanitas verſetur, quam difficile ſit bene vertere, quibusque numeris cenſeri debeat bona verſio, id est ejusmodi, quae ad proferendum & ingeniorum & linguarum recentiorum cultum valeat. Bahrdtium vero, de quo in primis diceret, ſumſit, cum quod is hanc profesſionem ſuſcepisſet, tum quod idem reliquis verſionum opificibus praeſtaret ingenii doctrinaeque elegantia; ut, notatis ejus in vertendo Tacito erroribus, existimari posſet de aliis, qui minus etiam ipſo valerent in hoc genere. Est quoque diligens admonitio de finibus, quibus continenda est interpretatio ea, quam novitii Aeſtheticam vocant, quae ad artificium Scriptoris & judicium ſenſumque pulcri refertur: quibus fini-

bus migrandis quam ineptae ac ridiculae exstiterint commentatiunculae, quorumdam exemplis ostenditur. Appendicis duae sunt partes. Altera habet accuratam disputationem de pervulgata illa versionum lege, qua ita volunt Veterem Auctorem verti, ut ipse scripsisset, si v. c. Germanus fuisset. Altera continetur libello Alembertiano, *de Arte vertendi*, Germanice reddito, & animadversionibus illustrato.

VI. *Johannis Baptistae Casparis D'Ansse de Villoison, de quibusdam Hippocratis, Sophoclis, & Theocriti, locis, Epistola ad Clarissimum Virum Lorry, Parisiensem Medicum.* 4. *pagg.* 20. Schedula, scripta V. Cal. 1781 Venetiis, ubi eo tempore degebat Villoisonus, vim habet munusculi & gratulationis. Initium fit a laudibus Lorryi, viri incomparabilis, medici hac aetate primarii, & cum humanitate tum Antiquarum Literarum scientiâ egregii. Quas nos Viri laudes eo lubentius commemoramus, quo majori voluptate fructuque a nobis praesentibus cognitae sunt. Locus Hippocratis exstat in Ed. Foes. p. 293: ubi dicitur de ancillis: οὐ γὰρ φθάνουσι παρὰ ἄνδρα ἀφικνεύμεναι, καὶ ἐν γαστρὶ ἴσχουσι: a cujus vera sententia, mirabile dictu est, ut interpretes Latini omnes aberraverint; quum frequens sit usus verbi φθάνειν. Recte Villoisonus reddit: *vix cum viro rem habuerunt, quum statim concipiunt.* Sequitur crisis de loco Theocriteo Id. XXI, 37: τὸ δὲ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ, Φαντὶ γὰρ αἰὲν ἄγναι τόδ' ἔχειν: quâ hanc in sententiam expo-

exponitur: „immo non magis ſopiri posſumus, quam „ illa ſemper vigil noſtri Prytanei Syracuſani lu- „ cerna, quae ſemper, quod famâ accepi, ἄγραν ἔχει, „ id est, perpetuo alimento, oleo ſemper inſtillato, „ ſuscitatur." Nobis aliud vitium ſubesſe videtur, Et fortasſe verior est altera Villoiſoni ratio, quâ ſuſpicatur, excidisſe, ante haec verba, initium hujus & finem praecedentis verſus. Ultima est Criſis de vexato illo Sophoclis dicto Antig. 793: Ἔρως, ὃς ἐν κλήμασι πίπτεις: cujus lectionem Villoiſonus triplici ratione tentat; ut legatur, vel, ὅσα πήματα τίκτεις, *quanta mala gignis*: vel, ὃς ἐν πήμασι πίπτεις, *qui cum malis irruis, qui irruendo mala tecum affers, qui incidis in mala*: vel, ὃς ἐν τ' (vel ὃς εἰν) ἥπασι πίπτεις, *qui in cor, ſ. hepar, irruis*. Nos noſtram tenemus ſententiam, ſupra p. 100. memoratam, ut gravius quoddam loco mendum inesſe judicemus; quamquam doctrinam & acumen Villoiſoni agnoſcimus.

VII. *ARISTOPHANIS Comoediae, in Latinum ſermonem converſae, T. I. II. III. Argentorati.* 8. 1781. Ergo non vana fuit ſpes, quam de Brunckiana Aristophanis editione conceperamus. Jam enim deſcripta est ea operis pars, quae Latina verſione continetur: ac tam externo cultu, quam interna bonitate, operae pretium factum est. Nam orationis Aristophanicae elegantia, venustas, & acumen,

men, ita reddita sunt, ut jam ex Latina versione cognosci possint, & ut haud pauci loci verius expressi sint, sive ex melioribus lectionibus, sive ex ipsius Brunckii sollertiâ. Sed hoc quale sit uberius exponemus, quum Graeca prodierit pars. Nunc lectores hujus Bibliothecae ignorare noluimus, quantum jam operis absolutum sit.

VIII. *M. TULLII CICERONIS Historia Philosophiae Antiquae. Ex omnibus illius scriptis collegit, disposuit, aliorumque Auctorum cum Latinorum, tum Graecorum, locis & illustravit, & amplificavit Fridericus Gedike, Director Gymnasii Fridericiani Berolinensis.* 8. *pagg.* 364. *Berolini* 1782. Zedlizii Gedikiique judicium de recta Literarum institutione & superiore anno laudavimus, & nunc laudabimus ex edito libello utilissimo, qualis ut ederetur nos dudum optaveramus. Nam, ut alia prudenter vidit Zedlizius, V. Ill., ita verissime judicavit, „ Antiquae Philosophiae notitiam pernecessariam esse adolescentibus, nec sine ea ipsam veterum Scriptorum lectionem feliciter satis procedere; ipsius adeo Philosophiae studium ab hac historica cognitione ordiendum esse, quo facilius, primis & veritatis & erroris fontibus cognitis, a partium studio averteretur juventus." Hoc igitur exteri intelligunt, cum omnes docti, tum vir auctoritate ac rerum scientia praecipuus, cui prudentissimus doctissimusque nostra aetate rex, Fredericus Borussicus, cu-

ram

tam Scholarum Academiarumque commisit: nostrates plerique, in tanta Literarum luce, nondum intelligere videntur. Ceterum, Zedlizius quum illud spectaret, ut cognitio Antiquae Philosophiae ab alumnis Scholasticae disciplinae cum ipsa veterum Auctorum lectione conjungeretur, Gedikio provinciam mandavit colligendorum, qui ad hoc argumentum pertinerent, locorum Ciceronis, optimi profecto Auctoris, non solum oratione sed copiâ & ratione. Itaque Gedikius provinciam ita administravit, ut, lecto Cicerone, materiam congereret, secundum temporis sectarumque ordinem in certa capita digereret, & adjectis aliorum Graecorum Latinorumque Auctorum locis augeret. Continet ergo hic liber ipsis Veterum verbis eam Historiae Philosophicae aetatem, quae est ab initio ad Ciceronem: nec eam absolutam & plenam, quod nec fieri potuit pro instituti ratione & brevitatis consilio: sed praecipuam tamen materiae partem, cum jucunda & accommodata juvenilibus studiis varietate. In locis aliorum Auctorum colligendis Bruckerum & Davisii Animadversiones Ciceronianas secutus videtur Editor. Ceterum, quum ante hunc librum nullus, quod sciamus, in hoc genere prodierit; non est mirandum, minus etiam reprehendendum, si quid forte in delectu materiae desideretur: potius grata mente interpretandum Gedikii studium, qui primus utilissimae operae exemplum prodidit.

IX.

IX. *SOPHOCLIS Philoctetes, Graece, cum notis Friderici Gedike, Directoris Gymnasii Fridericiani Berolinensis.* 8. *pagg.* 200. *Berolini.* 1781. Liber inscriptus est Zedlizio, & aliis viris honoratissimis, qui Gedikium hanc Tragoediam interpretantem audire dignati sunt. Is enim est Illustrissimus Zedlizius; qui Antiquas Literas non solum auctoritate tueatur, sed & ipse colat, & aliorum studia suo exemplo incendat. Itaque minime alienum a sua personâ judicavit, Gedikianas Scholas frequentare & praesentiâ suâ ornare. Ceterum, tractatis quibusdam Theocriti Idylliis, & Aristophanis Nubibus, placuit ad Sophoclis Philoctetem accedere: cujus quum deessent exempla, ea ipse novâ editione frequentare constituit Gedikius. Quod quidem consilium ita perfecit, ut non solum exemplorum numerum augeret, sed ex Critico usu & apparatu haud contemnenda intelligentiae subsidia adjungeret. Fabula, ex Brumoji instituto, in quinque Actus distributa est. Locis iis, ubi ipsa actio aliquid demonstrationis habet, quod sola oratione non primo obtutu intelligatur, interjectae sunt ejus rei admonitiones. Sequuntur Animadversiones, inde a p. 81 ad p. 200, in quibus ea est ratio & doctrina, ut & tironibus in primis consulatur, & doctiores habeant quod cum fructu legant. Nam, cum interpretatio sententiae opportune expromitur, tum locis corruptis & impeditis vera scriptura exquiritur, vel collatione qua-

rundam

fumdam veterum recentisſimarumque editionum, vel ex novisſimorum Criticorum obſervatis; veluti Valkenarii, Pierſoni, Heathii, Toupii, Musgravii, Brunckii, Reiskii, aliorum. Est quoque ubi ſuo ipſe ingenio conjecturam probabilem protulit Gedikius. Veluti v. 55. ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψῃς λέγων: malit, δόλοισιν ἐ. λ. V. 65. λέγ' οὖν pro λέγων. V. 231. κακούμενον pro καλούμενον. V. 421. οὐ 'μπολητὸς mutatur in οὐ 'μβολητός. V. 724. loco vulgati ςατὸν corrigit ποτὸν, quam correctionem in contextum adeo recepit, & locum ita exhibuit: — ὅπε γνοίη ποτὸν, εἰς ὕδωρ ἀεὶ προσενώμα. V. 995. ſententiae laboranti ſuccurritur transponendo verſu ſequente, οὐκ εἶ μεθεὶς, hunc in locum, & Philoctetis orationi adjiciendo. V. 1120. Harpyarum nomen Πλωτάδες restituitur pro vulgato Πτωκάδες. Sunt quoque aliae conjecturae. Nos ſatis habuimus probabiliores commemorasſe.

X. *Ricardi Dawes Miſcellanea Critica, iterum edita. Curavit & Appendicem Adnotationis addidit Thomas Burgesſ. A. B. e. C. C. C. 8. pagg. 529. Oxonii.* 1781. Editor, cujus ingenium & doctrinam cognovimus & probavimus ex Animadverſionibus Burtonianae Pentalogiae adjectis, de qua retulimus Vol. II. P. I. p. 119, noſtram de eo ſpem opinionemque novo hoc ſpecimine confirmat. Ac de Daweſiano quidem libro non est quod dicamus, cuju

cujus dotes in primis in subtiliori ratione rei Grammaticae & Metricae Graecorum positas esse, norunt omnes ab his Literis non alieni. Hic igitur liber ut ex ineditis Auctoris scriptis augeretur, prima fuit cura Editoris: cui quidem curae eventus non satis respondit. Nam autographum, ex quo expressus est Dawesianus liber, communicatum cum Editore a Farmero V. Cl., Collegii Emanuelensis, cujus olim socius fuit Dawesius, Praeside, nil habuit novi. Et quae a Saltero, doctissimo viro, allatae sunt Dawesii correctiones Miscellaneorum, quamvis acceptissimae, tamen paucae fuerunt. Alia scripta servantur in reliquiis Askewii, qui quondam Dawesii librariam supellectilem pretio redemerat. Ceterum, ut novae editioni plurimum, quoad ejus fieri posset, commendationis accederet, non tantum suas ipse copiosas annotationes adjecit *Burgessius*, sed aliorum quoque observationes addidit. Ergo Sanctamandi amplissimos in Aristophanem Commentarios, qui in Bodlejana Bibliotheca servantur, excussit, ex iisque eas animadversiones assumsit, quibus iidem, qui a Dawesio, tractantur loci. Porro, ex eadem Bibliotheca, duos codices scriptos Aristophanis, quorum nonnullas varias lectiones jam Dawesius memoraverat, ad locos ab eodem tractatos contulit, eorumque lectiones prodidit. Praecipuam vero haec nova editio laudem habet a Tyrwhitti, cui inscripta est, notis, paucis quidem illis, sed

dignis

dignis egregii viri doctrinâ & acumine. Notitiam quoque vitae ac rerum Dawesii exhibere voluit Editor: eaque de caussa virum reverendum & Biographiae Britannicae consultissimum, Andream Kippis, adiit, qui cum eo, quidquid de Dawesio vel ex libris vel ex amicis cognoverat, benivole communicavit: quae quominus omnia nunc proderentur, praefationis ratio vetuit. Nos non ingratum harum literarum studiosis factutos arbitramur, si vel pauca illa ex Burgesii praefatione referamus. „Ricardus Dawes natus est A. 1708. Praeceptorem nactus est eruditum, virum de sacris literis optime meritum, Antonium Blackwall; e cujus disciplina in Academiam Cantabrigiensem transiit A. 1725, ubi in Collegium Emanuelense cooptatus est. Undecimo post hunc anno sententiam eruditorum de Paradisi Amissi Miltoniani libro primo Graeca versione donato, una cum Annotationibus a se edendo, tentavit, specimine publice proposito: quod Specimen repetiit, & de eo ipse ingenue judicium tulit in praefatione Miscellaneorum Criticorum. Anno 1745 Miscellanea Critica edidit. Et diem supremum obiit 1766. Dawesius videtur Cantabrigiae commoratus esse cum partium studia contra Bentlejum maxime arderent; & ipse etiam ex iis fuisse partibus. Huc enim referre soleo, quod in Miscellaneis Criticis occasionem qualemcunque arripiat de laudibus Bentlejanis detrahendi, atque ita

etiam ut affirmet, Bentlejum, illum etiam Dissertationis Phalarideae auctorem, nihil in Graecis cognovisse, nisi ex Indicibus petitum, cet. „ Cujus quidem criminis vanitatem, & recte arguit Editor, & quisque in his literis non peregrinus intelligit. Ceterum Burgesii Animadversiones paginis constant circiter 180, & habent in juvenili redundantia magnam commendationem ingenii, eruditionis, & elegantiae; ut minime dubitemus, eum, *si progressu aetatis ratio* & delectus ad reliqua doctrinae bona accesserit, aliquando in praecipuis harum Literarum doctoribus numeratum iri. Et, quandoquidem copia & varietas doctrinae inest huic libro, nos eum in iis reponimus ex quibus specimina alio tempore expromamus.

XI. ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ περὶ Ποιητικῆς. *ARISTOTELIS de Poëtica Liber, ex versione Theodori Goulstoni. Lectionis varietatem e Codd. IV Bibliothecae Mediceae, Verborum Indicem & Observationes suas adjunxit T. Winstanley A. M. Coll. Hert. Soc. 8. pagg.* 314. *Oxonii.* 1780. Quum illud sit nostrae aetatis ingenium, ut Aristotelis scripta nec a Philosophis nec a Literatis magnopere legantur, libellus tamen de Arte Poëtica venustiorum hominum studia tenet, ac, nisi intelligitur, certe cognoscitur, venditur, & editionibus frequentatur. Nec enim de nihilo aut ex opinionis temeritate haec libello auctoritas venit: sed eâ commendatur doctri-

doctrinae praestantiâ, eâ rationis subtilitate, ut qui nunc de hoc argumento philosophantur, & profecti sint ab Aristotele, & ita quisque maxime probetur, ut illius vestigia diligentissimé persecutus fuerit. Ceterum ejus intelligentia multas habet difficultates: cum a fortunae iniquitate, quae tanta libello vulnera inflixit, ut plurimae partes ejus corruptae sint, quaedam penitus interierint: tum ab orationis brevitate, rationisque subtilitate, quam pauci legentium satis assequuntur. Interpretes adeo pauci fuerunt accurata Graecae Antiquitatis & orationis scientia instructi: pauciores, nec fere nisi P Victorius, Fred. Sylburgius, & Dan. Heinsius, in Aristotelis lectione probe versati: plerique, si quid acumine ac doctrina valerent, rudes erant Aristotelicae consuetudinis, & ex Philosophi libris hunc vel unum vel cum paucis legerant. Igitur ad bene de Literis merendum magna est in libello materia, sive illustrandae doctrinae, sive emendandae orationis; ut minime actum agere videatur qui operam in eo posuerit. Et de Winstanleyo quidem haud exiguam opinionem conceperamus; quod cognoveramus, eum diligenter undique subsidia ornandae editionis contrahere. Neque etiam nos prorsus fefellit opinio: Nam varietatem codicum Florentinorum, parum quidem illam fructuosam ad sanandas inveteratas labes, exhibuit tamen & orationi Graecae subjecit. Varietati subjunctae sunt Animadversiones Upto-

[illegible] editionis, ex Sylburgianis & Heinsianis pe-
[illegible] [illegible]. Proxima est Goulstoni versio.
Sequitur Index Graecorum verborum, laboriose &
diligenter confectus. Ad calcem voluminis sunt
[illegible] Annotationes: in quibus non quidem
inest [illegible] [illegible] explicatio, nec tamen
desunt [illegible] [illegible] interpretatio.

XI. *Formulae ac Disciplinae Ernestianae indoles [illegible] in Virum [illegible] Jo. Aug. Ernestium, [illegible] monumentum exstare [illegible]* Carol. Ludov. Bauerus, *A. M.* Scholae [illegible] Hirschberg. Rector. *Accessit, [illegible] Ernestianorum, Elogium [illegible]* 8. pagg. 144. *Lipsiae.* 1782. Dum [illegible], Ernesti, summi Viri, memoriam [illegible] ac [illegible] ita proditum sit, ut non [illegible] laudes celebrentur, sed ingenium, doctrina, mores, animus, & vita, eleganter accurateque [illegible]; adfertur hic ad nos [illegible], qui [illegible] spei nostrae magis incendit quam explet. Sed tamen is cuicuimodi sit, eo minus potuimus facere quin de eo referremus, quo jucundior, in recenti etiam nunc dolore, recordatio egregii Viri esse debet. Major libelli pars continetur Baueri scriptione, quae paginas 102 explet. Hic, ut ipse ait, ab undecimo aetatis anno usus est Ernesti disciplina, ut ad eum cognoscendum tempus

tempus quidem non defuerit. In descriptione est diligentia, quâ Ernestinae disciplinae vis & ratio exponatur, quique verus sit ejus vel alumnus vel studiosus dignoscatur: est quoque orationis Latinitas: in totâ tractatione vellemus plus operae datum esset delectui, suavitati, perspicuitati. Sequitur Index librorum ab Ernesto cum scriptorum, tum editorum, paginis decem. Elogium publice scriptum, id est, nomine Academiae ab Eloquentiae Professore, qui est mos in Germanorum Academiis: hoc igitur auctorem habet Augustum Guilielmum Ernestum. Et est illud quidem in eam brevitatem coarctatum, quâ tota Viri cognitio explicari non potuerit: ceterum nobis magnopere placuit, cum narratione vitae, tum scriptionis bonitate & prudentiâ, tum quod intelleximus auctorem adhuc valere Latinae orationis facultate, quam cum Joanne Augusto exstinctu n iri, quidam malevoli dicere solebant. Et, quandoquidem exteri J. A. Ernestum fere doctrinae famâ & ex libris editis duntaxat cognoverunt, putamus nos utile atque gratum facturos nostratibus, si libelli locos, qui partes vitae privatae publicaeque minus vulgo notas contineant, in quemdam ordinem redactos exhibeamus. „ Natus est Tennstadii, in Thuringis A. 1707. d. IV. Aug., patre Jo. Christophoro, S. Theol. Doctore, Ecclesiae Tennstadiensis Antistite, & ecclesiarum scholarumque ephoro, matre Catharinâ Sophiâ

Hedenâ. Hi eum tum ipsi praeceptis & exemplo religionem ac mores docuerunt, imbueruntque sensu honestatis & erga Deum pietatis, tum, postquam acceperat a praeceptoribus domesticis rudimenta, scholae oppidanae tradiderunt Latinis literis, Graecis, Hebraicisque erudiendum: in quibus illic, duce in primis Ittershagio, tantum profecit, ut, patre defuncto, sedecim annos natus, in Scholam Portensem deduci posset." In hac scholâ annos transegit quatuor. P. 123. „ Quum Scholam Portensem relinqueret, Schreberus, Rector, etiam de ipso optime meritus, ad ejus fratrem scribens, a quo noster domum arcessebatur, inter alia, quae in ipsius laudem commemorabat eximia & praeclara, hoc quoque posuit: ille vero plures libros cognovit & legit, quam studiosorum quisquam, qui abitum ex Academiis parant. Ipse etiam saepe professus est, Historiae Literariae & notitiam & amorem primum e Portensis bibliothecae usu, qui sibi liberrimus concessus fuisset, se conceptum duxisse, in eoque studio Freytagium sibi egregie profuisse. In Academia autem Vitembergensi Jo. Guil. Bergerus, quem humaniorum Literarum caussa sectatus est, discipulum eum habuit, singularis industriae nomine longe carissimum. Apud Wernsdorfium, Theologum acutum & elegantem, quum inter sermones privatos aliquando de difficultatibus, quae legenti sibi Epistolas Paulinas crebrae occurrerent, questus esset,

esſet, hoc reſponſum tulit: intelligo te ſapere. Nempe queſtus erat is, cujus commilitonibus tantum non omnibus libri N. T., pro ea, quae tum erat, vulgi opinione, facillimi esſe videbantur. Horum nostri commilitonum vix quisquam tantam veri acute videndi recteque interpretandi facultatem philoſophando & Mathematicas disciplinas tractando erat adſequutus, & ad cognoſcendos libros ſacros attulerat, quantam ipſe, qui etiam bonarum Literarum praeſidiis esſet inſtructus: adeo ille jam tum inter ceteros eminebat! Habuerat autem in Philoſophiâ ducem Schlosſerum, formulae Wolfianae philoſophum, ſed praeter caeteros elegantem: e cujus ſcholis tantum Philoſophiae amorem imbiberat, ut, Lipſiam delatus, cum Gesnero in privata conſuetudine propemodum nil aliud quam philoſopharetur. Qui quum cognovisſet & ſubtilitatem nostri & elegantiam, hortatus est eum atque impulit, ut Matheſeos & Philoſophiae Initia Latinitate donaret. Hauſerat autem rerum Mathematicarum ſcientiam non Vitembergae tantum & Scholis Haſii, excellentisſimi Geometrae, ſed etiam ex Hauſenii noſtratis: (quem vel ipſe Kaestnerus ille praeceptorem ſibi contigisſe laetari ſolet). Ejus frequentavit praelectiones de Matheſi ſublimiori, cum duobus tribusve commilitonibus, in quibus Hermannus erat, nunc in aulâ Dresdenſi concionator primarius, venerandus ſenex, quum caeteri ſodales, qui ab initio

Scholarum amplius quadraginta erant, fugâ molestiae ac difficultatis, ut fit, ſigna deſeruisſent. In Theologiâ Boernerum ac Deylingium ſequutus est; eloquentiae Germanicae praecepta tradentem audivit Gottſchedium, qui tum in eo genere optimus ac paene unicus habebatur. Hoc curriculum emenſus est triennii ſpatio; cujus dimidium tamen hic Lipſiae ne totum quidem ſtudiis ſuis impendere potuit, avocatus ac diſtrictus liberorum *Stiglitiae* domus inſtitutione, quam provinciam ille, in itinere domum faciendo, tranſiens per hanc urbem, Freytagio ſuo ipſum commendante, ſuſceperat. Adeo celeriter proficitur ab iis, qui bene praeparati nec nimis juvenes ad Academicas doctrinas accedunt! Ad hoc usque tempus cathedrae eccleſiasticae totum ſe deſtinaverat, quum ecce Stiglitius, praeclarus ingeniorum ſpectator, locum *Conrectoris* in ſcholâ Thomanâ ei offert, quem, diu cunctatus, agnito tandem nutu divino, alacriter ſpeique plenus adiit. Quae igitur ſtudia in ſubſidium tantum adhuc Theologiae, ac veluti miniſtros uſus tractavisſet, ea jam profiteri & propter ſe ipſa colere praecipuâ curâ & operâ, novo isto vitae genere cogebatur. In hoc munere adminiſtrando, utut juvenis quatuor & viginti annorum, cui regendus esſet coetus alumnorum, inter quos conſpicerentur haud pauci multo quam ipſe aetate provectiores, tamen, auxilio divino confiſus, prosperrimos ſuccesſus habuit. Quae

ille

ille divinae providentiae documenta singularia, inter lacrymas infinitas, praedicavit, cum ante hos tres & viginti annos, collegis coram & universo coetu, moderamine & cura illius scholae sese abdicaret: quam quidem inde a Gesneri in Academiam Gottingensem discessu, summa omnium cum laude sustinuisset. Huic tanto viro, Gesnerum dico, annum ipse agens septimum & vicesimum successor tum datus fuerat, a patronis quidem sapientissimis, nec ulli sumtui in arcessendis vel e longinquo viris doctis, quod & in Gesnero ante factum esset, parcentibus. Sed enim cui rectius cura illa demandaretur non erat; & ille per omnia doctrinam, industriam, prudentiam denique suam, patronis, nominatim Stiglitio suo, abunde probaverat. — Edito quidem ejus operâ Cicerone, Olivetus ille, Ciceronis editor & ipse doctissimus & interpres elegantissimus, prior ad eum scripsit; nec quidquam jam non magni ab eo exspectari fas esse pronunciavit. Similibus huic pluribus plurimorum de ipso judiciis adeo parum abusus est ad arrogantiam sumendam, ut incitamenta illa sibi subjiceret ad industriae ac sollertiae progressum atque constantiam. Itaque, praeter morem receptum, qui in scholâ senatoriâ docentibus aditum ad cathedram Academicam eo tempore intercludebat, tulit noster etiam Patriae Parentis judicium honorificentissimum, quum juberetur, ante hos undequadraginta annos, extra

Talem enim & sibimet ipsi olim hereditatem unam, sed longe amplissimam, & omnis hereditatis instar, ab utroque parente venisse saepenumero praedicabat, eoque nomine ipsi memoriam illorum sanctissimam esse, ut verbis non adfirmaret, lacrymae obortae disertius comprobabant. Felicem vero etiam nunc Ernestium nostrum tali educatione & acceptâ & datâ! Datae fructum uberrimum hunc quoque tulit, utut magnam partem inscius, quod inter preces & amplexus filiae Deo carae ipse Deo carissimus exspiravit." P. 121. „Et ingenio quidem utebatur ille non fervido aut vehementiori, ne magnopere quidem alacri, sed leniori, sedatiori, mansuetiori, faciliori, eleganti tamen & acuto eodem, utque uno verbo defungar, Ciceronis quam Demosthenis similiori: quod aptum esset solidiori doctrinae vel percipiendae, vel edisserendae atque illustrandae, literis vel maxime abstrusis & reconditis excutiendis ac rimandis, optimis artibus cognoscendis & exercendis, orationis denique flumini puro & leni fundendo, sed eidem ubertate copioso & amoenitatum plenissimo. Judicio autem valebat peracri, sed sedato & recto, quod aberrare illum a vero non facile pateretur, ut qui volvendo versandoque, quid inesset cuique rei, quid in ea ambiguum atque impeditum, quid cuique caussae proprium aut rursus ab ea alienum, cui quidque prodesset usui, acute celeriterque intelligeret; quum praesertim subegisset ingenium infinita lectio-

ne

nie, non intemperanti & cruda illa atque indigesta, sed quam composuisset, finxisset, ac regeret cogitatione adsidua, plurimo rerum usu, docendi denique ac scribendi perpetua exercitatione; memoriam autem, cujus vigeret & tenacitate & facilitate ac celeritate egregia, adeo fidam sibi & officiosam, ac velut dicto audientem ac promtam reddidisset, ut ab ea non temere destitueretur, essetque illa ei plurimorum instar thesaurorum, quales alii per otii abundantiam colligere, scriniisque suis, unde sapiant, inserere consueverunt: nimirum quia omnia legebat cum sensu, notatione, & usus varii destinatione ac velut repraesentatione. Animo denique ejus nihil generosius, nihil sanctius, innocentius nihil erat. Contemtis voluptatibus sapere ausus fuerat, laborare didicerat, laborando prodesse publice privatimque concupierat; nec vero id ad famam laudemque referebat, sed ad conscientiam recti, quem verum Dei cultum putaret. Sensus de religione, quos vel innatos vel informatos educationis beneficio concepisset, ratione duce, coelestis veritatis adjumento, inductione denique & adsuetudine, ita auxerat, emendarat, corroborarat, ut pietate in Deum, rerum divinarum studio, virtutis omnis amore & curâ fideli ac simplici, omnia metiretur. Huic animo tam excelso idoneum natura domicilium dederat, corpus non exile illud & viribus debile, sed in justa statura eximiaque dignitate, firmum,

firmum, vegetum, valetudine prosperâ ac fere inoffensa, quam ad septuagesimum usque annum mirâ diligentiâ ac temperantiâ conservavit. In primis fronte, quae mixtam hilaritate severitatem ac paene austeritatem referret, animus patebat seriorum amans, amabilis ipse, sed multo amabilior propter humanitatem; facilitatem, etiam festivitatem ac sales vere Tullianos, numquam a modestiâ ac prudentiâ alienos: quibus rebus effecit, ut *summis*, infimis, qui quidem saperent, gratissimus esset atque desideratissimus." P. 137. „In docendi munere summam diligentiam, breviter & perspicue omnia explanandi, nemini non probabat; saepe professus inter suos, numquam se, nisi commentatum, in cathedram escendere: in qua concionari, declamitare, & vociferari non solerent, nisi qui aut sibi placerent, aut inopiam doctrinae studerent *utcumque* velare. Illud etiam constanter servabat, ut temporis angustiis, hoc est, singulis binisve semestribus se suasque lectiones coerceri non pateretur, immo auditoribus esse plane satisfaciendum pronunciabat; & eorum, qui praelectiones & scholas properando absolverent, aut bene docendo vel in dimidia earum parte subsistere cogerentur, hos excusatius peccare dicebat. Nec vero eamdem quasi *cantilenam* usque ingerebat, sed, quae aut legisset interea, aut notasset subtilius, aut etiam rectius vidisset, lubenter ac simpliciter ac benigne cum auditoribus com-

communicabat. In concionando quantam subtilitatem popularitate & gravitate temperatam, quantam & rerum & verborum copiam argumento cuique accommodatam, exseruerit, alienum sit pluribus commemorare. Illud dissimulare non licet, plus temporis eum in commentando absumsisse, quam, pro istis eloquentiae praesidiis, ab eo requiri videretur; in hoc etiam similis magno Clarkio, cui non suffecisse constat unius hebdomadis spatium ad conficiendam unam orationem ecclesiasticam; neque enim juvari quemquam, edoceri, firmari, incitari, erigi, noster existimabat recitandis iis, quae unicuique a teneris innotuissent; facile vero effundi tales sermones, sed magno cum auditorum damno, qui officiorum non satis admonerentur, certe non edocerentur, quid esset verum in rebus summis, quid tenendum & cur tenendum esset, quâ viâ & ratione in religionis cognitione, adultis quidem hominibus dignâ, quibusque vitae institutis in virtutis Christianae studio, usuque continuo, proficiendum esset: quam quidem institutionem disciplinamque optime ex suo ipsius usu promebat. Qui unam ejus concionem audisset, quin animo uteretur noster vere Christiano planeque Theologico, dubitare non poterat; quod idem omnis ejus vita clamaret. Moribundis amicis lubenter aderat, ejusque alloquium in eâ caussâ a nonnullis expetitum est. Stiglitius nominatim, quem & ipsum adjuvit moribundum, quum

quum diu ante cum nostro de morte sermones aliquando seruisset, bonum factum! inquit: ergo tibi debeo, quae, quum aliis, pro eo ac par erat, debere vellem, frustra quaesivi. Viduis & *orbis* promtus auxilium praebebat, ex occulto ille quidem, nec consilio tantum, sed re quoque & operâ; etiam adversus alios liberalis, quibus vere consuli beneficentiâ posse videretur. Sed praecipue, quotiescumque usus publicus aliquid suae *opis desideraret*, liberalis erat, dando, commodando, laborando, defendendo. Amicis, qui calamitate aliquâ oppressi non satis expeditas rationes haberent, ultro largam ferebat opem, in eoque sibi mirifice placebat. In se, contra, suosque minus liberalis; minus benignus & quasi adstrictior erat: sed enim sibi ipsi severus quum esset, erga suos videri non poterat malignior. Cognatos non de *alieno*, *sed* de *suo*, sustentabat, non obtrudebat muneribus, aut ambitiosis precibus commoda iis expugnabat; sed non immeritos excludi a muneribus nolebat. In disciplinâ domesticâ referebat ad honestatem, elegantiam, mediocritatem, omnia: temperantiae & rite adhibendi temporis studio metiebatur omnium rerum ordinem. Ita factum est, ut in occupatissimâ vitâ tranquille tamen & hilariter ageret. Quae *quidem* res ei caussa fuit & robur vitae longioris, quam in remissiori minusque frugali vivendi genere attingere datum non fuisset. Defectus virium ante septuagesimum

gesimum ejus annum non magnopere comparuit. Etenim ad hoc usque tempus omnia ille munera strenue obire, alacriter etiam incedere adhuc poterat, ut qui senilis infirmitatis genere laboraret prorsus nullo. Enimvero sensim ab eo termino vitae humanae, hoc est, vigoris senilis, gradus ejus retardari, incurvus ipse deinceps trahere magis pedes quam proferre. Ille vero difficultates & impedimenta omnia omnis generis superare solitus, etiam huic malo resistebat, non cedendo nec succumbendo, sed, quum ceteroquin non langueret, intendendo vires, & deambulationibus excitando, eâque pertinaciâ certe hóc effecit, ut serius aliquanto ad prodeundum plane deficeret. Sed moram ingravescenti malo injecit etiam usus aquarum Lauchstadiensium aliquoties repetitus, praesertim quum antea thermas quoque Carolinas semel iterumque adiisset. Enimvero vitam tantum illa remedia, non item virium robur, aut conservare aut excitare potuerunt. Ad scribendi etiam negotium tardior factus; manus enim, quas per omnem vitam tanto exercuerat magis, quanto pedes minus, idem diversa de caussâ negabant. Interea tamen scholas habere, colloquiis tentare ministerii sacri candidatos, pergebat, & id genus alia pro more facere. Sed paene obmutuisse, recordantibus oris ejus facilitatem flumenque orationis pristinum, videbatur, memoriâ item omnique vi ingenii minus valere:

[illegible]

-atim de conjuge, cogitare, quibuscum una esse, in quorum habitationibus degere cuperet. Neque tamen posteaquam ab illa resolutione sinistrum latus sollertissimâ cura revocarant medici, nulla spes restabat suis, fatum imminens ad tempus revocatum iri. Sed pectus pituitâ oppletum timere jubebat, ne suffocatione aliquâ omnis vis vitalis opprimeretur, ipseque exstingueretur; id quod accidit Quum enim die undecimo Septembris (1781), ad sextam usque horam matutinam, placide somnum carpsisset, repente per insolitos ronchos spiritum difficilius duci animadvertebatur. Tum vero periculum adesse videbatur ei qui cubantis lectulo adsidebat. Acciti medici, quod diu timuissent id plane evenisse, dicere, remediis nullum amplius locum esse, suffocatione & apoplexiâ paucis post horis animam exhalatum iri: isque vitae finis horâ septima vespertinâ consecutus est, iis, qui aderant, have sancta anima! pie adclamantibus."

XIII. *PLATONIS Dialogus Jo, sive de Furore Poetarum: ad fidem Codicis Venetiani veterumque Editionum revocatus, una cum Serrani Interpretatione editus, & Animadversionibus illustratus a Marco Guilielmo Muller, Illustris Gymnasii Altonani Subrectore. 8 min. pagg. 127. Hamburgi 1782.* In Platonis Dialogis iis, qui, propter conjunctam [illegible] facilitate ac brevitate venustatem, captui tironum conveniant, numerandum esse Jonem, nemo in

 Phi-

Philoſophi lectione non omnino hoſpes ignorat. Igitur vel ex hoc delectu quis bene de judicio elegantiaque Editoris opinetur. Quae quidem opinio confirmatur perlegendo libello. Animadverſiones ſunt eo numero, ut nullus ab iis vacet locus qui juvenilem intelligentiam morari queat. Nam & res ex Historia & Antiquitate illuſtrantur: & verba eorumque conſtructio ratione Grammaticâ explicantur: & priorum Editorum errores ſubinde *corriguntur*. Doctrinae copia est ea, quae ex probabili Graecae Linguae & Antiquitatis cognitione, & ex diligenti praecipuorum Socraticorum Dialogorum lectione contracta ſit, quâque intelligentiae, non tironum duntaxat, ſed doctiorum etiam conſulatur. Praeter ſubſidia Editionum Graecarum uſus est Obſervationibus Interpretum recentiorum, Sydenhami Britannici, & Arnaldi Gallici: quorum, *ille probatur* a doctrinâ, hic notatur tamquam illius compilator. Codex Venetus, qui ad Seculum XII refertur, accurate ſcriptus, bonas quidem praebuit lectiones, nec tamen vulgatis multo meliores aut praecipuas momento. Neque vero est hic Dialogus gravibus inveteratisque vulneribus affectus, quae ſingularem a Critica arte medicinam exſpectarent. Denique in Praefatione ac tota ratione, est bonitas orationis, judicii ſubtilitas cum prudentiâ & modestia: ut nobis quidem Editor altiore, quam Subrectoris, loco dignus videatur, & vere habeatur eo numero

qui

qui proximus ſit Gedikio, Gottlebero, & ſimilibus viris, qui nuperrime in Germania Platonis exempla frequentarunt. Bonorum librorum, in primis recentiorum Criticorum ei copia defuit; unde factum est ut ſaepius leves atque exigui momenti auctores & ſequeretur & laudaret. Quare, ſi ad eas, quae nunc ſunt, facultates, optimorum Veterum recentiorumque Scriptorum uſus & diligens lectio accesſerint, haud temere auguramur, Mullerum aliis Graecorum libris edendis operam ſuam doctisſimis etiam viris probaturum.

XIV. Est hic in Germanorum Academiis mos, ut ſolemnitates publicae indicantur, ad easque celebrandas invitentur cives doctrinarum ſtudioſi Programmate, nomine quidem Rectoris vel Prorectoris, ſed ſcripto ab Eloquentiae Profesſore. Ipſa invitatio paucis plerumque verbis abſolvitur, reliqua Programmatis pars continetur disputatione de argumento quodam cum Literarum ſtudiis conjuncto. Quae ſcriptiunculae ſi auctores habeant vulgares ac doctrinâ eloquentiâque mediocres, aequo eas animo perire patimur: quod ſi autem profectae fuerint ab Heynio, ſimillimisque ei rerum ſcientiâ & orationis facultate viris, has vero nos omni modo ab oblivionis injuriâ vindicandas esſe arbitramur. Et quandoquidem illarum ea est forma & brevitas, ut facile pereant, & ex hominum notitia abeant; ſperamus, certe optamus, ut Heynia-

nae quidem peculiari volumine colligantur ac vulgentur. Interea nos committere noluimus, quin de recentissimis quibusdam ad nos delatis referremus. Prima est 1781 a. d. 2 Jul quum Proreçtor successorem civibus commendaret: Argumentum est, *De Romanorum prudentia in Coloniis regendis.* Summa ejus haec fere est: „ Cum ad retinendas in officio ac fide Colonias duae maxime viae & rationes sint, ut, aut pari cum Metropoli jure constituantur, aut deteriore sint; alterum, magis consentaneum humanitati, consilio & prudentiâ indiget summâ: alterum exiguâ perficitur sapientia. Romani quidem alteram hanc viam ingressi sunt, & Colonias juris aequalitate privatas, fide ad speciem, verius metu, continere maluerunt. Etsi enim non armis magis ac virtute, quam consilio & prudentiâ, Romani excelluisse videri debent; *in hac tamen* prudentiâ multa continentur quae cum justitiâ, humanitate, moderatione, parum sunt conjuncta: omne fere jus ad Reip. utilitatem, seu veram seu falsam, revocabant; se superesse, res gerere, opes & copias habere, cum totius generis humani servitute, &, si ferre jugum nollet, excidio, dignum & aequum habebant. Et primum quidem iis ea felicitas contigit, ut mature Coloniarum sortem & conditionem certa lege constituerent, nec, quod Europae populi admisere fere omnes, cum non consilio certo, sed partim temerario nonnullorum

priva-

privatorum ausu, partim avaritia, partim odiis civilibus ac religiosis susciperentur Coloniae, casui rerumque fortunae eam committerent. Jus civitatis verbo quidem ac nomine retinebant Coloniae, re amittebant, saltem non nisi admodum imminutum habebant. Nam jure suffragii in Urbe ferendi excidebant, qui in Coloniam deducendam adscripti erant cives Romani: nec iis census Romae erat, nec honorum petendorum jus nisi in Colonia. Tributa imperabantur a Senatu, ut & milites, & in Coloniis maritimis copiae navales. Nec ipsis arma sumere licebat, ne lacessitis quidem hostili impetu. At suis rebus ipsi superesse poterant, leges sibi & jura scribere, suis legibus in nocentes animadvertere; modo ne Coloniae lex intercederet. Nam in SCto, seu Populi lege, quâ deducebatur Colonia, ejus constituendae & deducendae formula erat proposita. Ceterum relinquebatur facies Reip. Romanae & forma: erat Senatus, Decurionum nomine, cum magistratibus, Duumviris, Aedilibus, Censoribus, (Gell. XVI, 13.). Interdum Coloniae descriptae sunt in formulam Iuris Latinorum & Italici; in his jura quoque privata Quiritium amittebant cives Romani nomina in iis deducendis professi: ut adeo vix, nisi pauperes & egeni, qui domi civitatis fructum sibi aut exiguum aut nullum esse videbant, nomina dare voluisse videantur. Factum quoque interdum, ut jam adscripti in Colonias aut forte ducti recusarent in Colonias ire. Sic V. C. 260,

cum Volscis devictis ager Veliternus esset ademtus, Velitras Coloni ab Urbe missi & Colonia deducta: sed non nisi gravissima & inexorabili poena proposita exiere, qui forte ducti exire detrectaverant: (Dion. Hal. VII, 13: Liv. II, 31.). Cum pauca de iis, quae ad Ius Publicum Romanorum spectent, in Scriptoribus Romanis occurrant, probabili opinione pleraque sunt constituenda. Manifestum autem fit, tempora & res ipsas *potius*, quam exquisitam aliquam prudentiam, principio saltem, morem & institutum hoc in Remp. intulisse. Necessitatem Coloniarum deducendarum Romanis fecit quoque immane, quod tum erat, jus belli, cum, omni pube caesa aut sub corona vendita, vastitiem agrorum facerent. Ager captus, ut adferret utilitatem, frequentandus erat Colonis: nec minus tum, cum mitiore consilio ad augendum civium numerum victi & capti Romam traducerentur. Coloni longinquitate urbis prohibebantur, quominus ad suffragium ferendum Romam venirent; igitur in beneficio posuerunt, si suis rebus sine interpellatione vacare liceret. Hoc in morem, mox in jus abiit, & Juris Quiritium caput constituere coepit praecipuum. Ademto jure suffragii, reliquis omnibus Quiritium juribus, quae quidem ad statum publicum, ut nunc loquimur, pertinent, excidere Colonos necesse erat. Ceterum rationes continendarum Coloniarum omnes non ipsi primum Romani, excogitasse videntur: sed ipse status, qui tum erat, Italiae

Italiae eas animis subjicere & potuit & debuit; quippe quae habitabatur ab omni inde memoria Coloniis Ausonum, Etruscorum, Pelasgorum, & Graecorum: Latium XXX Coloniis Albae Longae erat frequentatum; erat in iis ipsa Roma. Fuerunt quoque caussae, quae difficultates, quibus nostra aetas in constituendis Coloniis premitur, tollerent. Nihil enim illo tempore de Mercatu & Navigatione, operarum & rerum commerciis, interceptione & occupatione, erat statuendum. Liberum erat merces petere aut mittere, unde & quo quisque vellet; nihil haec Reip. ab omni commerciorum usu alienae intererant: si interfuissent, ipsa res docuisset, Coloniarum jura in his quoque circumscribere. Nam in utilitate suâ perspiciendâ acute quisque facile videt; caecutimus fere in ea cum aliorum utilitate ad aequitatem comparanda. Numerus Colonorum primis seculis admodum erat exiguus, & agri jugera pauca singulis adsignata: hujus generis Colonias in obsequio retinere, non adeo difficile esse potuit, cum intra Italiae fines haberentur omnes. Ex quo vero validiores, & numero civium & jugerum frequentiores Colonias educere placuit, satis firmae jam tum erant res Romanae. Mox Senatus alienior ab hoc instituto visus: nec immerito; non enim suppetebat ager in Italia, nisi publicus ac vectigalis: quo per Leges Agrarias Gracchorum, Drusi, Caesaris, Remp. privari aegre ferebat. Extra Italiam Colonias deducere, si Aquas Sextias V. C.

 629,

629, & Narbonem Marcium V. C. 634, excipias; consultum haud visum; exemplo Carthaginis, Syracusarum, & aliarum urbium, discere in promtu erat, potentiâ & opibus Coloniarum premi posse urbem, ex qua exierant. At, metu omni mox sublato, Caesar & Augustus per Hispanias, Gallias, Macedoniam, Asiam & Syriam, aliasque provincias magnum Coloniarum numerum constituerunt: omnimoque tanta rerum conversio successit, ut *nomen* adeo & jura Coloniarum peterent & acciperent urbes in provinciis. Verum & haec notiora sunt, quam ut copiosius exponenda essent: & Coloniae militares non ad hanc disputationem pertinuerunt. Imperio igitur & metu Coloniae retinebantur in obsequio: quod multo magis intellectum est adversis Reip. temporibus. Nam Coloniarum defectiones cum ceteris Latii & Italiae *sociis memorantur* plures: quibus ad ignoscendum non se faciles praebuerunt Romani, verum in noxios ac suspectos poenis ac suppliciis saevierunt: ita factum adversus Fidenas, Velitras, Antium, ut ex compluribus Livii locis constat. Et per ea tempora evenisse videtur, ut tot Coloniarum, quae per Italiam fuerunt, jam sub Punicorum bellorum tempora non nisi nomina extarent. Conditio Coloniarum, ut sociorum, maxime dura & interdum vix toleranda videri poterat, in primis hac de caussâ, quod, per continua Romanorum bella, stipendia & milites imperabantur. Ita opibus & viris eas exhauriri necesse

cesse erat: in iisdem bellis haud raro ab hostibus Romani nominis oppugnatae ipsae, ager incursu hostili direptus & vastatus. Bello Punico II, anno decimo, V. C. 545, ex XXX, quae tum erant Populi Romani Coloniae, negaverunt XII, esse unde milites pecuniamque darent: detestabile visum consilium Consulibus, a quo Colonias castigando increpandoque potius quam leniter agendo deducere placuit: (Liv. XXVII, 9.). Quarto fere inde anno, memoriâ rei Patribus renovata, memorabili cum severitate decernitur, ut XII illae Coloniae militum numerum duplicatum darent stipendiumque in millia aeris asses singulos, censusque quotannis ageretur e formulâ a Romanis Censoribus datâ: (Liv. XXIX, 15.). Pari modo Coloniae maritimae, exhaustae sociis in classes datis, frustra vacationem petierunt: nec vacatio quidem a militibus dandis e legibus sacratis impetrata: (Id. XXXVII, 3: & XXVII, 38.). An vero harum Coloniarum conditio ab hoc inde tempore satis prospera resque florentes fuerint, Livius narratione sua non adjecit. Tandem in Bello Sociali magna pars Coloniarum adversus Romam conspiravit; unde etiam civitas, Lege Julia Sociis data, Coloniis nonnullis, quae mox inter municipia censentur, impertita esse videtur. Qua quidem Lege, tantâ hominum omnis generis colluvie in civitatem receptâ, suffragiis comitiorum turbatis, ut Respublica paulo post esset nulla effectum est."

XV.

XV. Altera Heyniana ſcriptio, prodita indicendo anniverſario Inaugurationis festo a. d. 17 Sept. 1781, eſt *de Animabus ſiccis, ex Heracliteo placito, optime ad ſapientiam & virtutem inſtructis.* Dicti Heraclitei „ αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη" docta exſtat explicatio P. Wesſelingii, in Obſ. Miſc. Crit. Vol. V. Tom. III. p. 12. Neque tamen actum egit Heynius, qui in ejus interiore vi & ſententia interpretanda verſatus est. Et primo *quidem* prudenter monuit, ad Placita Philoſophorum recte intelligenda plurimum valere accurate ſecernere ſenſum Auctoris a ſenſu posteriorum Scriptorum, qui ejus placiti formulam ipſi ad ſententiam orationemque ſuam converterunt: eamque diligentiam magis etiam Heracliti dictis esſe adhibendam, quod is ex primis fuit Philoſophis, qui Philoſophiam a carmine & oratione vinctâ ad ſolutam proſamque deducerent: quique adeo laboraret luctareturque in verbis, quae non niſi invita ſententiam ſequebantur: ut in omnibus ejus aetatis ad Platonem usque Philoſophis multa veteris ſymbolicae orationis per mythos & apologos grasſantis vestigia, tropis & allegoriis variata, deprehendimus. Et posteriores quidem Scriptores dictum illud Heracliti ad varias ſententias accommodarunt. Muſonius ap. Stob. S. XVII. p. 160 hoc ad temperantiam cibi ac potus retulit, quippe qui, male concocti, vaporibus impuris mentis aciem retundant. Haud disſimiliter Plutarchus in libro De Eſu Carnis, T. II, p. 995. E:, qui tamen

meri alio loco, De Orac. Defectu, T. II. p. 432. F; idem adhibuit Divinationi, cujus vim ſiccitate Animae intendi. Philo Judaeus ap. Euſeb. P. E. VIII. p. 399. A, & Galenus Ed. Baſ. T. I. p. 346, ab eodem dicto auctoritatem repetiverunt ſuo ipſi placito, quo ſtatuerunt, Mentis ſolertiam tenuitate quidem coeli juvari, craſſitia vero ejus impediri. Stoici, ut plura Heraclitea rationibus ſuis accommodarunt, ita hoc de Animabus ſiccis. Nam & Ignem rerum principium faciebant, & Animam dicebant eſſe exhalationem, ἀναθυμίασιν: quorum utrumque ab Heraclito est: licet, quam notionem Igni adjunxerit, nemo indubitanter asſeverare auſit. Summa tamen Heraclitei loci huc redit: materiam illam ſubtiliſſimam igneam, quae craſſiore materia ſoluta in altum evolat; eſſe aetherem qui nos ambit: eandem materiam, quia Mentem ac Senſum conſtituit, ipſam habere Mentem ac Senſum. Quo ipſo fit, ut natura quoque divina ad eandem illam materiam ſubtiliſſimam referenda ſit. Quod ſi animas nunc ab igneis, alias ab humidis ducit exhalationibus Heraclitus; non tam inconſtantiâ aliquâ haec dixiſſe videri debet, quam eâ ratione, quâ & Stoici igneum vaporem modo ignem modo humidum appellant; colligitur enim ignis ex iisdem corporibus humidis tamquam per vaporem. Porro, ex Heracliti ſententiâ, Anima tanto divinior habenda est, quanto magis ab humore pura ſit; nam in corpus delatis tribuit humorem, quo hanc

ipſam

ipſam mortalem vitam lucrentur. Quae conſentiunt cum ſimili Stoicorum placito. Exitium animarum certum ac praeſens est humor, qui materiam igneam opprimit: hinc illud Heracliti pervulgatum: θανατος ψυχῆσι, ὑγρῇσι γενέσθαι. Eidem, apud Theodoretum ad Gent. L. V. p. 822, haec tribuitur opinio: Animas humano corpore ſolutas redire ad Animam communem, hoc est, ad circumfuſum aetherem, qui igneas illas particulas emicantes recipit & continet. Et haec quidem est ſententia Placiti, quae ducitur ex ejus cum reliquâ doctrinâ, ſeu Systemate Heracliteo, comparatione. Neque vero ei repugnat interpretatio ea, quae colligitur ex connexione dicti cum reliquâ oratione, quà ipſe Heraclitus illud prodiderat. Hujus orationis particula exſtat apud Stobaeum S. V. p. 74: ἀνὴρ ὁκόταν μεθυσθῇ, ἄγεται ὑπὸ παιδὸς ἀνήβου, σφαλλόμενος, οὐκ ἐπαΐων ὄκη βαίη, ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων· αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη. Probabile igitur fit, ipſum Heraclitum ad ſenſus rerum hoc revocaſſe, ut humidum illud, quod nimio cibo vinoque ſe ingurgitantium corpus obruit, igneas particulas Animae extinguat, calorem opprimat, vim motricem interimat. Haec est ſumma ſcriptionis doctae & elegantis, cui ſubjectae ſunt Animadverſiones criticae ad interpretandos locos Veterum, a quorum auctoritate diſputatio ducitur.

*

BIBLIOTHECA

CRITICA.

PARS OCTAVA.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXXIII.

BIBLIOTHECAE CRITICAE PARS OCTAVA.

I.

HOMERI *Hymnus in Cererem, nunc primum editus a* DAVIDE RUHNKENIO. *Accedunt* DUAE EPISTOLAE CRITICAE, *ex editione altera, multis partibus locupletiores. Lugduni Batavorum, apud Samuel. & Joann. Luchtmans.* 1782. 8.

In antiquis ingeniorum monumentis, quae nostrâ patrumve memoriâ e tenebris in lucem prolata sunt, nullum facile reperiamus quod tantâ doctorum hominum exspectatione & comprobatione exciperetur, quantâ is, de quo dicere constituimus, Hymnus Homericus. Neque id profecto temere aut vanâ opinione factum est. Habuit enim hic Hymnus universa ea, quae singula satis essent ad peritissimi cujusque spem quamvis magnam cum excitandam tum explendam. Et primum quidem, si spectemus

novitatem, quae una plurimum habet gratiae; monumentum est, quod adhuc in omnium ignoratione & in recessu Bibliothecae Moscuensis latuerat. Si antiquitatem; quid prius est antiquiusque Homero, in quo Graecarum literarum & omnis elegantioris humanitatis fons est atque principium? Si auctoritatem; quid gravius uberiusque eodem, a quo, *ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis?* Si denique Editorem spectemus; ne aliud dicamus, certe is est Ruhnkenius, qui nec librum nisi egregium in turelam reciperet, nec receptum nisi egregie ornatum in publicam lucem emitteret. Ergo sint fortasse qui nos tarditatis accusent, quod nunc demum de libello dicamus postea quam apud Exteros dudum cognitus eorumque Ephemeridibus celebratus esset. Nos vero, quum tertia primi voluminis parte de reperto edendoque *Hymno* retulissemus, videbamur nobis ejus censuram satis mature acturi illo tempore, quo justa editione cum auctis repetitisque Epistolis Criticis conjungeretur; praesertim quum ipse ita judicaret Editor, nec more hominum novorum gloriolaeque indigentium impatienter laudem operae suae praecipere cuperet. Nam quod jam antea & separatim typis expressus Hymnus in hominum manus venit, factum est eruditorum festinatione & flagitatione, quorum honestissimis desideriis ut satisfieret, Ruhnkenii humanitas repugnare noluerat. Sed quandoquidem bipertitum

titum est Volumen, dicamus primum de Hymno; tum de Epistolis Criticis.

Igitur Ruhnkenius Hymni exemplum, a Matthaeo acceptum, biennio postea ita ornatum illustratumque edidit, ut editionis celeritatem mirarentur omnes, qui eam non tantum temporis brevitate quantum interpretationis diligentiâ aestimarent. Haud ita multo post deprehensum est, in exemplo descripto & vulgato deesse versus duobus locis, altero viginti, altero unum, qui in veteri Codice Moscuensi exstarent. Quod ne fraudi esset hominibus doctis, nil prius habuit Ruhnkenius nisi ut abolitâ priore editione novam adornaret omnibus numeris expletam. Nam, & Cl. Matthaei humanitas hoc consilium adjuvit, non solum versibus qui deessent supplendis, sed singulis etiam literarum apicibus, quos vetus Codex haberet, iterum anxiâ diligentiâ rimandis: & novae quaedam animadversiones interea factae accesserunt. Cumque essent permulti, qui dicerent, sese, etiamsi carminis Graeci venustatem sentire non possent, velle tamen ejus argumentum, tractationem, in primis ea quae ad historiam sive veram sive fabulosam pertinerent, ex versione cognoscere, his satisfactum est versione, quae solutâ oratione verbum verbo redderet, quam Ruhnkenii rogatu confecit Jo. Henr. Vossius, tunc Otterndorpianae, nunc Eutinensis, in Holsatia Scholae Rector, vir humaniorum literarum peritissimus, idemque dignis-

ſimus cujus doctrina majore in theatro ſpectetur.

Jam auctoritate & antiquitate huic Hymno fere convenire cum reliquis, qui Homeri nomine feruntur, Hymnis, non est quod dubitemus. Cujus quidem judicii rationes malumus Editoris quam nostris reddere verbis: „ Homerum", inquit, „Hymni auctorem edit testis idoneus, Pauſanias, nec ſemel & quaſi praetereundo, ſed quatuor locis & conſtanter, Attic 38 bis, Mesſen. 30, Corinth. 14. *Ne tertio* quidem loco, Mesſen. 30, ubi Τύχης nomen, quo nusquam Homerus uſus est, rem ſuſpectam facere potuisſet, quicquam dubitationis ostendit. Igitur, ſi Pauſaniae ſtandum est judicio, rem confectam habemus. Ego tamen ingenue fateor, non unam mihi injectam esſe dubitationem. Primum, Scholiastes Nicandri ad Alexiph. 130. ita loquitur, ut hunc Hymnum pro ſuppoſititio *habuisſe videatur.* Sed multo certius argumentum, quo Hymni, ut ita dicam, germanitas dubia reddatur, ex ipſo duci carmine potest: in quo, etſi pulcherrimo, tamen nervos, ſanguinem, ſpiritum, quibus Homeri praestantia maxime cenſetur, ſaepe deſideramus. Quam jacent, ut alia taceam, illae nihil proficientes Iridis, Hecatae, & Rheae legationes! Nec aliter de Homericis Hymnis in univerſum judicavit Grammaticus vetus apud Allatium de Patriâ Homeri cap. 15. Forma dicendi, fateor, tota est Homerica. Quamquam ſic quoque Homeri ſtudioſus pauca

quae-

quaedam, quae vix pro Homericis agnoscat, reperiet: v. c. versu 9, Πολυδέκτης, & alibi Πολυδέγμων pro *Plutone*: 12, κάρα pro κάρατα: 208, ἄλφι pro ἄλφιτα: 229, ἀντίτομον: 230, ἐρυσμὸς: 241, προθαλὴς; 283, ἐλεινὴν pro ἐλεεινὴν, cet. His fere rationibus moveor, ut hunc partum Homero subditum credam, nec tamen ab auctore ipso, cujus aetas talem fraudem ignorabat, sed a notis illis falsariis, qui, ut regibus Alexandriae & Pergami libros carius venderent, operum titulos mutabant, nobilius nomen, velut Homeri, minus claro substituentes. Jam ad Pausaniam quod attinet, nolim dicere cum Fulvio Ursino ad Virgil. Ecl. IV, 59, eum parum intelligentem esse talium rerum existimatorem. Nam Criticum egregium se ostendit in judicio de Orphei & Musaei carminibus, Attic. 14: de Homeri Thebaide, Boeot. 9: de Hesiodi Theogoniâ, ibidem 27. Verum tamen, cum etiam Phocic. 37, Hymnum in Apollinem, & Boeot. 30, omnes adeo Hymnos, qui sub Homeri nomine feruntur, pro veris ac germanis habuerit: quod ne Leoni quidem Allatio l. c. & Steph. Berglero Praef. ad Odysf. p. 16, quibus nemo de his Hymnis magnificentius sensit, probatur: cum igitur Pausanias tam facilis fuerit in iis Homero tribuendis, suspicor, illorum splendorem ita ejus oculos praestrinxisse, ut ad manifesta indicia, quibus alius Homero scriptor proderetur, conniveret. Nec tamen cuiquam

auctor ſim, ut ingenio atque otio abutatur ad Hymni antiquitatem convellendam. Nam, ne dicam, Pauſaniae judicium certe in hanc partem valere, ut, quod carmen ab ipſo pro Homerico habitum ſit, ab omnibus longe antiquisſimum ſit habendum; talis in ſingulis verſibus viget χνοῦς ἀρχαιοπινὴς, *robigo vetustatis*, ut a Poëtâ, qui vel ſtatim post Homerum, vel Heſiodi aetate vixerit, ſcriptum videatur. Hoc a peritis ſentiri potest, imperitis, quid ſit, explicari non potest. Quid? an Apollonii Rhodii & alterius Poëtae, qui carmen inter Theocritea XXV. ſcripſit, auctoritas parvi est facienda? qui, cum Hymni locos exquiſitiores ad imitationem vocarint, quantam jam tum vetustatis opinionem habuerit, manifesto declarant." Haec Ruhnkenius.

Nos committere non posſumus, quin hoc loco commemoremus opinionem Nicolai Ignarrae, viri doctisſimi, proditam peculiari de hoc Hymno ſcriptiunculâ, cujus uberiorem in Relationibus Brevioribus mentionem faciemus. Igitur ita judicat vir doctisſimus: „ Hymnum hunc non esſe eum quem Pauſanias habuerit, ſed ipſo Pauſania recentiorem, conſarcinatum eo tempore, quum jam periisſet vetus ille Hymnus, ex ipſius fragmentis quae cum Pauſanias tum alii perditi Grammatici prodidisſent, praeterea ex reliquis Homeri operibus & Pamphi Hymno deperdito in Cererem, praeſertim eo loco

quo

quo de Narcisso flore refertur; neque etiam unius aevi & artificis esse novum Hymnum, sed ex variis, nec concoloribus, deinceps assutis frustis contextum". Hujus vero sententiae rationem hanc potissimum secutus est, quod Pausanias IX, 31, ubi Proserpinam amore Narcissi floris deceptam scribit, Pamphum testem laudat, non Homerum, quem non omissurus fuisse videatur, si quid de Narcisso reperisset in illo Hymno cujus testimonium quater excitet, ac semel ita ut ejusdem cum Pampho consensum notet. Poterat vir doctissimus huic argumentationi alterum tantum roboris addere, proferendo altero loco, qui eum haec scribentem fugiebat, Pausaniae I, 39, p. 94, ubi e Pamphi carmine solo memoratur Cereris in Metanirae domum adventus & multa alia facta, quae omnia sunt in hoc Hymno 95, sequ. Neque tamen haec accessio apud nos quid valeat, quo minus totam illam argumentationem subtiliorem quam veriorem judicemus, neque satis convenire cum illâ judicandi dexteritate, quam in aliis Ignarrae scriptis agnovimus. Nam ad summum eo valere potest, ut aliquam dubitationem injiciat: ut totum Hymnum post Pausaniae tempora confictum statuamus, efficere non potest. Et primum quidem, secundum verisimilitudinis atque adeo Criticae legem, auctoritas quatuor locorum, quibus memoratur Hymnus, tanto est major auctoritate duorum, quibus reticetur, locorum, quanto

quatuor ſuperant duo: immo infinitis partibus major etiam, ſi quidem reputemus, in Narciſſi ac Cereris mentione ſatis fuiſſe unum memoraſſe teſtem. Neque enim cauſſa aderat, quare plures uno advocaret testes; igitur antiquiorem laudavit: neque etiam aut dicit aut obſcuris vestigiis ſignificat, ab uno Pampho duarum illarum rerum factam eſſe mentionem. Quod ſi ita esſet, haberet ſane quo ſe tueretur Ignarra. Quid igitur impedit quo minus ſtatuamus, illas Cereris & Narciſſi mentiones ab Homerici Hymni auctore e Pamphi carmine ſumtas esſe? Ergo Pauſanias hoc loco testimonium Hymni Homerici vel ſciens vel oblitus omittere potuit. Deinde, ſi dicamus, Hymnum, ut nunc est, e fragmentis apud Pauſaniam aliosque deperditos Scriptores ſervatis conflatum; videndum est, ne ista ratio latius ſerpat, atque januam aperiat temeritati & ἀκρισίᾳ eorum, qui omnem antiquorum monumentorum auctoritatem & historiae fidem labefactare cupiunt. Porro, ipſa Carminis ratio & oratio & antiquitatem & unius Auctoris manum refert: quod, quin Ruhnkenio affirmanti credamus, nulla est ratio: & ita quisque maxime ſentit, ut maxime, ſicut ille, tritas habet aures notandis Poëtarum generibus. Denique nec Scholiastes Nicandri nullam habet auctoritatem, qui quum hunc Hymnum in iis ponat, *qui Homero tribuantur*, eum certe eodem loco habuit ac reliquos Hymnos Homericos.

Per-

Pergamus ad Voluminis partes deinceps recensendas. Proximum praefationi est Fragmentum Hymni in Bacchum, versuum duodecim: quod in eodem Codice Moscuensi Hymnorum Homericorum subjectum est Hymno XVI, qui est ultimus. Novem ex eodem deperdito Hymno versus, a Diodoro Siculo servatos, opportune in notâ subjectâ exhibuit Editor. Ceterum eandem interpretandi rationem tenuit atque in Hymno Cereris, ut eum compararet cum aliis Homeri carminibus, tum alias ob caussas, tum in primis, ut, suus ne sit Poëta an aliunde pendeat, constaret: ut in locis vitiosis, cum non alius Codex, qui opem ferret, superesset, ad ingenium, Codicis vicarium, confugeret; ut obscuriora breviter sed diligenter ex interiore scientiâ cum orationis tum antiquitatis explicaret: ut frequenter posteriorum Poëtarum cum Graecorum tum Latinorum imitationes notaret.

Jam, ut nil ab omni parte perfectum est, ita nec illa reperti Hymni felicitas omni calamitate vacat. Constat ille quingentis versibus, integro initio, fine, & reliquis fere partibus, exceptis duabus: altera, a versu 387 ad 410, altera, a versu 462 ad 476: quae ita male habitae sunt, ut duo versus penitus interciderint, reliquorum non nisi pauca verba servata sint. Nam, ut Matthaeus, V. Cl., notavit, ex uno folio media pars prioris & vetustioris chartae interiit. Igitur quum singula folia binas habe-

rent columnas, accidit ut in alterâ paginâ exciderent postrema versuum verba, in alterâ priora. Lacuna folii chartâ recentiore resarcita est, quae a Graeculo item recentiore compluribus in versibus supplementa habet verborum quae exciderunt. Ceterum ex eâ parte verborum, quae servata est, continuitas tamen sententiae haud incertis vestigiis colligi potest.

Sed, quandoquidem nostra censura eo comparata est, ut ex eâ alii non minus de Editoris operâ quam de Poëtae Carmine existimare possint, facere non possumus, quin argumentum Hymni brevi saltem summâ significemus

Ratio ac distributio carminis ea fere est quae in aliis Hymnis Homericis. Initio consilium suum profitetur Poëta, Δήμητρ' ἠΰκομον, σεμνὴν θεὰν, ἄρχομ' ἀείδειν, Αὐτὴν ἠδὲ θύγατρα τανύσφυρον: Dearum sibi numen propitium precatur, formulâ alibi quoque frequentatâ, Πρόφρονες ἀντ' ᾠδῆς βίοτον θυμήρε' ὄπαζε. Αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς. Reliqua omnis pars narratione continetur; quae huc redit. „ Proserpina in campo Nysaeo cum Oceani filiabus aliisque Deabus ludens ac flores legens, dum eximiae pulchritudinis Narcissum decerpit, rapitur a Plutone, qui patefacto terrae hiatu prosilit, eamque in currum imponit atque abducit. Raptae clamor montes quidem & maria replet, nec tamen nisi ab Hecate, Sole, & matre Cerere auditur. Haec excitata filiam quaerit,

arden-

ardentibus manu facibus terram oberrans per novem dies: decimo ei occurrit Hecate, eamque ad Solem de filiâ sciscitatum deducit. Sol eam docet, filiae raptum consilio Jovis a Plutone perpetratum esse, ceterum moerentem consolari studet laudibus honorificae affinitatis. Illa vero acerbiorem etiam animo dolorem, simul iram adversus Jovem, concipit, ac, relicto coelo Deorumque concilio, hominum urbes agrosque squalido oberrat habitu: tandem, vetulae similis, prope Eleusinem, ad fontem Parthenium consedit". Hactenus Carmen, quamquam rebus varium, tamen, nescio quomodo, languet. Proxima pars, quae est a versu 90 ad 290, magis jam movetur vigetque actione & imaginum veritate ac suavitate. Nam dum ita, vetulae formâ assumtâ, ad Parthenium fontem sedet, accidit ut eo aquatum veniant quatuor Celei regis filiae, quae ad ejus aetatem ac solitudinem & in ipso illo squalore indicia honestatis commotae, eam humaniter compellant, & in urbem ad hominum societatem vocant. His quaerentibus, quae & unde esset, respondet, se, Cretâ a piratis raptam ac Thoricum advectam, clam huc confugisse: simul earum auxilium implorat, donec in honestâ familiâ ancillae aut nutricis locum invenisset. Puellae benigna omnia ei pollicentur, & enumeratis praecipuis Eleusiniorum familiis, affirmant gratissimum sibi fore si in paternam domum nutrix parvuli fratris recipiatur, se hunc illi locum

a

a Metanirâ matre confecturas. Repletis aquâ urnis, alacres domum abeunt, & vetulae laudatione rem facile matri persuadent: alacres item ad vetulam redeunt, eamque domum deducunt. Ejus adventu domus divino quodam splendore repletur; quo Metanira tacta omine, eam cum reverentiâ accipit. Ceterum, tristitiam Deae exhilarat Jambe, Metanirae famula, dicacitate & officiis. Deinceps nutrix datur parvulo Demophoonti; quem divinâ ratione *tractat*, ambrosiâ ungens, & noctu veluti *fomitem* igne abscondens. Incredibile est dictu quantum brevi infans ad magnitudinem & pulchritudinem creverit. Igitur matrem cupido incessit cognoscendi, quid puerulo faciat nutrix: eam noctu clam observat: videt puerulum in igne jacere: clamores continuo & ejulatus edit. Dea commota hanc Metanirae curiositatem graviter reprehendit, significat se Deam Cererem esse, atque illud egisse, ut Demophoontem immortalem redderet: jam se hoc incepto desistere, magno tamen in honore futurum illum, & hunc saltem fructum divinae nutritionis percepturum: praecipit, sibi ad Callichorum fontem agri Eleusinii templum exstrui, cujus caerimonias & cultum ipsam constituturam. His dictis, divinam formae majestatem assumit, domum splendore & odore divino replet, discedit. Interea parvulus humi jacebat, neglectus a matre perculsâ & attonitâ. Illius ejulatu excitatae sorores advolant, eum tollunt, &, ut possunt, curant, nec tamen ei

ei ſatisfaciunt aſſueto divinis manibus." Haec eſt venuſtior carminis pars, cujus ultimum locum, ſpeciminis cauſſâ, Graece juvat referre:

Τῆς δ' αὐτίκα γούνατ' ἔλυντο,
Δηρὸν δ' ἄφθογγος γένετο χρόνον, οὐδέ τι παιδὸς
Μνήσατο τηλυγέτοιο ἀπὸ δαπέδου ἀνελέσθαι.
Τοῦ δὲ κασίγνηται φωνὴν ἐσάκουσαν ἐλεινὴν,
Κὰδ δ' ἄρ' ἀπ' εὐστρώτων λεχέων θόρον· ἡ μὲν ἔπειτα,
Παῖδ' ἀνὰ χερσὶν ἑλοῦσα, ἑῷ ἐγκάτθετο κόλπῳ.
Ἡ δ' ἄρα πῦρ ἀνέκαι'· ἡ δ' ἔσσυτο πόσσ' ἁπαλοῖσι,
Μητέρ' ἀναστήσουσα θυώδεος ἐκ θαλάμοιο.
Ἀγρόμεναι δέ μιν ἀμφὶς ἐλούεον ἀσπαίροντα,
Ἀμφαγαπαζόμεναι. Τοῦ δ' οὐ μειλίσσετο θυμός,
Χειρότεραι γὰρ δή μιν ἔχον τροφοὶ ἠδὲ τιθῆναι.

Reliqua pars fere languet, cum ipſa per ſe, tum verſuum complurium jacturâ. „ Metanira omnem rem & Deae mandata exponit Celeo: exſtruitur templum, in quod habitatum concedit Dea: quae tamen negligit fruges moerens deſiderio filiae. Sequitur annus calamitoſisſimus: nullas terra fert fruges, omnis aratorum labor irritus eſt, parum abeſt quin humanum genus fame pereat, atque ita Dii etiam ſacrificiis priventur. Hoc Jupiter animadvertens, Irin demittit coelo, quae Cererem ad concilium Deorum revocet. Iris re infectâ redit. Jam omnes deinceps Deos Jupiter ablegat ad Cererem, qui eam orarent

orarent & donis sollicitarent. Illa nihilo minus recusare pergit, negans antea se aut fruges edituram aut in coelum redituram, quam filiam vidisset. *Igitur* Mercurium ad Plutonem mittit Jupiter rogatum, ut Proserpinam dimittat, atque ita illam Diis hominibusque perniciosam Cereris iram sedet. Obtemperat Pluto, Proserpinam dimittit: prius tamen ei pyri nucleum edendum dat; cujus ea erat vis ut puella ne apud superos maneret, sed rediret ad ipsum. Filia in matris conspectum & amplexum venit, narrat ei & raptum suum & reliqua. Supervenit iis Hecate, ut antea doloris ita nunc laetitiae socia. Mox Rhea, Jovis missu, advenit, & Cereri conditionem reditus ad superos offert eam, ut filia tertiam cujusque anni partem apud Plutonem degat; duas reliquas cum ipsa in coelo. Hac Ceres conditione acceptâ, agris ubertatem reddit. Mox Eleusiniorum principes Mysteria docet: quorum vim ac praestantiam Poëta religiosâ quadam orationis obscuritate significat & laudat. His factis Dea cum filiâ in coelum redit."

Hinc apparet, quantum & rebus & ratione differat hoc Carmen ab aliis, quae exstant, Carminibus Veterum Poëtarum, qui idem tractarunt argumentum, veluti Callimachi, Ovidii, Claudiani.

Proximum est, ut de Animadversionibus Editoris dicamus: e quibus emendationes quasdam commemorasse contenti erimus, quandoquidem uni-

universe interpretandi rationem supra significavimus.

Vers. 205. est de Jambe:

Ἤδη οἱ καὶ ἔπειτα μεθύςερον ἔβαδεν ὀργαῖς.

Corrigitur:

Ἦ δὴ οἱ καὶ ἔπειτα μεθύςερον εὔαδεν ὀργαῖς.

i. e. *Jambe etiam in posterum ei placuit moribus suis.*

Vers. 219:

Παῖδα δέ μοι τρέφε τόνδε, τὸν ὀψίγονον καὶ ἀελπτον

Ὤπασαν ἀθάνατοι· πολυάρητος δέ μοί ἐςιν.

Secundo versu recepta est conjectura pro vitiosa Codicis scriptura πολυήρατος.

Vers. 283:

Τοῦ δὲ κασιγνήτη φωνὴν ἐσάκουσαν ἐλεινήν.

Pro Codicis scriptura ἐλεεινὴν, ut versui laboranti succurreretur, reposita est rarior forma, eademque in notis docte confirmatur.

Vers. 286:

Ἠ δ' ἄρα πῦρ ἀνέκαι· ἡ δ' ἔσσυτο πόσσ' ἀπαλοῖσι.

Item ex ingenio restitutum & correctum e prava Codicis lectione πυρὰν ἔκαι.

Vers.

Verſ. 450:

> Εἰς δ' ἄρα ῥίον ἷξε, φερέσβιον οὖθαρ ἀρούρης.

Haec quidem codicis ſcriptura ſervata eſt in editis exemplis; ceterum palmariâ emendatione corrigitur: Εἰς δ' ἀρ 'Ράριον ἷξε: per eamque opportunitatem exquiſita expromitur animadverſio de campo *Rhario* & viro Eleuſinio *Rharo*, cujus nomen reſtituitur Ariſtidi Panath. p. 91. pro Ἄδȣ, & *Servio ad* Virg. Georg. I, 19, ubi falſo eſt *Icari.*

Subinde memorantur aliorum virorum doctorum Emendationes; veluti veriſſimâ illa Fonteinii, V. Cl., in contextum etiam recepta est, verſ. 442:

> Ταῖς δὲ μετ' ἄγγελον ἧκε βαρύκτυπος εὐρύοπα Ζεὺς
> 'Ρείην, ἠΰκομον, Δημήτερα κυανόπεπλον
> Ἀξέμεναι μετὰ φῦλα θεῶν.

In ſcripto pro Δημήτερα perperam legitur ἣν μητέρα.

Voſſii quoque acumen apparet aliquoties: veluti Verſ. 144:

> καί κ' ἔργα διαθήσαιμι γυναικός.

quod ita corrigitur:

> καί κ' ἔργα διδασκήσαιμι γυναῖκας.

& confirmatur locis ſimilibus, Homeri Od. X, 421, & Heſiodi Op. & D. 64.

Idem

Idem versu 211, mutato ἵκανε in ἐπέβη, veram Poëtae manum restituit,

Δεξαμένη δ' ὁσίης ἐπέβη πολυπότνια Δηώ.

ut sensus sit, *Ceres, potionem accipiens, sacri honoris compos est facta*: dictionis auctoritatem vindicat locis Homeri Hymn. Merc. 173, & Hesiodi Theog. 396. Mysticam illam potionem in sacris Eleusiniis celebratam, Ruhnkenius ex Antiquitatis scientiâ illustrat.

Veniamus ad alteram voluminis partem, quae continetur *Epistolis Criticis*. Hae ut multis & egregiis locis auctae ornataeque sunt, ita peculiarem etiam jucunditatem habent ei qui eas cum priore editione comparet, & ingenii Ruhnkeniani progressum observet. Nam quum ante hos triginta annos in his Epistolis ita tirocinium Criticae Artis posuisset Ruhnkenius, ut principibus etiam Veteranis comparandus videretur, & postea fere, quae conjuncta cum illarum argumentis ipsi in mentem venirent, notaret; facile est ad existimandum, quantum accessionis factum sit, tanto temporis spatio, tanto harum literarum usu ac studio. Nos ita de iis referamus, ut, missis veteribus, nova persequamur.

EPISTOLA I, quae est ad Valckenarium, in *Homeridarum Hymnos & Hesiodum*, multas magnasque in utroque argumento habuit accessiones. Et

ad *Hymnos* quidem emendandos, praeter ingenium ac doctrinam, praesto fuerunt codices scripti, duo regii Parisini, & praestantissimus Moscuensis; ut adeo ad eos persanandos nullum non Criticae Artis instrumentum adhibitum sit. Sed videamus jam specimina.

P. 21. H. in Apoll. 361.

Πυκνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἑλίσσετο, λεῖβε δὲ φοινὸν,
Θυμὸν ἀποπνείουσ'.

Ita ex ingenio restituitur lectio Homerica, cujus loco perperam exstat — λεῖπε δὲ θυμὸν, φοινὸν ἀποπνείουσ'. Comparantur Homer. Il. Δ, 524, & Hesiod. Asp. 174. Poterat quoque addi Apoll. Rhod. IV, 473.

P. 25. Ibid. 496. pro Δέλφειος reponitur ex codice Moscuensi, ut proxime antecedente versu, Δελφίνιος: quae quidem cum antepenultimam constanter producat, praestat vulgatam servare.

P 26 Ibid. 516. Item e libro Moscuensi verissima revocatur scriptura, ῥήσσοντες, in locum vulgatae φρίσσοντες, *tripudiandi* notione, quae docte illustratur; ut sit:

οἱ δὲ ῥήσσοντες ἕποντο
Κρῆτες πρὸς Πυθῶ, καὶ Ἰηπαιήον' ἄειδον.

P.

P. 31. H. in Mercur. 87.

Τόνδε γέρων ἐνόησε δέμων ἀνθοῦσαν ἀλωήν.

Haec est item libri Moscuensis lectio; quae probatur & diligenter confirmatur. Sensus est: *Hunc vero animadvertit senex viridem saepem struens.* Vulgo legitur —— δομῶν αἴθυσαν ἀλωήν.

P. 41. Ibid. 322. Liber Moscuensis lectionem habet, ut exquisitam, ita verissimam:

Αἶψα δὲ τέρθρον ἵκοντο θυώδεος Οὐλύμποιο.

vulgata Αἶψα δ' ἵκοντο κάρηνα θ. Οὐλ. confecta est ab imperito librario ex Il. A. 44. Vox τέρθρον, *summitas*, cum alias habet auctoritates, quas Ruhnkenii doctrina advocavit, tum Empedoclis apud Aristot. Respir. Cap. VII. p. 448.

P. 45. Ibid. 420. Locus integritati restituitur adjecto tertio eoque pulcherrimo versu, quem codex Moscuensis habet:

. . . . γέλασσε δὲ Φοῖβος Ἀπόλλων
Γηθήσας, ἐρατὴ δὲ διὰ φρένας ἤλυθ' ἰωὴ
Θεσπεσίης ἐνοπῆς· καί μιν γλυκὺς ἵμερος ᾕρει
Θυμῷ ἀκουάζοντα.

P. 46. Ibid. 455, 456. Inter hos medii fuerunt versus, qui nunc in omnibus libris desiderantur,

excepto Moscuensi: quibus revocatis & sequente versu leviter mutato, locus ita constituitur:

Νῦν δ' ἐπεὶ οὖν ὀλίγος περ ἐὼν κλυτὰ μήδεα οἶσθα,
Ἴζε, τέκνον, καὶ θυμὸν ἐπαίνει πρεσβυτέροισι.
Νῦν γάρ τοι κλέος ἔςαι ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
Σοί τ' αὐτῷ καὶ μητρί· τόδ' ἀτρεκέως ἀγορεύω.

P. 59. H. in Vener. 230.

Καλῆς ἐκ κεφαλῆς καὶ εὐγενέος γενέιυ.

Codex Moscuensis habet K. ἐκ κεφαλῆς εὐηγενέος γενέιυ. Sed nec hanc nec vulgatam lectionem probabat Ruhnkenius, suspicans aliud quid latere. Non possumus silentio praeterire, illud postea repertum esse ab Eldikio, qui corrigit, εὐπετέλέος τε γενέιυ. Vocem ornavit Valckenarius Diatr. in Eurip. Fragm. p. 283.

P. 67. Hymn. XVI, 18.

Ὄρνις ἥτ' ἔαρος πολυανθέος ἐν πετάλοισι
Θρῆνον ἐπιπροχέυσ' ἰαχῇ μελίγηρυν ἀοιδήν.

Ita ex ingenio corrigit Ruhnkenius vulgatum —— ἐπιπροχέυσα χέει μ. ἀ.: & opportune adfert locum, qui hinc adumbratus videtur, Pamphili Anthol. III, 24. p. 385: Οὐκ ἔτι δὴ χλωροῖσιν ἐφεζόμενος πετάλοισιν, Ἡδεῖαν μέλπων ἐκπροχέεις ἰαχάν.

P. 77. Hymn. XXV, 9, 10:

μέγας δ' ἐλελίζετ' Ὄλυμπος
Δεινὸν ὑπὸ βρίμῃ γλαυκώπιδος· —

Item ex ingenio restituitur in locum vulgati ὑπ' ὀμβρίμης, & erudite confirmatur. Cognata vox βρίμημα redditur etiam Gemino Anthol. IV, 8. p. 450, pro vulgato μίμημα.

Sequuntur *Hesiodea* p. 80, quibus etiam nova multa accesserunt, praesertim ex eo genere quod ad Fragmenta refertur.

P. 100. Adfertur longum Fragmentum e Galeno Hippocr. & Platon. Dogm. L. III p. 273. Hoc quamquam adulterinum, quippe quo interpolatur Metidis narratio Theog. 927, tamen ob vetustatem dignum judicavit Ruhnkenius quod a mendis purgaret. Igitur complures expromtae sunt conjecturae cum verissimae tum acutissimae; quas quia longum est referre, ad alia pergamus. Igitur Epistolae reliqua pars usque ad pag. 115, in Hesiodeis versatur cum locis integrorum Carminum, tum Fragmentorum eorumque non tantum editorum, sed quorumdam etiam nunc primum ex ineditis Grammaticis depromtorum. Ex totâ hac copiâ duobus defungemur speciminibus.

P. 108. Ex Etymologô MS. Bibliothecae Parisinae profertur insigne fragmentum, quo Ajacis

 minoris

minoris pater non Ὀϊλεὺς sed Ἰλεὺς nominatur:

> Ἰλέα, τὸν ῥ' ἐφίλησεν ἄναξ, Διὸς υἱὸς, Ἀπόλλων,
> Καί οἱ τοῦτ' ὀνόμην' ὄνομ' ἔμμεναι, οὕνεκα νύμφην
> Εὑράμενος ἵλεων ὄχθῃ ἐρατεινῇ φιλότητα,
> Ἤματι τῷ, ὅτε τεῖχος ἐϋδμήτοιο πόληος
> Ὑψηλὸν ποίησε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων.

Fragmentum hoc aliis etiam vestigiis, quae apud varios Grammaticos exstant, Hesiodo vindicatur & ad ejus *Genealogiam Heroicam* refertur. Tertius versus ita corrigitur ex Eustathio Il. Z. p. 650. Εὑράμενος ἵλεων, μίχθη ἐρατῇ φιλότητι.

P. 112. Tractatur nobilis locus Hesiodi de variis variorum animalium, homine longaeviorum, aetate, servatus a Plutarcho De Orac. Def. T. II. p. 415. C. Quinque omnino sunt versus, quorum quisque, excitatis mentionibus posteriorum auctorum, constituitur & explicatur. Sequuntur usque ad finem Epistolae p. 122. animadversiones Epigrammatum Graecorum e priore Editione repetitae, quibusdam tamen partibus auctae.

EPISTOLA II, quae est ad Ernestum, *de Callimacho & Apollonio Rhodio*, plurimas ipsa quoque accessiones habet ab omni genere Criticae facultatis. Et primum quidem Callimachus corrigitur e duobus codicibus, quorum lectiones nondum vulgatae

tae erant, Veneto & Ruhnkeniano: tum frequentes imitationes Dionysii Periegetae & Nonni notantur.

P. 126. H. in Jov. 22.

Ἢ πολλὰς ἐφύπερθε σαρωνίδας ὑγρὸς Ἰάων
Ἤειρεν, πολλὰς δὲ Μέλας ὤχησεν ἁμάξας.

Memoratur imitatio Dionysii Per. 414. porro e codicibus exquisita forma ὤκχησεν reponitur, & erudite vindicatur.

P. 143. H. in Dian. 61.

ἐπεὶ μέγα μοχθήσειαν.

Viri docti ἐπὶ μέγα reposuerunt in eoque acquieverunt. Forte tamen verius est ἀτειρέα, quod Codex Ruhnkenianus habet.

P. 146. Ibid. 159:

Οὐ γὰρ ὅγε Φρυγίης περ ἐπ' ὀφρύσι γυῖα θεωθεὶς
Παύσατ' ἀδηφαγίης.

Sic e verissimâ conjecturâ emendatur corrupta vulgata lectio — Φρυγίῃ περ ὑπὸ δρυΐ· γ. θ. *Phrygia* est Oëtae montis locus, dictus a φρύγειν, quod ibi Hercules crematus est.

P. 149. H. in Del. 11.

Κείνη δ' ἠνεμόεσσα καὶ ἄτροπος, οἷά θ' ἁλιπλὴξ

Vulgatum ἄτροπος, quod nihili est, ex ingenio in ἄσπορος mutatur, quod ipsa loci sententia poscit.

Sequitur pars ea quae est de Apollonio Rhodio, inde a p. 189 ad 228. Atque loco illo, quo de duplici hujus Carminis editione disputatur, proferuntur quinque versus novi iique elegantissimi ex Etymologico MS. bibliothecae Parisinae, quorum quartum laudans Tzetzes ad Lycophr. 1285, auctorem edit Apollonium: reliqui ex aliis Grammaticis constituuntur & illustrantur Ceterum juvat eos referre, prouti a Ruhnkenio emendantur:

Οὐδ' ἵπποι ὀρθριναὶ κατὰ κλισίας χρεμέθεσκον,
Ἀλλὰ βόες πλήρεσσι κατευνάζουσι κάπησι·
Νηυσὶ δὲ πρηκτὰ κέλευθα Χελιδονίης ἀπὸ πέτρης
Πληγάδας ἀξείνους καὶ ὅπου Φινήϊα δόρπα
Ἅρπυιαι ἄπλητον ἐπὶ ψῶαν πνείεσκον.

P. 197. Lib. I, 729, corrigitur e conjecturâ:

ἐν δ' ἄρ' ἑκάστῳ
Τέρματι δαίδαλα πολλὰ διακριδὸν εὖ ἐπέπαστο.

Verissime! Nam ita Homerus, e quo hunc locum adumbravit Apollonius, πάσσειν dixit de figuris quae intexuntur vestibus, Il. Γ, 125, & X, 440. Vulgatur ἐκέκαστο.

P. 199-

P. 199--201. Est brevis, sed accurata & omnino egregia disputatio, de *Varronis Atacini* vitâ & scriptis: cui eo magis in hac Epistolâ locus erat, quod ejus dispersa fragmenta Ruhnkenius diligenter collegerat, & ea in primis, quae ex Argonauticorum Apollonii versione exstant, ad suum quodque locum revocaverat.

P. 201. L. I, 1135.

Σκαίροντες βηταρμὸν ἐνόπλιον εἱλίσσοντο.

Postrema vox revocata est ex Etymol. M. qui hunc locum ita memorat p. 197. l. 2. Quod nunc vulgatum est, ὠρχήσαντο, illius est glossa. Poterat confirmandae melioris lectionis causâ addi Ap. Rhod. IV, 1197.

P. 203. Item expromitur eruditissima animadversio, quâ incognitum adhuc illud Apollonii cognomen, Ἥλιος, e Veterum Grammaticorum recessibus excitur & confirmatur.

P. 221. III, 1371. Quum hic & sequentes versus, teste Scholiastâ, ducti sint ab Eumelo, veterrimo poëtâ historico, qui in *Corinthiacis* historiam Aeetae, Medeae, Argonautarum enarraverat; per hanc opportunitatem octo ex illo carmine versus, jam a Salmasio tractati Exc. Plin. p. 602, emendatius exhibentur, alia quaedam nova de Eumelo proferuntur, ejusque nomen haud paucis veterum locis restituitur.

 Proxima

Proxima pars Epistolae, inde a p. 228. usque ad finem p. 282, in Orphicis Carminibus versatur, *Argonauticis* nimirum & *Hymnis*; nam illud *de Lapidibus* poëma, quin ex aetate multo recentiore sit, dubitari nequit. Et primum quidem eorum Antiquitas vindicatur accuratâ & plenâ exquisitae doctrinae disputatione, ac reprehenditur vir quidam doctus, qui nuper in Germaniâ horum Carminum auctorem *recentiorem Graeculum barbarum ac semilatinum versificatorem* appellaverat. Ergo orationi bonitas & vetustas vindicatur, cum universâ quadam notatione, tum deinceps pertractando Carmine ac melioribus lectionibus reponendis e duobus optimis codicibus, Ruhnkeniano & Vindobonensi. Porro historicae rationes adferuntur. Nam, licet rarissime horum Carminum mentionem faciant Veteres, & ne Scholiastes quidem Apollonii ea memoret; quamquam ita visum est Jo. Toupio Em. Suid. III. p. 75., qui putat auctorem Argonauticorum ab illo Scholiaste sub Cleonis Curiensis nomine laudari; haec igitur licet ita se habeant, non tamen desunt certiora testimonia. Et Argonautica quidem a duobus memorantur veteribus Grammaticis, *Oro* apud Etym. M. p. 787. & *Dracone Stratonicensi* MS: quorum aetatem quamquam Suidas, utriusque scripta recensens, non addit, tamen ad antiquiora tempora referendam esse, facile rationibus a Ruhnkenio allatis persuadebitur iis, qui vete-

rum

rum Grammaticorum usum habent. Jam vero meliores illi antiquioresque Grammatici, è quorum numero fuerunt *Orus* & *Draco*, poetam Euphorione & Parthenio recentiorem laudare solent nullum. De *Hymnis* vero expeditior est res; quippe qui deserte memorantur a duobus antiquis Scriptoribus, veluti LXI. sub Orphei nomine a Demosthene Orat. I. in Aristogit. p. 468; & LIX. sub Onomacriti nomine a Pausania Boeot. 35. Atque talibus tantisque argumentis antiquitas Hymnorum Orphicorum ita demonstrata est, ut nullus dubitationi locus relictus videatur. Nec eos, qui dissentiant, aliam errori suo latebram quaesituros opinamur, nisi ut forte inaniter argutando fingant, vetustos versus Orphicos in recentiores traduci potuisse. Hoc loco non possumus committere quin moneamus, nos hujus Bibliothecae Vol. I. P. III. p. 94, minus recte significâsse nostram sententiam, quum in relatione Analectorum Criticorum Schneideri scribebamus, *Argonautica antiquiora esse quam Hymnos & Carmina de Lapidibus*, quum ita scribendum fuisset. *Argonautica & Hymnos antiquiores esse quam Carmina de Lapidibus.* Sed age videamus correctionum specimina.

P. 235. Argon. 101, 102: ultima vox ἄλλον mutatur in ἀμὸν *nostrum*:

Καί με ἀλητείης τε καὶ ἐξ οἴςρυ ἰσάωσε
Μήτηρ ἡμετέρη καὶ ῥ' εἰς δόμον ἤγαγεν ἀμόν.

P. 245.

P. 245. Argon. 500:

Ὃς Δολίεσσιν ἄνασσε περικτιόνων ἀκράτων.

Hunc versum corruptum esse intelligitur, cum hinc, quod *Doliones*, non *Dolopes*, nominandi fuerant: tum inde, quod a librariis e versu 129. confectus esse videtur. Igitur vere corrigitur:

Ὃς ῥα Δολιονίοισι περικτιόνεσσιν ἄνασσεν.

Quod in edito exemplo legitur ἐα pro ῥα, operarum vitio debetur.

P. 248. Argon. 601, elegans est conjectura, quâ εὐανίστοις mutatur in οἰνοπτύστοις, atque ita constituitur versus:

Ὄφρα κε μειλίξαιντ' οἰνοπτύστοις ἐπιλοιβαῖς
Ῥείην πρεσβυγενῆ —.

P. 250. Argon. 645, item verissimâ correctione κοῦρον ἔτ' ἠΐθεον substituitur in locum vulgati κοῦρον ἔτ' ἀντίθεον:

αἱ δέ σφιν ἐσαθρήσασαι ἰόντα
Κοῦρον ἔτ' ἠΐθεον.

P. 254. Argon. 742:

Ἠΰχι τε Μαῦροι ἔσαν Μαριανδυνοῖσιν ὅμουροι.

Labes

Labes eluuntur partim ex ingenio, partim e libris scriptis, ut legatur:

Ἠχί τε Μάκρωνες, Μαριανδύνοισιν ὅμουροι.

P. 255. Argon. 749 — 755. Loco impedito, populorum regionumque nomina corriguntur, lacuna notatur, tum versu penultimo vulgatum ναέτας e codice Vossiano mutatur in gentis nomen Ναπάτας:

Καὶ Φίλυρας, Ναπάτας τε, καὶ ἄστεα πυκνὰ
Σαπείρων.

Correctiones Hymnorum novae continentur in primis observatione versuum temere ex alio in alium Hymnum translatorum. Ita H. XXXI. versus 3, 4, 5, e deperdito Hymno, in Dianam aut Rheam scripto, immigrâsse judicantur. Et H. LXVIII. 10, 11, 12, 13, rejiciuntur ad Hymnum LIX, unde huc invecti sunt.

Adjectae sunt, appendicis loco, duae Elegiae Graecae, quibus, in tantâ veterum Elegiarum jacturâ, vix quidquam ex hoc genere praestantius habemus. Altera est *Hermesianactis* ap. Athen. XIII. p. 597, versuum fere centum, misere foedata; quae in priore editione hujus Epistolae per digressionem tractata fuerat. Altera est *Phanoclis*, apud Stob. LXII. p. 399, versuum viginti & septem, in-

integrior ac limatior. De utriusque poëtae rebus & scriptis praemittitur Observatio: quarum omnino ea, quae ad Hermesianactem pertinet, de quo nondum ab recentioribus Scriptoribus proditum erat, cum accuratae doctrinae laude commendationem novitatis habet. Ad hujus igitur Elegiam emendandam non modo ingenii doctrinaeque instrumenta; sed duorum etiam optimorum Codicum, Veneti & Medicei, lectiones adhibitae sunt, & compluribus locis medicina facta est. Sed vel sic universe tanta est orationis labes & obscuritas, ut plurimis locis sententia non e disertâ scripturâ intelligi possit, sed per conjecturam colligi debeat.

Difficile est modum tenere proferendorum speciminum, e tantâ copiâ exquisitissimarum animadversionum. Finem tamen facimus hujus censurae; tum, quod hac ejus vel brevitate vel longitudine nostrae provinciae satisfecisse videmur: tum, quod ea est libri praestantia & ubertas, ut ab iis, qui harum literarum recto studio ducuntur, potius ipse legendus atque ediscendus, quam ex aliorum relatione cognoscendus sit.

II.

II.

ARISTOPHANIS COMOEDIAE, *ex optimis exemplaribus emendatae; studio* RICH. FRANC. PHIL. BRUNCK *Argentoratensis. IV. Voll.* 8 *Maj.* 1783.

Si, quod nemo dubitat, tam ingeniorum quam corporum vires censendae sunt duobus momentis, rerum effectarum magnitudine & efficiendi celeritate; dubitari nequit quin Brunckii ingenium praecipuo quodam loco habendum sit. Pauci sunt anni quod ab eo edita sunt Analecta Graecorum Poëtarum, opus varium multâque politum arte. Mox secutus est Anacreon, minoris quidem ille molis, nec tamen minoris diligentiae. Hunc deinceps exceperunt frequentia Tragoediarum volumina, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, eodem cultu commendata. Interea novam, eamque suis numeris expletam, Sophoclis editionem instituit, in quâ ornandâ expoliendâque dum versatur, ecce! quasi per laboris intermissionem ac requiem duo alia opera conficit emendando vulgandoque Apollonio & Aristophane. Qui ergo ad requiescendum non otium sibi, sed negotium, sumit: qui πάρεργον ita tractat, ut

ἔργον

ἔργον tractâsse videatur; qui pro paginarum multitudine festinationis quidem indicia pauca prodit, plurima vero specimina doctrinae, acuminis, diligentiae; nae is ab omnibus harum literarum studiosis magnopere laudandus, &, ubi quid ei humani accidit, humaniter item comiterque habendus est.

Sed studii Brunckiani efficacia eo magis apparet in hac Aristophanis editione, quo major ejus operae pars fuit ex eo genere, quod vulgo aerumnosum ac molestum habetur. Nam quum instituisset Graecam orationem ita reddere, ut ejus correctiones inscriberet editionis Berglerianae exemplo, quod typographo describendum traderet, brevi cognovit marginem quamvis amplum tamen angustum esse pro correctionum multitudine. Igitur Fabulas ipse omnes ita descripsit prouti eas exhibendas judicavit. Hoc exantlato labore, exemplum descriptum relegens & comparans cum vetustis codicibus, quos antea non habuerat, deprehendit, multa in eo esse nondum satis curata & emendata, quibus ad meliorem formam revocandis verendum fore ne tot lituris obscuraretur scriptura, ut ex eâ typographus expedire se non posset. Quid igitur? Eumdem denuo laborem suscepit, et exemplum descripsit novum, e quo haec editio expressa est. Ceterum & ipse cogitavit Brunckius, & alii etiam cogitent, ne forte iteratâ descriptione vitia scripturae aucta sint; quum fieri soleat, ut in longo opere oscitantia subinde

ſubinde obrepat: praeſertim, quum maximam harum Fabularum partem iterum deſcriberet dum, ut ipſe profitetur, apud eum in muſeo ludebat vel filius, quo nil magis ipſius animum advertit oblectatque, vel confabulabantur boni quidam viri, qui quot fere diebus horisque matutinis ad ipſum ventitare ſolent. Enimvero, retractando ſaepius exemplo, non ſine voluptate cognovit, haec vitia pauciora longe & leviora esſe opinione. Sed quaecumque aut ipſius aut typographi errore esſent admisſa vitia, de iis ſedulo monuit in Notis.

Erat omnino & opus dignisſimum, quod frequentandis exemplis ad plurimorum cognitionem proferretur, & materia ampla, in quâ Critici facultas expromeretur. Nam ex ingenti numero Comoediarum, cum ab Ariſtophane, tum plurimis aliis, proditarum, quibus Attica illa venuſtas, festivitas, dicacitas, vitae morumque conſuetudo, expresſae erant, non niſi hae undecim illius Fabulae ad nostram aetatem ſervatae ſunt. Porro conſtat, qui his Fabulis univerſis criticam emendandi & interpretandi operam praestaret, post renatas literas neminem fuisſe praeter Kusterum & Berglerum, ab iisque hanc provinciam magis affectam quam perfectam esſe. Hos igitur viros, & alios nonnullos his minime inferiores ſingularum Fabularum Editores ſaepe acerbius reprehendit Brunckius quam hujus temporis fert humanitas. In quâ reprehenſione nequaquam

nos approbantes habet. Sit ita: libros antiquos non diligenter consuluerint, rem metricam neglexerint, multa in Comici oratione vitia reliquerint. At plurimis locis rem egregie gesserunt: cum animadversionis eruditione ac meliorum lectionum restitutione Kusterus, tum Atticae venustatis observatione ac sensibus allusionibusque Poetae aperiendis Berglerus: uterque brevitate, perspicuitate, elegantiâ, opportunitate; ut nos quidem non meminerimus aliorum virorum doctorum notas majori cum voluptate legere. Et vero Berglerus, ipso judice Brunckio, complura retractaturus fuisse videtur errata, si ipse describendae editioni praefuisset. Quare arbitramur, Brunckio pleraque acerbe dicta festinanti excidisse, eumque, ut ejus est humanitas, clementius sensisse quam scripsisse.

Continetur haec editio Voluminibus quatuor: quorum per tria priora distributae sunt Comoediae cum Brunckii Animadversionibus; ordine non quidem vulgato, nec tamen deteriore, ut ita quaeque prior exhiberetur, prouti primum ad editionem expolita fuisset. Igitur primo Volumine exstant Lysistrata, Thesmophoriazusae, Ranae, Plutus, usque ad paginam 295: subjectae sunt Notae ad quatuor illas Fabulas, paginis 291. Secundo Volumine sunt Ecclesiazusae, Nubes, Aves, Vespae, paginis 310, tum Notae ad eas paginarum 257. Tertio sunt Equites, Acharnenses, Pax, Fragmenta, mult[...]

nun[...]

nunc auctiora & emendatiora, paginis 291: tum Notae ad tres illas Fabulas, ac deinceps Addenda ad has Notas & Fragmenta, paginis 172: porro Supplementum Emendationum in Omnes Aristophanis Reliquias, cum variis lectionibus e MS. Cod. bibliothecae regiae, qui antea collatus non fuerat, in Ranas, Plutum, & Nubes, inde usque ad pag. 228: denique Index nominum verborumque Graecorum copiosissimus, Kusteriano multis partibus aucto & ad numeros versuum hujus Editionis accommodato, opus, ut laboriosissimum Editori, ita harum literarum studiosis longe jucundissimum atque utilissimum. Quarto Volumine est Latina versio Comoediarum, quam non quidem suo judicio, sed bibliopolae voluntati obsecutus, adjecit Editor. Nec tamen induci potuit, ut versionem Berglerianam repeteret: potius hunc etiam laborem suscipere maluit, ut illam ita corrigeret & ad rationem Graecae orationis ab ipso nunc emendatae componeret, & solutâ oratione exhiberet, ut fere nova haberi debeat, & jam Comici sententia & venustas ex eâ intelligi percipique possit. Index in Notas nullus est. Animadversiones porro virorum doctorum Exempli Kusteriani & Bergleriani, & Scholia Graeca, nec voluit repetere Editor, nec potuit per brevitatis consilium. Platonii tamen Introductionem de Differentiâ Comoediarum, & Graeca Argumenta, exhibuit; adjecit quoque chronologicam tabulam

earum quae supersunt, ac perditarum ex eodem temporis spatio, Aristophanis Fabularum.

Rationem criticam eandem secutus est, quam in aliis Graecorum Poëtarum editionibus: de quâ, quia superioribus hujus Bibliothecae partibus subinde a nobis dictum est, nil attinet hoc loco universe exponere. Illa potius videamus, quae peculiariter ad Aristophanem pertinent. Igitur ad Graecam orationem emendandam adhibuit libros, tum *scriptos*, tum editos: scriptos quidem complures *bibliothecae* regiae Parisinae, unum suum, unum Augustanum, quorum alius alias continet Fabulas: editos vero & veteres principes, & novitios praecipuos. Porro animadversiones correctionesque recentiorum Criticorum, Dawesii, Toupii, Valckenarii, aliorum, ac priorum Interpretum Editorumque, veluti Kusteri, Hemsterhusii, Bentleji, Bergleri, ad partes vocavit. Tum suo ipse usu ingenioque plurimas protulit emendationes. Atque ex hac tantâ variarum lectionum & conjecturarum multitudine, delectu habito, ita multas in Graecam orationem intulit, si eas veriores, elegantiores, concinnioresque vulgatis judicaret. Non videamur procul a vero aberrare, si numerum lectionum mutatarum ita definiamus, ut dicamus, octavam fere partem versuum aliquid mutationis subiisse. Quâ libertate veremur ne quorumdam reprehensiones sibi paraverit. De quibus nos quidem tenemus nostram sententiam, proditam

Parte

Parte ſecundâ hujus Voluminis, in cenſurâ Apollonii.

Illud reticere non poſſumus, omnino Brunckium operae pretium feciſſe hac editione, quâ Comici Fabulae ita exhibentur, ut multis partibus emendatiores ſint & jam facilius intelligi poſſint: quod quidem triplici maxime ratione effectum est, quâ hujus editionis laudem cenſemus: primâ, proferendis melioribus lectionibus, magisque accommodatis ad ſententiae veritatem: ſecundâ, distinguendis perſonis: tertiâ, conſtituendâ parte metricâ. Atque his tribus rationibus multum lucis ac medelae allatum est non modo reliquis Fabulis, quae nondum ſeparatim editae peculiarem praecipui Critici curam expertae eſſent, ſed in Pluto adeo, quo ſummi illi duumviri, Bentlejus & Hemſterhuſius, ingenium doctrinamque contulerant. Sed quandoquidem longius est quam pro unius cenſurae finibus, undecim omnes Fabulas recenſere, nunc quidem priores quinque producamus, Lyſistratam, Theſmophoriazuſas, Ranas, Plutum, Eccleſiazuſas, ex iisque tantum in omni genere promamus ſpeciminum, quantum ſatis ſit ad hujus Editionis vim ac praestantiam intelligendam.

Jam illud genus quod in perſonarum distinctione verſatur, quamquam plurimum valet ad Fabulae intelligentiam, tamen ſatis est a nobis numero verſuum notari; quippe vis ac ratio cujusque novae

distinctionis cognosci nequit, nisi si comparetur cum proximis, & antecedentibus & consequentibus, locis; quos referre infinitum est, legere in suo exemplo facile cuique est. Videant igitur lectores, Lysistr. 88, 100, 122, 146, 529, 836, 884, 1115: Thesmophor. 31, 96, 252, 263, 623, 614, 652, 726, 928: Ran. 51, 195. 294, 311, & sequ., 565, 570, 644, 947, 1018: Plut. 81, 170, 476, 824, 854, 868, 889 seq., 955, 959, 1172, seq.: Eccles. 41, seq., 350, 564, 687, 855, 1068, 1077.

Ergo peculiarius videamus de altero genere, vario illo & late patente, quod in oratione ac sententiâ restituendâ cernitur. Ac primum quidem versus perditi revocantur e libris scriptis. Veluti Lysistr. 499. sic reddidit Brunckius:

ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΗ.

Ἡμεῖς ὑμᾶς σώσομεν.

ΠΡΟΒΟΥΛΟΣ.

ὑμεῖς;

ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΗ.

ἡμεῖς μέντοι.

ΠΡΟΒΟΥΛΟΣ.

σχέτλιόν γε.

ΛΥ-

ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΗ.

Ὡς σωθήσει, κἂν μὴ βούλῃ.

ΠΡΟΒΟΥΛΟΣ.

δεινόν γε λέγεις.

ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΗ.

ἀγανακτεῖς;

Ἀλλὰ ποιητέα ταῦτ' ἐστὶν ὅμως.

Totus ille verſus in editis libris deſideratur: in tribus vero ſcriptis Pariſinis ſic exſtat: ὡς σωθήσει, κἂν μὴ βούλῃ —— δεινὸν λέγεις —— ἀγανακτεῖς. unde illum, adjectâ particulâ γε, in contextum recepit Brunckius. Mox ποιητέα ſumſit ex iisdem libris ſcriptis in locum vulgati ἀποδεκτέα, quod non quidem ineptum est, ſed tamen a correctore corruptae lectionis ἀπόκτέα in priorem Venetam editionem invectum, ex eâque in posteriores propagatum videtur.

Ibid. 901. ita vulgatum est:

Cineſ. —— —— —— —— οὐ βαδιεῖ πάλιν;
Myrrh. Μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἢν μὴ διαλλαχθῆτέ γε
Καὶ τοῦ πολέμου παύσησθε. Cineſ. Τοι γὰρ ἂν δοκῇ
Κἀγὼ γ' ἄπειμ' ἐκεῖσε. Myrrh. Νῦν δ' ἀπομώμοκα.

Medius inter ultimum & penultimum versus magnâ sententiae jacturâ excidit, quem revocatum e tribus codicibus scriptis ita exhibet Brunckius:

ΚΙΝΗΣΙΑΣ.

τοιγὰρ ἂν δοκῇ,
Παύσωμεν καὶ ταῦτα.

ΜΥΡΡΙΝΗ.

τοιγὰρ ἂν δοκῇ,
Κἄγωγ' ἄπειμ' ἐκεῖσε. νῦν δ' ἀπομώμοκα.

Ex eodem erroris fonte vitium manavit in Eccles. versum, qui in editione hac est 621, in vulgatis 617. Nam quum eadem persona bis uteretur eâdem formulâ loquendi, factum est, ut eam librarius altero loco omitteret; unde obscuritas & lacuna exstitit. Brunckius ita exhibuit saniorem lectionem:

ΒΛΕΠΥΡΟΣ.

Καὶ πῶς ἡμᾶς τοὺς πρεσβύτας, ἢν ταῖς αἰσχραῖσι συνῶμεν,
Οὐκ ἐπιλείψει τὸ πέος πρότερον, πρὶν ἐκεῖσ', οἷ φῄς, ἀφικέσθαι;

ΠΡΑΞΑΓΟΡΑ.

Οὐχὶ μαχοῦνται.

ΒΛΕ-

ΒΛΕΠΥΡΟΣ.

περὶ τοῦ;

ΠΡΑΞΑΓΟΡΑ.

θάῤῥει, μὴ δείσῃς, οὐχὶ μαχοῦνται.

ΒΛΕΠΥΡΟΣ.

Περὶ τοῦ;

ΠΡΑΞΑΓΟΡΑ.

τοῦ μὴ ξυγκαταδαρθεῖν. καὶ σοὶ τοιοῦτον ὑπάρχει.

Haec igitur minora commata in editis libris partim turbata partim omissa erant. Codex vero Parisinus ita habet:

Οὐχὶ μαχοῦνται περί σου θάῤῥει. μὴ δείσῃς, οὐχὶ μαχοῦνται.
Περὶ τοῦ; —— τοῦ μὴ ξυγκαταδαρθεῖν, καὶ σοὶ τοιοῦτον ὑπάρχει.

Atque cum ex hac tum vulgatâ lectionem Brunckius eam confecit & recepit, quam memoravimus.

Deinde spurii loci notantur atque ejiciuntur, veluti, ubi annotatio Grammatici olim in margine scripta, tandem in Comici orationem illata est. Hujus judicii exempla sunt Thesmophor. 136 editionis vulgatae, 129 editionis Brunckianae, Ὀλο-

λύζεις γέρων. deletur, tamquam e glossâ marginis, ὀλολύζει ὁ γέρων, in Fabulam invectum, ut infra 283 Ed. vulg.

Ran. 1478. Editionis vulgatae, 1431. Brunckianae, Aeschyli effatum exstat de Alcibiade:

Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,
Μάλιστα μὲν λέοντα μὴ 'ν πόλει τρέφειν,
Ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Medium versum, ut inepte repetitum e proximo, repudiat atque delet Brunckius, obsecutus cum sententiae, tum auctoritati trium librorum scriptorum, & Plutarchi Alcibiad. p. 199. A. Assentimur Brunckio alterum e duobus prioribus versibus esse delendum: nos quidem secundum retinere mallemus, & quia exquisitior altero videtur, & quod Plutarchus eum habet. Fuit omnino antiquitus duplex librorum scriptura, aliis primum, aliis secundum exhibentibus: ex horum numero fuit exemplum, quo Plutarchus usus est: ex illorum exempla, e quibus Codices Parisini fluxerunt.

Porro, nec illud Criticae munus neglectum est, quod versatur in transpositione; quâ versus e suâ in alienam sedem pulsi, in verum ordinem revocantur. Veluti Lysistr. 319, 320, praepostere positi in vulgatis libris, in suas restituuntur sedes, auctoritate duorum librorum scriptorum:

ΧΟΡΟΣ

ΧΟΡΟΣ ΓΥΝΑΙΚΩΝ.

Αἰγύν δοκῶ μοι καθορᾷν καὶ καπνὸν, ὦ γυναῖκες,
Ὥσπερ πυρὸς καομένυ· σπευςέον ἐςὶ θᾶττον.

Sed longe plurima ſunt exempla Criticae feliciter tractatae in eo genere, quod in ſingulorum verborum mendis corrigendis cernitur. Horum e magnâ copiâ tantum promamus, quantum ſpeciminis cauſſâ ſatis ſit.

Lyſistr. 291. vulgatum ἐξεπιώκατον, quamquam a Suida memoratum, & librorum ſcriptorum auctoritate confirmatum, e conjecturâ mutatur in verius exquiſitiusque ἐξιπώκατον, cujus ſimplex ἰπόω alibi occurrit, & a T. Hemſterhuſio illuſtratum eſt ad Plut. 279.

Ibid. 599:

Σὺ δὲ δὴ τί μαθὼν οὐκ ἀποθνήσκεις;
Καίριος ἐσσί γε· σορὸν ὠνήσει.

Ita ſecundum verſum corrigit Editor, pro vulgato Χωρίον ἐςί· σορὸν ὠνήσει. Illud ſumſit e lectione Venetarum editionum καίριον: hoc flagitante ſenſu, & formae auctore Euripide Hel. 1250. E corrupto hoc loco Χωρίον pro *ſepulchro* acceperunt Interpretes ad Act. Ap. I, 18. Ceterum mallemus Ὥριος quam Καίριος.

Ib.

Ib. 644. Ἀρχηγέτι in Dativo recepit e Scholiis & codicibus pro Ἀρχηγέτις. Versu proximo, pro κατέχουσα, e vestigiis veterum editionum & codice Augustano, καταχέουσα, ut sit, *laxam ac fluentem crocotam gerens.* Venit nobis in mentem Sophoclis ap. Dionys. Hal. A. R. I. p. 38. ubi fere similiter vocat Anchisem, Νῶτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος.

Ibid. 996. sic exhibetur a Brunckio e conjecturâ:

ΠΡΟΒΟΥΛΟΣ.

Ἀπὸ τοῦ δὲ τουτὶ τὸ κακὸν ὑμῖν εἰσέπεσεν,
Ἀπὸ Πανός;

ΚΗΡΥΞ.

οὐχ· ἀρχὰ μὲν οἵα Λαμπιτώ.

Versus ultimi haec est sententia: *Non: principium quidem sola est Lampito.* Vulgo, contra Metricam rationem ac sensum, est: οὐκ, ἀλλ' ἀρχὰ μὲν οἰῶ Λαμπιτώ: *non; sed principium quidem, ut puto, est Lampito.*

Thesmoph. 134. Scaligeri lectio, confirmata consensu codicis Augustani, recipitur: Ὧι χάριν ἄνακτ' ἀγάλλει Φοῖβον τιμᾷ. i. e. *cujus rei caussâ cole Phoebum regem honore.* Vulgo, loco ἀγάλλε, legitur ἀλλά. Poterat laudari animadversio T. Hemsterhusii ad Thom. Mag. p. 4.

Ibid.

Ibid. 383. —— ἣν ἅλις ἐσθ' ἡμῖν σχολή, mutatur maximo ſententiae fructu, auctoritate codicis ſcripti, in ἣ μάλισθ' ἡμῖν σχολή.

Ibid. 548. e ſcripto codice receptum est: κἀξὸν λέγειν ὅσαι πάρεσμεν ἀσταί, *cumque liceat dicere omnibus nobis, quae adſumus, civibus.* In editis prioribus est, loco ultimae vocis, αὐταί, quod plane friget.

Ibid. 1024. Oratio Euripidis, qui tragico habitu ad Mneſilochum a Scythâ custoditum cupiebat accedere, prouti Perſeus ad Andromedam, restituitur ſententiae, e conjecturâ mutato λάβοιμι in λάθοιμι, & ἀπέλθοιμι in ἐπέλθοιμι:

> Φίλαι παρθένοι, φίλαι,
> Πῶς ἂν ἐπέλθοιμι καὶ
> Τὸν Σκύθην λάθοιμι;

Videtur eſſe parodia verſuum in Andromedâ fabulâ. Forma Euripidea est eadem in fragmento ex Inone apud Plut. II. p. 556. A. Φίλαι γυναῖκες, πῶς ἂν ἐξ ἀρχῆς δόμους Ἀθάμαντος οἰκήσαιμι; —— Videatur Valckenarius Diatrib. Fr. Eur. p. 173 & ad Hippol. 208.

Ran. 1488 vulgatae, Br. 1440, ex optimâ, & Küstero Bergleroque incognitâ, editione Bernardi Juntae, verior ſcriptura restituta est:

Ei

Εἰ ναυμαχοῖεν, κἆτ' ἔχοντες ὀξίδας
Ῥαίνοιεν ἐς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων.

Vulgo priori verſu legebatur minus eleganter, Εἰ ναυμαχοῖεν ἂν κατέχοντες τ' ὀξίδας.

Plut. 119. Impeditus est locus, in reſponſione Pluti, qui nolebat viſum recipere, ne propterea Jovi poenas daret: Ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ' ἔμ' εἰ Πύθοιτ' ἂν ἐπιτρίψειε. Brunckius, repertâ in margine vetustisſimi ſui codicis verâ lectione, οἶδ' ὡς pro εἰδὼς, locum ita exhibuit:

Ὁ Ζεὺς μὲν οὖν οἶδ' ὡς, τὰ τούτων μῶρ' ἐπεὶ
Πύθοιτ' ἂν, ἐπιτρίψει με.

Ib. 824. Verior perſonarum distinctio, ab Hemſterhuſio prodita, e ſcriptis codicibus confirmatur & recipitur.

Eccleſ. 364. Lenisſimâ correctione ſanitas restituitur loco, dividendo nomine καταπρώκτων. Jam convenit dictio homini, qui difficulter & nitendo alvum exonerat:

Τίς ἂν οὖν ἰατρόν μοι μετέλθοι, καὶ τίνα;
Τίς τῶν κατὰ πρωκτὸν δεινός ἐστι τὴν τέχνην;

Ib 998. Dictum est juvenis ad vetulam, quae illum e formulâ populiſciti cogere ſtudet, ut ſecum concumbat. Hujus dicti vis & venustas restituitur lenis-

lenissimâ correctione a Thoma Tyrwhitto factâ, ab eoque per literas cum Brunckio communicatâ, quâ ἐμῶν mutatur in ἐτῶν:

Ἀλλ' οὐκ ἀνάγκη μοί 'στιν, εἰ μὴ τῶν ἐτῶν
Τὴν πεντακοσιοστὴν κατέθηκας τῇ πόλει.

Non quidem, ut fere solet, verissimam hanc emendationem in contextum recepit Editor; de suo tamen pro μοὐστὶν reddidit μοί 'στιν. Ceterum ita vertit: *At enim mihi necesse non est, nisi quingentesimam annorum tuorum reipublicae solvisti.*

Ibid. 1027. Item Comici manus restituitur e codice scripto. Juvenis victus, dum abducitur a vetulâ in lectum, eam illudit tamquam ab eâ sepeliendus esset. Quam diverbii partem ita exhibet Brunckius:

ΓΡΑΥΣ. Β.

Ἦ μὴν ἔτ' ὠνήσει σὺ καὶ στεφάνην ἐμοί.

ΝΕΑΝΙΑΣ.

Νὴ τὸν Δί', ἤν περιῇς γε πε τῶν κηρίων.
Οἶμαι γὰρ ἔνδον διαπεσεῖσθαι σ' αὐτίκα.

Atque ita vertendo expressit: ANUS II. *Immo etiam coronam adhuc emes mihi.* ADOLESCENS. *Ita, per Jovem, si modo consumtis cereis forte superes; arbitror enim, te, statim atque intro ingressa fueris, mori-*

morituram. Vulgo perperam & nullo ſenſu legebatur: Νὴ τὸν Δί' ἦν περί γε ποῦ τῶν χηρίων.

Ib. 1085. Ed. Vulg. Juvenis a duabus vetulis agitatus, quarum utraque eum ſibi vindicat, alteri dicenti, Δευρὶ μὲν οὖν ἴθ' ὡς ἐμέ; reſpondet; Ἤν γ' ἡδέ μ' ἀφῇ. Ita Brunckius reſponſum juvenis acutâ emendatione reſtituit; quod plane obliteratum in hanc labem abierat: Ἢν νὴ Δία γ' ἀφῇ.

Frequentes quoque ſunt correctiones, iisque additae obſervationes in genere Metrico. *Ejus tres* fere ſunt formae. Prima est in Syſtematibus, ſeu plurium verſuum ſummâ & conſtitutione: veluti, Lyſiſtr. 274, 277, 349, 598, 1056, 1068, 1316: Theſm. 1001. Ran. 344, 534, 541. Altera in ſingularibus verſibus, & pedum varietate, numero, loco: cujusmodi est Plut. 178, 325, 886: & alibi. Tertia in ſingularum ſyllabarum quantitate cernitur: veluti Lyſiſtr. 118. & aliis omnibus locis ποιεῖν reſtituit primâ brevi pro ποεῖν, quod librariorum ignorantiae debetur: 157, reſtituitur ex eâ obſervatione, quâ in verbo ἵημι & ejus compoſitis prima producitur: ἐπεὶ οὐ Jambum eſſe docetur: Theſm. 324. revocatur οἰςροδόνητος pro οἰςροδίνητος, quod ῑ longum habet. Plut. 98, verbo ἑώρακα quatuor ſyllabae vindicantur; quod contra voluerat Daweſius: idem contra Dorvillium defenditur in eâ ſententiâ, quâ ſtatuerat, ſyllabam κα ſequente voce

χρόνῳ

χρόνȣ non produci; huc pertinent aliae aliis locis observationes, 147 de primâ in μικρὸς brevi, & similes in eodem genere 166, 306. De crasi, cujus scribendae constantem tenuit rationem: in Lysistr. 945, ἐα᾽ ὖτ᾽ ὦ δαιμονία, pro ἐα αὖτ᾽ ὦ δ. Ibidem, 152, 514, pro ὁ ἀνὴρ scripsit ὡ᾽νὴρ: adjungatur his Thesm. 403.

Et universe quidem correctionibus Brunckianis, quamvis audacioribus & frequentioribus, laus facilitatis & concinnitatis tribuenda est. Neque enim, quod saepius fit ab aliis emendatoribus, inferciendis temere particulis mensuram explet, ut quasi difficili labore monstrum pariatur; sed cum suavitati veritatique modorum consulit, tum rationem habet Atticae orationis & elegantiae.

Est quoque, ubi sententiae obscuritatem interpretando aperit. Quo in genere, etsi rara sunt exempla, tamen paucitas eorum compensatur acumine & venustate. Veluti Ran. 94 in illa malorum poëtarum reprehensione:

> Ἁ φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ
> Ἅπαξ προσȣρήσαντα τῇ τραγῳδίᾳ.

Ita vulgo acceptum ac redditum est: *Statim evanidi, ubi unum chorum adepti sunt, qui placeat in Tragoedia*: vel, *Qui gaudio mox emoriuntur, si cho-*

rus tantum ſemel ſecunda utatur fortuna in Tragoedia. Error exſtitit e non intellectâ vi verbi προσυρεῖν: cujus falſam interpretationem *ſecundo vento utor*, e Scholiasta in Theſaurum retulit H. Stephanus, atque ita per alia Lexica propagavit. Cujus erroris nos quoque exemplum notavimus Vol. II. P. II. p. 103. προσυρέω eſt *admingo*, *immingo*. Igitur veriſſime vertit Brunckius: *Viribus exhauſti protinus evaneſcunt, ſi modo chorum acceperint & ſemel tantum in Tragoediam minxerint.*

Neque vero deſunt Animadverſiones Grammaticae, de vocum formâ & conſtructione: quarum quidem ſpecimina referre longum est, notaſſe ſufficit. Igitur adeant harum rerum ſtudioſi, Lyſistr. 557, ubi λάχανα de *foro olerum* exponitur: 601, de ſcripturâ nominis μελιτοῦττα: 895, de antiquâ formâ τιθέω: Ran. 298, de Futuris, quae habent formam Praeſentis: Plut. 1037, de conſtructione Optativi: Eccleſ. 162, de εἰ cum Futuro: 255, de ὅπως cum Futuro Indicativi: 384, de distinguendis Adverbiis vulgo confuſis οὐδέποτε & οὐδεπώποτε.

Ceterum, eſſe quoque operae Brunckianae partes, quae nobis minus probentur, & quivis ipſe facile intelligat, nec fieri aliter in tam longo opere poſſit. Quod quidem univerſe monuiſſe ſatis est. Nam,

Nam, ea quae nobis probatur pars, cujus non nisi pauca excitavimus specimina, talis tantaque est; ut non dubitemus hanc editionem commendare omnibus Atticae venustatis amantibus; cum ab externi cultus habitusque elegantiâ, tum in primis ab emendatâ expolitâque ad faciliorem intelligentiam oratione.

III.

M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS LIBRI TRES. *Ad solam priscorum Exemplarium fidem recensuit, adjectisque* JO. MICHAELIS HEUSINGERI *& suis Adnotationibus, explicatiores editurus erat* IACOBUS FRIDERICUS HEUSINGER. 8 *Maj. pagg.* 812. *Prostant Brunsvigae in Orphanotrophei Ducalis Bibliopolio.* 1783.

Athenis aliquando reus orationem, quam in judicio haberet, a Lysia nobilissimo oratore acceptam, domum abiens ediscere coepit: mox ad Lysiam rediit moestus, dicens, orationem sibi primum quidem legenti visam esse plane egregiam, secundum vero ac tertium relegenti infirmam omnino & frigidam apparuisse. Tum Lysias ridens, Ergone, inquit, tu eandem orationem ter apud judices habiturus eras? Quin tu eam semel habebis, & cognosces quanta in me vis persuadendi sit. Admonitio eo valebat, huic eloquentiae generi non verum, sed veri speciem, nec scientiae perpetuitatem, sed opinionis brevitatem, propositam esse. Quamquam si quis optimorum Veterum, cum Lysiae tum

tum aliorum, orationes ita legat, ut videat non quam ſint verae, ſed quam ad perſuadendum accommodatae, is quo ſaepius quamque relegat, eo plus continuo ſuavitatis perſpiciendo interius artificio capiet. Atqui ſi haec est dos earum ſcriptionum, quarum effectus exigui temporis opinione cernitur, quanto magis eandem dotem adesſe par est illis ſcriptionibus, quibus certus ac permanſurus doctrinae fructus continetur. Nam, ſi ratio & oratio errori veritatis ſpeciem adjungere potest, ipſi profecto veritati efficaciam ac lumen adjungere poterit; ut minime verendum ſit, ne lectione quamvis ſaepe repetitâ talium librorum vis ac ſuavitas minuatur.

Quod cum alias nobis ſaepe in Ciceronianis ſcriptis, tum nuper in Officiis, uſu venit: quibus denuo legendis recentem voluptatem percepimus, nova nec ante animadverſa bona deprehendimus. Quorum quidem librorum laus ac praestantia quominus vulgo intelligatur, duae ſunt causſae: una, quam ſuperiore quadam cenſurâ memoravimus, quod plerique nostrâ aetate homines compendiorum jejunitati adſueti & a Veterum uſu rudes ſunt: altera, quod illorum captui nulla ſatis accommodata exſtat editio, quâ Philoſophia Moralis apte ac perſpicue explicetur. Neque hoc ita dicimus, ac ſi eam operam, quae in emendandâ conſtituendâque ſcripturâ verſatur, contemnamus. Immo, nil magis a nostro ſenſu judicioque alienum est, qui eam ne nunc qui-

dem in his libris supervacaneam esse statuimus, eique omnino tantum tribuimus, ut, nisi praecesserit, omnem doctrinae interpretationem vanam & jejunam judicemus. Sed tamen, ut nunc est, hominum ignorantia talem editionem requirere videtur. Nam, ne dicamus de prioribus illis, quorum e numero Erasmus, Amerbachius, Melanchthon, & in primis Betulejus, Philosophiae explicationem non neglexerunt: ex iis, qui huic aetati propiores sunt, Graevius, frequenter in Notis loca Philosophorum attulit, neque tamen ut ratione ac viâ ageret, & ostenderet quo quidque pertineret. Mox Rachelius, Helmstadiensis Professor, editis his libris, ut est inscriptio, *cum Commentario Philosophico Juridico & Prolegomenis, quibus natura honesti aliaque ad Jus Naturae spectantia explicantur*, quamquam nec doctrinae nec literarum scientiâ magnopere instructus, tamen utilissimo illius Academiae instituto satisfecit editione ad Ethicas Scholas comparatâ, praeceptis etiam subinde ac sententiis e doctrinae observatione *illustratis*. Tum Facciolatus, vir egregius, huic parti interpretationis aliquantum operae navavit, brevibus suavissimisque animadversionibus, quibus hos libros ornatos vulgavit Venetiis anno hujus seculi septimo quadragesimo: sed hanc provinciam, quippe ad senectutis requiem ac levamentum susceptam, parcius tractavit quam postularet opus, ipso judice, ejusmodi, ut vix exercitati, nedum parum exer-

citati

citati totam doctrinam, non sane de medio sumtam, partesque ejus singulas, earumque ordinem & contextum, sine adjutore percipere possint. Jam Ernestus unam Criticae rationem secutus est quae in verâ scripturâ restituendâ cernitur, sed hanc ipsam paucissimis horum librorum locis adhibuit. Denique Heusingeriana editio, quae in eodem genere omnes omnium superiorum editionum laudes superat & multis praeterea interpretationis partibus commendatur, a doctrinae explicatione vacat, ad eamque intelligendam lectores postulat Veteris Philosophiae peritos. Quae cum ita sint, minime nos poenitet consilii, quod dudum cepimus, edendorum aliquando horum librorum ad eam rationem, ut emendatae lectioni superstruatur doctrinae interpretatio accuratior, ducta e fontibus Veterum Philosophorum, cum universorum, tum eorum, quos Cicero secutus est, Stoicorum, in primis Panaetii, Hecatonis, Posidonii, ac similium. Sed haec alias, nunc in rem praesentem veniamus.

Ergo Heusingeris cumulatius uberiusque tribuenda est laus ea, quam ante hos ducentos annos Carolus Langius, cui sine dubio multum debent hi libri, sibi vindicavit, quum in editionis a se factae titulo poneret, *eos ita ad optima & vetustissima exemplaria recognitos esse, ut nunc demum editi videri queant.* Neminem facile fugiat, quanta fuerit Heusingerorum in his literis scientia & diligentia, quan-

tum ſtudium & acumen. Et patruus quidem Joannes Michael, qui novae editionis ſpecimen vulgavit Iſenaci Anno 1749, uſus est codicibus ſcriptis duobus Gothano & Vinarienſi, editis vero libris vetuſtioribus octo, Romano primo Anni 1471, Venetis quatuor Annorum 1470, 1484 1506, 1554, Lipſienſi 1500, Argentoratenſi 1510, Aldino 1561, Colonienſi Franciſci Fabricii 1581. Recentiores ab eo non eſſe neglectas editiones, verbo monuiſſe ſatis est. Adhibuit porro Auctores, qui Ciceronis locos vel retulerunt vel imitati ſunt, Nonium Marcellum, Servium, Lactantium, Ambroſium, e medio etiam aevo Vincentium Bellovacenſem. Ex his fontibus & ſuâ ipſe Latinitatis ſcientiâ, quâ plane egregià valebat, multis locis orationem expolivit atque emendavit. Porro interpretationi conſuluit, ut & rebus historicis illustrationem ex Antiquitatis cognitione, & verbis conſtructionique explicationem e Grammaticâ ratione adferret: utrumque frequenter, breviter, perſpicue. Ceterum, biennio post editum ſpecimen, mors eum occupavit.

Igitur ejus diſciplinae alumnus, fratris filius, Jacobus Fridericus, relicti operis tutelam ſuscepit atque ita geſſit, ut operae praestantiâ Patruo minime cederet, & haud ſcio an praestaret. Nam plurimos alios in ſubſidium vocavit veteres libros bibliothecae inſtructisſimae Wolfenbuttelanae, cujus urbis ſcholam regebat. In his ſunt ſcripti quinque &

boni

boni & antiqui; Scholiastes e medio aevo, nullius ille quidem ad doctrinam pretii, nec tamen inutilis ad lectionem constituendum: porro editiones optimae & antiquisſimae, Moguntina Anni 1465, alia ſine loci & anni indicio, Veneta 1498, Lipſienſes duae 1507 & 1513, Hervagiana 1534, Victoriana 1537, Camerariana 1540, Gryphiana ejusdem anni, Anemoeciana 1541, Aldina 1561, Langiana 1563, Lambiniana 1566, Hieronymi Wolfii 1569, Francisci Fabricii 1581, Henrici Saganenſis Vitenbergae 1582, Gothofredi 1596: tum recentiorum copiae, Gruteri, Graevii, Gronovii, Cockmanni, Pearcii, Oliveti, Ernesti, de quibus non est quod peculariter dicatur. Denique non neglexit eos, qui Ciceronis locos in ſuos libros transtulerunt, e quorum genere excitavit Bedam, Joannem Sarisberienſem, Albertum de Eyb: Nonium vero Marcellum cum duobus contulit codicibus ſcriptis ejusdem bibliothecae, altero recentiore, altero optimo & antiquisſimo.

Ad tantas copias quum non minorem diligentiam & religionem adferret Heuſingerus, non miramur, eum novam recenſionem dare, quam Ernestinam ſequi, maluisſe. Huc accedebat, quod Ernestus, praeſertim in Philoſophicis operibus Ciceronis, nimium festinasſet, & in conſtituendâ oratione rationem tenuisſet eam, quam Heuſingerus non probaret. Improbatae rationis duo ſunt capita, quae docte accu-

rateque exponuntur: alterum de aliis locis, alterum de Temporum Modorumque consecutione. Prioris capitis haec proferuntur exempla, Philipp. III, 10, *in illo ipso die*, ubi Ernestus *in* repudiaverat & ejecerat. Philipp. IV, init. *frequentia vestrum*, vindicatur pro *f. vestra*: item Orat. 46, *stlitibus* pro *litibus*: de Or. III, 58, *tetulit* pro *detulit*: Ep. Div. VII, 1, *aliqui* pro *aliquis*: Ib. XV, 2, *Parthos — iter eos per Cappadociam — esse facturos*, vindicatur *eos*: Brut. 57, *ut sibi ipse non conveniat*, Ernestus maluerat, *ut tibi ipse non convenias*, sed ita tertiam quoque personam infinite poni, frequens Ciceroni esse ostenditur: Ib. 72, in verbis Caesaris, *si cogitata praeclare eloqui possent, nonnulli studio & usu elaboraverunt*, Ernestus inseruit *ut* de suo, *eloqui ut possent*, omnibus, ut putat, approbantibus; at verissime ostendit Heusingerus bonam esse veterem lectionem: Ib. 75, *omni ornatu orationis tamquam veste detracta*, item defenditur ac probatur prae *detracto*, quod Ernestus receperat. Quo quidem in loco non audemus assentiri Heusingero; quandoquidem exempla non satis similia allata sunt vel a Patruo ad Nep vel a Cortio ad Sallust. Cat. 55. p. 354.

Posterius caput magnum locorum numerum complectitur, quos Ernestus mutaverat obsecutus legibus ab ipso informatis de Temporum Modorumque consecutione. Igitur ostendit Heusingerus, esse ubi

ubi recte dicatur, *ſunt qui dicunt*, pro *dicant: non habeo quid ſcribam*, pro *quod ſcribam: ſi potuero*, pro *ſi potero:* recte item Indicativum in oratione ſuspenſâ poni, veluti de Or. I, 5, *hortemurque potius liberos noſtros, ne — ſe id quod expetunt, conſequi poſſe confidant.* Talia & plurima alia praecepta traduntur, quae omnia recenſere longum est. Et ne quis dicat, locos, quorum auctoritate utitur Heuſingerus, a librariis esſe corruptos & emendandos ad leges Ernestinas: optimorum & antiquisſimorum codicum fidem ſecutus est Heuſingerus, rationes etiam e Grammaticâ ſubtilitate explicuit. Quare nos omnibus accuratae orationis ſtudioſis hoc caput commendamus; ſi forte ejus cum Ernestinis ac Schellerianis praeceptis contentione probabilem formulam hujus loci conſtituere posſint.

Ceterum ipſe Jacobus Fridericus Heuſingerus, antequam edendi operis initium faceret, mortuus est anno hujus ſeculi octavo ſeptuageſimo. Ergo hoc munus, veluti hereditarium, ad ejus filium Conradum pervenit: qui illud ita administravit, ut ſtudium ſuum omnibus aequis doctisque judicibus probaret, ſeque haud indignum domesticarum laudum ſuccesſorem ac paternae disciplinae alumnum praeſtaret. Primum, operam navavit libro accurate deſcribendo: tum indices ſubjecit diligentisſime confectos: denique praefationem adjecit docte prudenterque ſcriptam. Nam, cum univerſe rectum

de

de his literis judicium prodidit: tum de quorumdam veterum librorum vi & momento erudite exposuit: qua quidem in parte utilissimo usus est consilio Langeri, praefecti bibliothecae Wolfenbuttelanae, viri doctissimi & rei bibliographicae peritissimi.

Sed, age, peculiarius, quoad ejus fieri potest, Heusingerianae operae modum ac rationem describamus. Praeter indices & praefationem, voluminis paginae sunt 812: quarum superior pars, ut solet, Opus Auctoris, inferior utriusque Heusingeri Notas continet. Et Joannis quidem Michaëlis Notae non solum ad orationis emendationem pertinent; sed interpretationem quoque habent, cum rerum historicarum, tum verborum sententiarumque obscuriorum, non quidem eam e reconditae doctrinae copiis depromtam, quippe quae nec pervulgata nonnumquam omittat, sed tamen doctam, acutam, opportunam, perspicuam item ac brevem, utilemque non tironibus modo sed eruditis etiam. Jacobus autem Fridericus, rerum interpretationem, quippe praeceptam a Patruo, raro attigit: ceterum summam in emendandâ constituendâque oratione curam posuit: & in hac parte, nostro quidem judicio, Patruum adeo superavit. Sed ut certius etiam intelligatur, quid, quâ ratione, quô modo, uterque egerit; primum unius cujusdam particulae animadversiones notabimus, deinde specimina e reliquo toto opere proferemus. Videamus igitur ipsam pri-

mam

mam periodum, quae cum titulo & Notis paginas expleṭ quatuor & dimidiam. Notas ipsis Interpretum verbis referemus, nec vero Auctorum locos omnes reponemus, sed tamen eos numero significabimus. Illud etiam monendum est, Jacobi Friderici Notas asterisco insignitas esse.

M. Tullii Ciceronis, de Officiis ad Marcum filium Liber Primus. Quamquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque Philosophiae, propter summam & doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina conjunxi, neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, id tibi censeo faciundum, ut par sis in utriusque orationis facultate.

„ *De Officiis*. Goth. & Vinar. cum pluribus aliis *Officiorum*. Sed ipse Cicero *de Officiis* praescripsit, idque Attic. XVI, 11, testatum reliquit. Nec aliter Plinius N. H. praef. Gell. XIII, 27; Lactant. VI, 2: Festus, Nonius, aliique Grammatici. Unde & Ambrosius, Ciceronem imitatus, *de Officiis* opus suum inscripsit. *Officium* autem nominatur neque κατ' ἀντίφρασιν, quasi *minime officiat*, i. e. noceat; neque ab *efficiendo*, ut veteres putabant; neque ex opificio contrahitur: sed ab *obficere* est, quod significat, apte, accommodate, decenter, facere; ut *occa-*

sio

fio quae opportune accidit, ut *obedio*, *oblecto*, *obsequor*, *obtempero*, aliaque, quae simplicium verborum actionem commodam, & ad aliquid attemperatam, exprimunt. Hinc fit ut *Officium* saepe pro beneficio dicatur."

* „*De Officiis*. Hanc scripturam sistunt MSS. Guelpherbytani omnes, praeter quartum. Is vero dedit *Officiorum*; quod primi editores, codicum recentissimorum adseclae, arripuerunt. Ciceroni probatam inscriptionem retinet etiam Sueton. Caes. c. 30. & Lamprid. Alex. Sev. c. 30."

Ad Marcum f. „Qui tum annum agebat XXI, natus L. Julio Caesare, C. Marcello Figulo Coss. ab V. C. anno ᴊᴐᴄʟxxxviii."

Annum jam „Scribere coepit Cicero, L. Julio Caesare quintum, M. Antonio Coss., ineunte aestate, Caesare jam interfecto: perfecit vero extremis ejusdem anni mensibus. Vide Attic. V, 13, XVI, 11 & 14. Filium Athenas miserat circa Calendas April. superioris anni, ut ex Attic. XV, 15, & XVI, 1, cognoscitur: quod qui Caesare jam e medio sublato factum putant, multum errant."

Cratippum „Philosophum Peripateticum, suae aetatis principem, Mytilenis oriundum, ubi Pompejum ex acie Pharsalica fugientem consolatus est: Plutarch. Pompej. p. 659. Ciceroni in Ciliciam eunti primum visus est Ephesi, quo ejus salutandi causa venerat: Cicer. de Univ. c. 1. Postea ab

eodem

eodem Cicerone adjutus, civitatem Romanam a Caesare impetravit. Athenas veniens, adnitente Cicerone, ab Areopagitis rogatus est, ut, quoniam civitati ornamento futurus esset, instituendae juventutis caussa ibi maneret: quod & fecit: Plutarch. Cic. p. 873, Brut. p. 994. Scripsit de Divinatione Somniorumque Interpretatione: Cicero Divin. I, 3: II, 48. seq. Tertullian. de An. 46. Adde Cicer. Off. II, 2 III, 2. Brut. 61. Cicero Fil. Ep. XVI, 21. Ceterum nomen hujus philosophi analogiam non sequitur, qua scribendum esset Crathippus: vel quod Aeolicum est; (Mytilene enim Lesbi urbs, Lesbus vero ab Aeolibus habitata fuit) vel quod in compositis ex ἵππος spiritus asperi ratio non semper habita est. Nam & *Alcippus*, *Aristippus*, *Leucippus*, *Lycippus*, tenuem literam retinent."

Abundare „ Non solum abunde audire praecepta philosophiae, sed etiam frequenter & quotidie quasi exemplum aliquod vivendi in aliis intueri. *Abundare praeceptis* non est eruditum esse, sed copia praeceptorum circumfluere."

* *Abundare oportet* „ Gu. sec. sed solus, & hoc loco parum commode, *abundare oporteat*. Conjunctivum facilius admittam cap. 2, 7."

Praeceptis institutisque philosophiae. „ *Praecepta* sunt, quae vera, recta & honesta monstrant: *instituta* animum moresque ad praecepta conformant.

Haec

Haec quidem non auribus magis a magistro, quam oculis ingerebantur ab iis, qui tum Athenis recte vivendi exemplum praeibant. Filium igitur non doctiorem modo esse vult; sed multo etiam meliorem, qui sciat non magis, quam probet ac sequatur optima."

Auctoritatem. „ Quia & praeceptorem habes, & in ea urbe agis, cujus summa est auctoritas. Est vero *auctoritas* vis ad agendum vel sine *ratione* impellens. Hanc urbi quoque tribuit, quae *viros* ferebat unicuique adolescenti imitandos."

Augere „ Ad te doctrina & moribus ornandum plurimum conferre. Doctoris enim scientia, urbis exempla, plurimum ad tuum profectum conferre possunt."

* *Altera exemplis.* „ Gu. 7. *alter exemplis:* quod simile foret illi Virgil. Ecl. III, 34, *alter & haedos.*"

* *Ad meam utilitatem.* „ Ernestus, V. C. haec verba, quae in libro quodam suo omissa videbat, languere, eoque merito abesse, judicabat. Equidem crediderim, praepositionem *ad* h. l. eventum magis quam scopum significare. Nec leve pondus accedebat adhortationi Ciceronis, quum adjiceret, quod filium suo exemplo facere juberet, id se non sine fructu atque emolumento suo fecisse."

Cum Graecis Latina conjunxi. „ Cum Graecis Latina, cum Latinis Graeca conjunxi. Non solum enim in philosophia, Graece a magistris tradita

Latine

Latine interpretatus sum, ut, quae Latine dici posse nemo antea putarat, nostro sermone explicarem: sed & in dicendi exercitatione, quae Latina lingua contenta esse poterat, Graecos magistros adhibui, apud eos Graece declamavi, Graecos oratores imitatus, eorumque virtutes exprimere conatus sum. Vide Sueton. de Clar. Rhetor. c. 1. & 2. Cicer. Brut. 90: de Orat. I, 34."

In dicendi exercitatione feci. „Verbum *feci*, quod in suo codice non reperit Graevius, ideoque suspectum habuit, nuper ejectum video a celeberrimo viro, Jac. Facciolato. Non ausus sum ejus exemplum sequi, quod id in ceteris codicibus omnibus, & in nostris quoque est, locumque suum tueri potest. Sic illud etiam abundare videtur Tusc. V, 32: *An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere: nostrates philosophi facere non potuerunt?* Infra II, 1, 7. Corn. Nep. Chabr. III, 3."

* *Sed etiam in dicendi exercitatione feci.* „Gu. quart. *etiam* omittit. Eleganter id atque ex more Ciceronis abesse posse docet patruus meus ad Cap. 3, 4. Hic tamen contra meliorum librorum auctoritatem nil mutandum videtur. Verbum *feci* tuentur omnes & scripti libri & veteres impressi, quos mihi inspicere contigit. Memoria igitur vacillavit Ernestus V. C. quum scriberet, *feci* in impresso Magontino omissum esse."

Idem tibi censeo faciundum. „Cum Latinorum,

quod sciam, nemo dicat, *ut feci, idem tibi censeo faciendum*; sed vel *quod, idem*, vel *ut, item, ut, itidem*. Etsi enim apud Graecos· τῷ ὥσπερ, ταυτὸν vel αὐτὸ τοῦτο respondet: id tamen alia plane ratione dictum est pro κατὰ ταυτὸν. Itaque & Guilielmius hic malebat, *itidem*, idque in aliquot ejus libris exstabat: in Goth. Oxoniensibus aliisque est *identidem*, ex *itidem*, ac potius ex duplici lectione *idem* & *item* natum. Quam ob rem cum Lambino *item* restituo, quod a Cicerone frequentius usurpatum, eique infra etiam cap. 32, 11, redditum reperio. Lib. II, c. 14, *Non tamen, ut hoc fugiendum, item habendum est religioni nocentem aliquando defendere*. Ep. V, 12: Pro Cluent. c. 24. Pro Guilielmio facit Plaut. Amph. III, 4, 9, *Ut filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri*. Idem Capt. II, 2, 11. Terent. Phorm. III, 1, 12. Lucret. III, 11."

* *Idem tibi censeo faciendum*. „Gu. quart. mutato ordine *idem censeo tibi:* impr. Lips. 1513 *ita idem tibi*. Et elegans est, & magniloquentiae invidia Ciceronem levat, quod ex MS. Vinar. uno Oxon. Cockmanni & impr. Magont. revoçavi, *id tibi c. f.* Saepe veteres post *ut* particulam *ita* vel *sic* subintelligendam omittunt. Cicero Leg. II, 6. *Sed, ut vir doctissimus fecit Plato, atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de republica conscripsit, idemque separatim de legibus, id mihi credo esse*.

esse faciendum, ut prius quam ipsam legem recitem, de ejus legis laude dicam. Infra cap. 2, 9. Vide Cortium ad Salluft. Jug. II, 3. Adde Duker. ad Suet. Domit. 12. Pro *faciendum* rescripsi *faciundum*, obsecutus rationibus Jac. Gronovii Gruterum hoc loco graviter reprehendentis. Conf. patrui adnot. infra ad cap. 6, 6."

In utriusque orationis facultate: „ Ambiguum, quo *utriusque orationis facultas* referenda sit; utrum ad Graecam & Latinam; an ad forensem & philosophicam. Huc quidem illud me ducit, quod sequitur, *quam quidem ad rem nos magnum attulimus adjumentum hominibus nostris*: quod non de Graeca & Latina lingua, sed de utraque & in foro dicendi, & de philosophia disputandi facultate capiendum esse apparet."

Ex hoc igitur specimine apparet Animadversionis cum frequentia, tum accurata ratio & docta diligentia. De Cratippo forte plura dici poterant. Sed, ut in reliquâ crisi, ita in interpretatione, modum Heusingerus patruus eum tenuit, qui definiretur intelligentiâ locorum Auctoris.

Jam videamus alios locos, eos etiam, qui a nobis in censurâ editionis Ernestinae tractati sunt.

Lib. I. Cap. I. *Sed tamen nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique & Socratici & Platonici esse volumus, de rebus ipsis utere tuo judicio.* Agnoscimus rectum judicium Heu-

fingeri patrui, qui *utrique* accipit de Cicerone patre & Cratippo, seu, de Academicis & Peripateticis. Ita jam Erasmus, Betulejus, Maturantius, Lambinus. Turnebus vero ad unum Ciceronem retulit: Gronovius igitur *utrunque* legendum statuit: quem secutus Graevius longam orationem in eâ correctione adstruendâ consumsit, denique in aliam ipse discessit opinionem, ut *Stoici & Socratici* legere mallet. Et hi quidem, non satis attenti ad Philosophiae historiam & Ciceronis consuetudinem, viros tamen utriusque rei peritos, Davisium in nota ad Fabri Commentarium in Academica p. 269, Facciolatum & Ernestum, in vulgatae lectionis suspicionem induxerunt, quibus *utique* e quibusdam libris praeferendum videbatur. Sed veram interpretationem Rachelius adeo agnovit, & accurate defendit Pearcius. Erroris caussa fuit repetita particula *&*, quae priore loco forte ne a Cicerone quidem est; neque exstat in quatuor codicibus Guelferbytanis, quibusdam veteribus editionibus, & codicibus Duisburgensi & Groningano, quorum nos varias lectiones habemus.

I, 3. Hoc caput duos in primis difficiles habet locos. Primus est in principio, ubi quis definitionem *Officii* exspectet. Recte Jo. Michael Heusingerus, post Facciolatum & alios, Ciceronem a negligentiae crimine liberat, quum dicit, eum ita definisse *Officium*, ut ejus generis formas antea exponeret.

neret. Multo gravior difficultas est altero loco, qui definitiones *Officii* habet: *Atque etiam alia divisio est Officii. Nam & medium quoddam Officium dicitur & perfectum. Perfectum Officium rectum opinor vocemus, quod Graeci κατόρθωμα, hoc autem commune Officium vocant. Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum esse Officium definiant; medium autem Officium id esse dicant, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi queat.* Ita quidem oratio constituta est a Jac. Frid. Heusingero: qui obsecutus veteribus libris, *hoc autem commune Officium vocant*, restituit pro vulgato, *hoc autem commune* καθῆκον *vocant*: porro, haec verba ita interpretatus est, *Perfectum Officium, puto, vocare mihi licebit illud, quod a Stoicis rectum, Graece* κατόρθωμα *dicitur; illud vero medii Officii nomen communi Officio ponunt.* Docte quoque demonstrat, *hoc* nonnumquam ad remotius referri: *appellari hoc* non infrequens esse ea significatione ut sit, *hoc nomine appellari.* Quod vero affirmat, Stoicos numquam καθῆκον absolute dixisse pro *Medio Officio*, in eo adversantem habet orationem Catonis Fin. III, 17, 18, qui Stoicorum consuetudinem secutus videtur, cum *Officium* absolute pro *Medio Officio* posuit. Sed sit ita: non tamen intelligimus, quomodo bis idem dicere potuerit Cicero: primum, *Perfectum Officium rectum, opinor, vocemus*: mox, his ipsis verbis definiri dicat *Officium perfectum* a Stoicis, ut illud *rectum*

esse dicant. Quare nobis probabilis videtur Facciolati suspicio, haec verba, *Perfectum Officium — vocant*, insititia judicantis, & initio proximae periodi *Eaque* substituentis pro *Atque*. *Perfectum Officium* non nisi in sapientem cadit, qui scientiam tenet: *Medium Officium* in vulgares etiam, qui opinione & probabilitate reguntur. Itaque hujus est definitio, ὃ πραχθὲν εὔλογον ἀπολογίαν ἔχει, apud Diog. Laërt. VII 107, Stob. Ecl. II. p. 174: qui ceterum non satis consentiunt cum Cicerone, tum hoc loco, tum aliis praecipuis locis, Off. III, 3, Fin. IV, 18, Acad. I, 10: quod alias ostendemus. In Stoicorum doctrinâ de Officiis non est spinosior locus quam de Officii definitione ac divisione, ita descriptus a Zenone, ut media Officia in rebus indifferentibus ponerentur. Quam quidem rationem elegantiores postea Stoici deseruisse videntur. Nec reprehendendus videtur Panaetius, qui maluerit populariter agere ac notione communi uti, quam obscuram definiendi diligentiam attingere: quique, ut ipse prodit Cicero Fin. IV, 28, *Stoicorum tristitiam atque asperitatem fugiens, nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit.*

Ibid. *Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum Officium esse definiant; medium autem Officium id esse dicant, quod* cet. Priori censurâ assentiebamur Pearcio *definiant* delenti. Facciolatus maluerat *velint*, atque ita edidit. Persuasit nobis

Jac.

Jac. Fr. Heusingerus nil mutandum esse. Ita Cicero de Or. III, 10. *Sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur.* Sallust. Catil. LII, 23. Patruum etiam laudat ad Off. III, 3, fin. plura exempla proferentem.

I, 7. *Credamusque, quia fit quod dictum est, appellatam fidem.* Ita e codicibus *fit* pro *fiat* revocavit Jac. Fred. Heusingerus: & multis exemplis evincit, Indicativum frequentem esse in oratione suspensa. Groning. quoque habet *fit.*

I, 9. *Nam alterum justitiae genus assequuntur, in inferenda ne cui noceant injuria: in alterum incidunt. Discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt.* Sic locum constituit Jac. Fridericus, qui *justitiae genus* tuetur, & *incidunt* accipit pro *offendunt*, *violant.* Magis nobis probatur patrui Heusingeri ratio, *justitiae genus* ejicientis. Nec tamen minus placet nobis Facciolati lectio, quae in uno Langii libro est & consensu codicis Duisburgensis confirmatur: *Nam dum alterum justitiae genus assequuntur, in alterum incidunt injustitiae.* Ceterum eodem capite vidimus nostram Crisin confirmari, qua Indicativum vindicavimus, & pro *putant* conjecimus *putat* sc. *Plato.* Hoc & in aliis libris Heusingerianis est, cum quibus consentit Groninganus.

I, 14. *Nam & qui gratificantur cuipiam, quod obsit illi cui prodesse videantur, non benefici neque*

 libe-

liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt. Patruus Heusingerus pro *cuipiam* conjecit *quidpiam*: quod jam Facciolato in mentem venerat. De hoc nil monet Jacobus Fridericus, ceterum, obsecutus duobus codicibus scriptis & uni edito, *velle* delevit, quod in omnibus est reliquis libris, & Duisburgensi, Groningano, & tertio, quo utimur, Huydekooperiano, qui nunc est Hieronymi Boschii, viri doctissimi nobisque amicissimi. Nos quidem *velle* & ad sententiam necessarium, & ad elegantiam accommodatum judicamus. Ita enim additur Infinitivis aliis. Infra I, 31, *expendere opportebit, quid quisque habeat sui, eaque moderari, nec velle experiri, quam se aliena deceant.* III, 12, *dicere vitia oportere, cetera sine insidiis agere, & quoniam vendat, quam optime velle vendere.* Ib. 23, *Alexandriam se proficisci velle dixit*: ubi *velle* item delevit Jac. Frid. Heusingerus. Tres adeo Infinitivi sunt in dicto Crassi apud Cic. de Or. II, 11, *vinci posse pati*, id est *pati, ut possis vinci.* Nescio an perperam ejecerit Ernestus *facere* ex Verr. Act. I, 8, *se omnia mea caussa facere debere arbitrabatur.* Or. pro Quinct. 4, *auctionem velle facere desistit.* Fin. III, 17.

I, 15. *Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo in omnes, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati.* Ita hunc locum edidit Heusingerus, obsecutus plurimis Editoribus & libris, cum quibus faciunt etiam tres, quorum

quorum lectionibus nos utimur. Alii, quos Graevius secutus est, pro *modo* habent *morbo*: quod egregie confirmavit J. F. Gronovius ad Senec. Benef. I, 13, multis exemplis allatis, ubi *judicium* & *morbus* opponuntur. Sed duo restant explananda. Primum utramque scripturam tangit. Nam ut disjunctio appareat, prius *vel* in suum locum restituendum, si *modo* retineamus; ut sit, *vel sine judicio & modo in omnes, vel repentino* cet: aut *morbo* revocato, ita distinguendum, — *temeritate quadam sine judicio, vel morbo in omnes, vel repentino* cet. Cicero enim eorum, qui temeritate & sine judicio agunt, tamquam generis duas facit formas: alteram eorum, qui *universe in omnes* quodam quasi morbo liberalitatis feruntur: alteram eorum, qui *peculiariter in quosdam* impetu incitantur: illa in diuturnitate & consuetudine cernitur, haec in aliquo facto. Atque ita *morbus* in consuetudine vitii positus est: vid. Tusc. IV, 11. Secundum est, ut ostendatur, *morbus in aliquem* dici posse pro *cupiditate alicujus hominis*. Cujus, apud Graecos quidem, usus exempla haud sunt infrequentia: Plato Phaedr. p. 337. C. νοσοῦντι περὶ λόγων ἀκοὴν, i. e. *ei, qui vehementer cupit sermones audire*. Plutarch. T. II. p. 867. D. ἀνθρώπȣ φιλολίθȣ καὶ περὶ σφραγίδια πολυτελῆ νοσοῦντος. p. 546. F. τοῖς περὶ δόξαν νοσοῦσι. Conferantur Interpretes ad I. Timoth. VI, 4. Ab hac formâ non

multum abest Cic. Tusc. IV, 37, *ea res, ex qua animus aegrotat.* Forte quoque *morbo* ita possit referri ad sequens *incitati*, ut verbum quoddam simile subintelligatur. Nam simpliciter dici *morbo incitari*, hujus loci ratio recusare videtur.

I, 17. *Nihil autem est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum.* Doctâ observatione *copulatius* contra aliorum *copulantius* tuetur Jac. Frid. Heusingerus; cum docet, apud Graecos & Latinos, participia verborum passivorum facultatis significationem habere, & vim sustinere adjectivorum Latinorum in *bilis* exeuntium. *Copulatius* quoque nostri habent codices.

I, 22. *Atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit; eoque magis, si sunt ad rem militarem apti & cupidi bellorum gerendorum.* Jac. Frid. Heusingerus, admonitus aliquando a Ruhnkenio, in *cupidi* latere vocabulum quod *peritos* significet, conjecit *callidi.*

Ibid. *Licet eadem de Pausania Lysandroque dicere, quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedaemonis putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus & disciplinae conferendi sunt.* Ita locum exhibuit Jac. Frid. Heusingerus, ut post Gruterum, *dilatatum*, quod in nonnullis libris deest, ejiceret ex ea parte *imperium Lacedaemoniis dilatatum putatur*, atque ita interpretaretur, *imperium Lacedaemonis censetur, aestimatur.* Praeter locum

a

a Grutero allatum Verr. IV, 7, *Si denariis quadringentis Cupidinem illum putasset*, ipse excitat e Tacito Hist. III, 2, *Si numerus militum potius quam legionum putetur*. Nos de correctione non statuimus: agnoscimus Heusingeri studium revocandarum lectionum exquisitarum: quod aliis etiam locis ostendit. Ceterum erudite illustrat rationem hanc, *Pausanias & Lysander ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus & disciplinae conferendi sunt*, multis similibus locis: veluti de Orat. I, 44, *Si cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone, nostras leges conferre volueritis.*

I, 29. *Ludendi etiam est quidem modus retinendus: ut, ne mimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur.* Quod recepit *mimis* pro *nimis* Jac. Frid. Heusingerus, ipse antea conjiciendo assecutus est, quam vidit a Lambino ex uno antiquo codice memorari. Certe, in vulgatâ lectione turbatur, & *mimis* exquisitius est. „ Quis nescit" inquit „ plerique Romanorum quam insano studio mimis dediti fuerint. Nicolaus Damascenus quem adlegat Athenaeus VI, 17. Σύλλαν φησὶ τὸν Ῥωμαίων στρατηγὸν οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς, φιλόγελων γενόμενον, ὡς καὶ πολλὰ γῆς μέτρα αὐτοῖς δωρίζεσθαι. Notus ex Horatio I. Serm. II, 55. *Marsaeus, amator Originis, ille, Qui patrium mimae donat fundumque laremque.*" Mimorum in tali re frequens est mentio

mentio apud Auctores, qui fere celebrem illum Demosthenis locum imitati sunt, Olynth. II. p. 8. B. Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον, καὶ τοιούτους ἀνθρώπους, μίμους γελοίων — ἀγαπᾷ καὶ περὶ αὐτὸν ἔχει.

I, 35. *Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec orationis obscoenitas.* Hanc lectionem propter codicum consensum retinent Heusingeri, & ita exponunt, *nec orationis obscoenitas vacat petulantiâ.* Nobis, ut priori censurâ, ita nunc quoque placet, *nec oratio obscoenitate.* Nam, ut actioni *petulantia*, sic orationi peculiare quid, & quidem *obscoenitas*, tribuendum videtur. Supra 29, *si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas.* Hoc ipso capite, *quodque facere turpe non est, id dicere obscoenum est:* nostri tres libri in vulgatâ lectione consentiunt. Infra, 45, *ita obscoena, ut dictu quoque videantur turpia:* hoc loco vim habet, nec transponendum. Nam, quamquam *obscoenitas* & *turpitudo* tam de rebus quam de verbis dicitur; tamen *turpitudo* & per se de re & consilio magis dicitur, & in oppositione ejus *obscoenitas* ad verba refertur. Hoc, ut aliunde, ita ex illâ ad Paetum elegantissimâ epistolâ, Div. IX, 22, & Nonio p. 356, colligere licet. Igitur de Orat. II, 59, *verborum turpitudine & rerum obscoenitate vitanda*: potius credamus a Cicerone esse, *rerum turpitudine & verborum obscoenitate vitanda.*

I, 37. *Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito judicio*

dicio putares uti literarum : —— Sonus erat dulcis. Quum vulgatum fuisset *Nihil aliud fuit* cet. J. F. Heusingerus ejecit *aliud*, obsecutus plurimis libris; cum quibus etiam conveniunt nostri. Novam lectionem, ut solet, docte & ex usu Ciceronis confirmat. Poterat addi Or. pro Rosc. Com. 7, *Qui quamobrem Roscium similem sui in fraude & malitia existimat, nihil videtur: nisi forte quod praeclare hunc imitari se in persona lenonis animadvertit.* Vulgatum tamen, aut quod alii pauci habent, *Quid fuit*, non absurdum audemus pronunciare. Ceterum in verbis, quae proxime antecedunt: *in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis: utrumque omnino a natura petendum est: verum, alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium & leniter:* in his igitur nobis semper placuit *a natura optandum est*, quamquam in nullo, quod sciamus, libro repertum. Orat. 18, *Bonitas vocis optanda est, non est enim in nobis, sed tractatio atque usus in nobis.* Ita de Or. II, 84, *optanda* & *laudanda* opponuntur: illa sunt fortunae vel naturae munera, hae virtutis dotes. N. D. III, 24, *Aut enim in nobismet insunt ipsis, ut mens, ut fides, ut spes, ut virtus, ut concordia: aut optandae nobis sunt, ut honos, ut salus, ut victoria.* Neque quem offendat *optare quid a quo*; est enim satis frequens.

I, 40. *Deinceps de ordine & de opportunitate temporum dicendum est. Haec autem scientia continentur*

ea

ea, quam Graeci εὐταξίαν nominant: non hanc quam interpretamur modestiam, quo in verbo modus inest: ſed illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conſervatio. Itaque, ut eamdem nos modestiam appellemus, ſic definitur a Stoicis, ut modestia ſit ſcientia earum rerum, quae agentur aut dicentur loco ſuo collocandarum. Verba illa ſpuria judicata a Facciolato, *non hanc* —— *εὐταξία*, Heuſingerus patruus vindicat auctoritate Nonii Marcelli p. 30. Jac. Fridericus vero locum ita conſtituit, ut eum exhibuimus, quum vulgo legeretur: —— *Hac autem ſcientia continetur ea q. G. ε. n. n. haec. q. i. m. cet.*, ut nostri fere habent, niſi quod in Huydek. est *vocant* pro *nominant*, in Gron. & Duisb. *hanc* pro *hac*. Ceterum *hanc* ad *nominant* referri, durius nobis videtur: quare, ut ceteram partem correctionis Heuſingerianae retineamus, malimus *hac* pro *hanc* reponere, & proxima verba, *est εὐταξία*, inducere. Difficultas loci augetur etiam inde, quod ratio & nexus doctrinae Ciceronianae non ſatis animadvertitur, quodque penuria eum Latinae linguae ad *modestiae* vocabulum confugere coëgit. Capite 27, explicationem *Temperantiae* orditur, docens illam contineri *Decoro*, quod ipſum eſſe duplex: *generale*, quod ad totam honestatem pertinet: *peculiare*, quod hanc *Temperantiae* virtutem attingit, quodque exiſtit e quatuor perſonis, quas unicuique tribuit natura. Porro, capite

pite 35, *Temperantiae*, tamquam generi, tres subjicit formas, *Formositatem*, *Ordinem*, *Ornatum ad actionem aptum.* Non videntur in hac distributioue ad unam formulam consensisse Stoici. Diogenes Laërtius VII, 126, duas facit *Temperantiae* formas εὐταξίαν & κοσμιότητα, *Ordinem* & *Ornatum*: Stobaeus Eclog. II. p. 167, 168, quatuor, duas illas, ac praeterea αἰδημοσύνην & ἐγκρατείαν. Forte Panaetius tres fecerat, ut duabus illis adjungeret εὐσχημοσύνην. Definitio εὐταξίας est apud Stobaeum: εὐταξίαν δὲ ἐπιστήμην τοῦ πότε πρακτέον, καὶ τί μετὰ τί, καὶ καθόλου τῆς τάξεως τῶν πράξεων. Oppositi vitii nullum apud Graecos nomen esse, ait e Caesaris personâ Cicero de Or. II, 4. Atqui & fuit apud Stoicos ἀταξία, & apud alios ἀκαιρία. Vid. Is. Casaub. ad Theophr. Char. XII.

I, 44, Loci difficultatem, quam nobis transponendo expedivisse videmur, non memorarunt Heusingeri. In vulgatâ scripturâ consentiunt cum reliquis tres nostri libri.

Sed ne longius etiam ultra consuetudinis nostrae fines excurrat censura, e reliquis libris non nisi unum aut alterum delibabimus locum.

II, 9. *Justis autem & fidis hominibus, id est bonis viris, ita fides habetur.* Recte Jac. Frid. Heus. revocavit *viris*, quod est in plurimis scriptis libris, quibus accedunt Huyd. & Duisb. Poterat, qui correctiones omnes docte firmaret, usum Ciceroni-

num

nium notare in conjungendis vocabulis *viri* & *hominis*. Fin. II, 35. *Syronem dicis & Philodemum, cum optimos viros, tum doctissimos homines.* Or. in Caecil. 7, *accusandi voluntas ad viros fortes, spectatosque homines, translata sit.* Verr. I, 26, *jactatur domi suae vir primus & homo honestissimus.* Philipp. XIV, 3, *declaravit in Parmensium calamitate, quos optimos viros honestissimosque homines —— crudelissimis exemplis interemit.* In his Officiorum libris fere justi dicuntur *boni*, nec *boni homines* sed *boni viri.* Ita mox II, 10, *justitia ex qua una virtute viri boni appellantur*: & alibi frequenter: Idem Heusingerus retinet *& fidis*, quod non offendere debebat Patruum, qui in eo ejiciendo rationem vel Facciolati vel Pearcii probabat; quum ipse aliis locis recte tales repetitiones ex consuetudine Ciceronis vindicasset. Videantur quae supra notavimus ad I, 3.

II, 14. *Pro Sardis, pro M. Albucio Julius.* Jacobus Fridericus recte tuetur emendationem Pauli Manutii, *pro Sardis contra Albucium Julius*, eamque docte confirmat: nec in contextum recipit; quod in vulgatâ libri consentiunt.

II, 17. *Dicebat idem Cotta, Curio.* Docta est ac subtilis disputatio Jacobi Friderici restituentis hanc prope omnium librorum lectionem pro vulgata, *Dicebat idem C. Curio.* Illud quoque nostri confirmant: Groninganus diserte, *D. i. Cotta, Curio*: Huyd. *D. i. Comta, Curio*: Duisb. *D. i. Coeta, Curio.*

III.

III, 6. *Etenim ut membra quaedam amputantur, si & ipsa sanguine & tamquam spiritu carere coeperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic in ista figura hominis feritas & immanitas beluae a communi tamquam humanitatis corpore segreganda est.* Egregia est lectio, quam ex Vincentio Bellovacensi profert Jo. Michael Heusingerus: — *amputantur, si languere & tamquam spiritu carere coeperint, ne noceant reliquis partibus corporis.* Atque ita fere legimus in codice Huydek: *amputantur, si & ea languere & tamquam spiritu carere coeperint, & noceant reliquis corporis partibus.* Jacobus Fridericus tamen *sanguine* tueri videtur & pro *vitâ* accipere, ut in illo Horatii Carm. I, 24, 15, *Num vanae redeat sanguis imagini?*

III, 10. *Damonem & Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum caussa postulavisset; vas factus est alter ejus sistendi.* Constructio paulo exquisitior mendae suspicionem injecerat Gesnero, qui primo *ut* delere, postea *factus sit* corrigere tentavit. At vero Jac. Frid. Heusingerus acute & erudite vulgatam scripturam tuetur ex interioris Latinitatis & consuetudinis Ciceronianae observatione, qua ostendit, *ut* exemplum significans saepe poni eo loco, quo

abundare videatur. Huc accedit, quod omnes libri, tres etiam nostri, hanc scripturam servant, & Nonius quoque qui hujus loci partes sparsim excitavit p. 280, 484, 384.

III, 23. *Quid si una tabula sit, duo naufragi, iique sapientes? sibi neuter rapiat?* Hac lectione ex optimis libris petitâ Jac. Frid. Heusingerus sensum restituit loci, in quo mire turbarunt Editores.

Crisin nostram prioris censurae in duobus etiam postremis libris fere confirmatam reperimus; exceptis his locis: II, 10, *maledicos* non repudiant, *maleficos* ex una editione memorant: illud omnes, nostri quoque, habent libri. Ibidem *majores partes animi* tuentur, & est ita in nostris libris. II, 12, particulam *quamquam*, aliter atque nos, accepit Jac. Frid. Heusingerus: e nostra ratione Cicero eandem alibi posuit, veluti III, 22. III, 23, *isque*, quod nobis in *itaque* mutandum videtur, omnes habent libri, nec Heusingeri quid monuerunt. III, 10, *ut orandae litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet*, uterque Heusingerus *litis*, quod tantum non omnes codices habent, probant; Jacobus Fridericus etiam ita interpretatur, ut *accommodet* ad *amicitiae* referat; *litis* & in Gron. & Huyd. exstat. III, 13, *Quaero, si haec emtoribus venditor non dixerit — num injuste aut improbe fecerit;* Heusingeri *aut*, pro *atque*, vel *an*, quod in aliis libris est, de-

de-

derunt: ita quoque tres nostri habent; praeterea Huyd. *juste*, quod nos eo ducit ut probemus, *num id juste an improbe fecerit*: ſic harum particularum vim etiam accepit Schwarzius ad Turſellin. Partic. p. 516.

Ceterum frequentiſſimae ſunt animadverſiones, de vi vocabulorum & ratione conſtructionis, ex interiore Latinitatis ſcientiâ depromtae: qua in parte Jacobus Fridericus tantâ uſus est diligentiâ ac religione, ut non modo Temporum Modorumque conſecutionem ex auctoritate codicum referret, ac leges Erneſtinas corrigeret, ſed rationem quoque haberet collocationis verborum, veluti de formulâ *multo etiam magis*, quam vulgo in *multo magis etiam* mutarunt, & ſexcentis aliis formulis, ubi de verborum loco agitur. Eadem religio cernitur in vindicandis partibus iis, quas alii, in primis Facciolatus, tamquam inſititias, repudiaverant: quamquam veremur ut recte ubique illa Facciolati ratio reprehendatur. Illud unum forte non ſatis cum tantâ Heuſingeri religione convenire videatur, quod exquiſita quaeque ſtudioſius conſectatus est.

Igitur hac Heuſingerianâ operâ locus expletus est, qui adhuc in editionibus horum librorum vacabat: ut oratio Auctoris ad criticam rationem conſtitueretur, cum ex optimis codicibus, tum ex accuratâ cognitione Latinae linguae & conſuetudinis

Ciceronianae. Quod exemplum Heusingerorum speramus aliquam vim habiturum apud cives eorum Germanos, quorum plerique jam in eo versari videntur errore, ut putent se sine illa diligenti verborum cognitione tamen idoneos rerum elegantiarumque interpretes habitum iri.

IV.

IV.

ΠΕΡΙ ΛΙΘΩΝ. *De Lapidibus, Poëma Orpheo a quibusdam adſcriptum, Graece & Latine, ex editione* J. M. GESNERI. *Recenſuit Notasque adjecit* THOMAS TYRWHITT. *Simul prodit Auctarium Disſertationis de Babrio. Londini* 1781. 8.

Ex iis, qui nunc Critici in Britannia numerantur, dubito, an quisquam ullo ſit genere laudis Thomae Tyrwhitto anteponendus. Non enim vanis incertisque conjecturis lectorem ludit, aut ingenii ostentatione laſcivit, ſed criticae diſciplinae ſeveritate uſus, ſententiam cujusque Scriptoris amplectitur, ex eaque in omnes partes verſata facile elicit, quod prius ſcriptum erat. Has autem tam felices emendationes non, qui multorum mos est, Thraſonico flatu jactat, ſed ſumma modestia viris eruditis judicandas proponit. Testes ſagacitatis & moderationis ſunt Euripides, Plutarchus, & Babrius, de quibus alias diximus. Testis iterum libellus, cujus titulum hic poſuimus. Unde natum ſit hujus Carminis denuo recenſendi conſilium, docta praefatione explicatur. Cum enim vulgo, librorum veterum auctoritate,

Orpheo tribueretur, viri eruditi, in his jam olim Graeculus nescio quis, Demetrius Moschus, cujus argumentum libello praemittitur, temere sibi persuaserunt, omnia, quae dicantur, ex Orphei persona dici. Quod ubi semel pro vero sumtum erat, incredibile dictu est, quanta totius Oeconomiae, quam vocant, consecuta sit perturbatio, & quantae tenebrae rebus alioqui claris & perspicuis inductae. Gesnerus quidem, omnia ad istam opinionem interpretari conatus, quot se laqueis induit? quam misere sudavit, ut se inde expediret? At vero Tyrwhitti sagacitas cum vidisset, nihil in hoc Carmine, ex Orphei persona dictum esse, nihil omnino ad Orpheum referri, nullo negotio cum Carminis dispositionem perspexit, tum caliginem, quam aliorum error rebus offuderat, discussit. Scilicet libelli auctor lapidum vires enarrat, partim theurgicas, quibus Deorum benivolentia concilietur, partim medicas, quae adversus serpentum ictus & venena valeant. Hanc narrationem Theodamanti cuidam tribuit, qui deinde Helenum, Priami filium, ad Philocteten loquentem inducit: plus auctoritatis, ratus, praecepta sua habitura, si sub tam clari vatis nomine proderentur. Orphei autem nomen carmini ἀδεσπότῳ inscripsit imperitus aliquis, qui, similes ineptias ad Orpheum auctorem referri, alicunde audivisset. Nec alio errore vetus carmen περὶ καταρχῶν, Maximo, qui magiae crimine periit, adscriptum

ſcriptum videtur. Sed praeclarae hujus disputationis laus omnino communicanda est cum viro doctisſimo, Joanne Schradero Praef. ad Emend. p. 11. ubi carminis Oeconomia brevius quidem, ſed iisdem rationibus, explicatur. Ac neſcio, an utroque prior rem viderit Gisb. Koenius ad Gregor. de Dialect. p. 124: certe eum vſ. 388. veriſſime emendantem Πριαμίδαο pro Παλαμήδαο, vix poterant reliqua latere. Tyrwhitto Carmen ſcriptum videtur post A. C. 357. hoc est, post Imp. Conſtantii Legem in Cod. Theodoſ. IX. Tit. 16. 4. qua Magi, ſive, qui tum fere pro Magis habebantur, Philoſophi, gladii poenam ſubibant. Ad quod ſupplicium a Poëta reſpicitur vſ. 73:

> Καί κεν ὁ μὲν κονίαισιν ὑπ' ἄορι κρατὸς ἀμερθεὶς
> Λευγαλέῳ θανάτῳ δῖος φὼς ἐκτετάνυσται.

At cum jure dubitem, an Valentiniani & Valentis aetas carmen tam ſani coloris proferre potuerit, potius referam ad tempus Domitiani, qui, teste Dione Casſio LXVII p. 1111, philoſophos partim urbe & Italia ejecit, partim poena capitis affecit. Sub finem praefationis, quam Tyrwhittus libello praemiſit, velut in tranſitu, memorabilis & digna tali ingenio de Manethone animadverſio profertur. Primum multis indiciis, cum rerum, tum vocabulorum, demonſtratur, Apotelesmata non e Manethonis

Aegyptii, ſed ex incerti Poëtae, qui ſub occaſum imperii Romani vixerit, officina prodiiſſe. Deinde tam perſpicue, ut dubitari non poſſit, docetur, duos libros ex iis, qui Manethoni tribuuntur, nempe I. & V. non profectos a ſcriptore librorum reliquorum, II. III. IV. & VI. ſed ab alio verſificatore, interdum per turpe plagium, ex ipſius Manethonis verbis conflatos. Supereſt, ut ſpecimina quaedam egregiarum emendationum, quibus Carmen de Lapidibus reſtituitur, apponamus.

Vſ. 296. vulgo editur, nulla ſententia:

Ἐν γάρ σφιν μέγα δή τι φερέσβιος ἔμβαλε πνεῦμα
Ἠέλιος, ῥοῖζον ἐριχυδέος αὐτίκα Φωτὸς
Σεμνοτέρυς τ' ἰδέειν.

Hunc locum ſic conſtituit vir eruditiſſimus:

Ἐν γάρ σφιν μέγα δή τι φερέσβιος ἔμβαλε πνεῦμα
Ἠέλιος, ῥέζον ἐριχυδέας αὐτίκα φῶτας,
Σεμνοτέρυς τ' ἰδέειν.

Vſ. 301, & 302. in vulgatis editionibus ſeparantur, & cum mendis ſic leguntur:

Τόλμα δ' ἀθανάτυς καὶ ἐπεὶ μειλίσσεσθαι.
Μαγνήτην δ' ἔξοχ' ἐφίλησεν θούριος Ἄρης.

At

At utrumque Tyrwhittus conjungit, praeclare emendans:

Τόλμα δ' ἀθανάτυς καὶ ἐπεὶ μειλίσσεσθαι.
Μαγνῆσσα· τὴν δ' ἔξοχ' ἐφίλατο θούριος Ἄρης.

Vs. 356. in libris vulgatis est:

τόν ῥα βροτοῖσιν
Ἥνδανεν ἄλλοισιν καλέειν ἄψυχον ὀφείτην.

Nihil verius ejus correctione:

τόν ῥα βροτοῖσιν
Ἥνδανεν ἄλλοισιν καλέειν ἔμψυχον ὀρείτην.

Vs. 521. edd. vett. & MS. Parisin. habent:

καὶ χερσὶν ἐνοχριθέντα τέησι
Ἀμφαφάεις λίθον, ὃ πρὶν ἔχων ὑγρὸν δέμας ᾖεν.

At vir praestantissimus legi jubet:

καὶ χερσὶν ἐν ὀχριόεντα τεῇσιν
Ἀμφαφάεις λίθον, ὃ πρὶν ἔχων ὑγρὸν δέμας ᾖεν.

In qua emendatione nemo acumen & elegantiam desideret. Hom. Il. Θ. 327. Τῇ ῥ' ἐπί οἱ μεμαῶτα βάλεν λίθῳ ὀκριόεντι. Archias Analect. Brunck. T. II. p. 98. Καρπὸν ἀλεῖ Δηοῦς ὀκριόεντι λίθῳ.

Sed, quando de locis depravatis dicere coepimus,

 liceat

liceat de nonnullis, quae vir doctissimus praeteriit, sententiam nostram expromere. Vs. 13:

Ἀλλ' ἤτοι κείνους μὲν ἀμώμητοι Διὸς οἶκοι
Χαίροντας δέξαντο, θεηγενέων ὄχ' ἀρίστους.

Poëta scripsit χαίροντες.

Vs. 38:

καὶ πόντοιο κυκωμένου οὐκ ἀλεγίζων,
Βήσει τ' ἐπὶ τραφερὴν ἀκυμάντοισι πόδεσσι.

Verissima nobis videtur correctio Dorvillii ad Charit. p. 260. ἐπὶ τραφερὴν χθόν', nec Tyrwhittus quaerere debebat: *quid mirum, si aliquis per terram incedat siccis pedibus?* Sensus enim hic est: *e mari salvus in terram redibit.* Infra vs. 578. καὶ πολιὸν Νηρῆα κυκώμενον ἐξυπαλύξαι.

Vs. 68:

Ἐκ δ' οἵγε πτολίων τε καὶ ἀνδρῶν ἤλασαν ἐσθλὴν
Ἃ δειλοί, σοφίην.

Omnino legendum:

Ἐκ δ' οἵγε πτολίων τε καὶ ἀγρῶν ἤλασαν ἐσθλὴν,
Ἃ δειλοί, σοφίην.

Πόλεις & ἀγροὶ saepe conjunguntur. Phocylides, qui

qui dicitur, vs. 124: Ἀγροὺς καὶ πόλιας σοφίῃ καὶ ... μα κυβερνᾷ.

Vf. 119:

Πρίν περ ἀναστήσαντος ἀπὸ χθονὸς αὐχένα δεινὸν
Ἐφρασάμην.

Etsi vulgatam lectionem damnare non ausim, suspicor tamen, a Poëta scriptum esse:

Πρίν περ ἀνασχήσαντος ἀπὸ χθονὸς αὐχένα δεινὸν
Ἐφρασάμην.

ut sit imitatio Callimachi Fragm. 438: Ὅς, δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἰόλος αὐχέν' ἀνασχών. Vide Ruhnkenium Epist. Crit. II, p. 189.

Vf. 246:

Πέτρη, ἀλλ' ἔμπης πέλεται κρατερή τε γε πέτρη.

Tyrwhitti V. C. conjectura non multum aberravit a vero. Scribendum:

Πέτρη, ἀλλ' ἔμπης πέλεται κρατερὴ στερεή τε.

Sic vf. 562: ὥστε σε πάγχυ λίθον στερεὴν ὀΐσασθαι.

Vf. 251:

εἰ γάρ μιν ἐλαίῳ
Τριβόμενον τρίβοις κροτάφοις πάντ' ἤματα σεῖο.

Re-

Repone:

εἰ γάρ μιν ἐλαίῳ

Τριβόμενον χείαις κροτάφοις πάντ' ἤματα σεῖο.

Sic etiam legerunt Scholiast. Parisin. & auctor Epitomes ap. Tyrwhittum p. 99.

V. 265:

Καὶ γλαφυρὸν κομίσας ἐαρόχροον αἶψ' Ἰάσωνι.

Bene Tyrwhittus ἐαρόχροον accipit pro *viridi*. Quam explicationem confirmare potuisset ex Hemsterhusio ad Lucian. Nigrin. p. 52.

V. 304:

Ἠύτε παρθενικὴ γλαγόφρονι χερσὶν ἐλοῦσα
Ἠίθεον.

Legendum videtur:

Ἠύτε παρθενικὴ μαλακόφρων χερσὶν ἐλοῦσα
Ἠίθεον.

Supra vs. 35:

Καὶ μαλακὴ χρύσειον ἐπὶ λέχος αἰὲν ἐρύσαι
Ἄλληκτον κούρη.

Vs. 349:

Τόν ῥα μεθ' ὑσμίνην ἧκεν ποσὶν ἀτρεμέεσσιν.

Men-

Mendum manifestum, ἀτρεμέεσσιν pro ἀρτεμέεσσιν, tam diu ferri non debebat. Hesychium, easdem voces confundentem, castigavit Bentlej. Epist. ad Mill. p. 36.

Vs. 423:

Καί σφισιν ἐξαπίνης ῥόθος ἵσταται, οὐδέ τι πρόσσω
Νήχεται.

Pro νήχεται scribendum suspicor νίσσεται, quod de serpente est apud Nicandrum Theriac. 222: Ναιθεῖ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα διὰ δρυμὰ νίσσεται ὁλκῷ. & vs. 470: Οὔρεα μαιμώσσων ἐπινίσσεται ὀκριόεντα.

Vs. 434:

οὔ ποτε νόσφι
Ἔσθενεν Εὐφέρβοιο φέρειν Ἱκετάονος υἱός.

Hic locus, una littera mutata, sic expediendus est:

οὐ πόδε νόσφι
Ἔσθενεν Εὐφόρβοιο φέρειν Ἱκετάονος υἱός.

Vs. 510:

Ψεῦδός κεν φαίη, τόδ' ἐτήτυμον αἶψα τετύχθαι.

E vestigiis MS. Paris. ἄρα τετύχθαι, scribendum:

Ψεῦδός κεν φαίη, τόδ' ἐτήτυμον ἦ ῥα τέτυκται.

Sic

Sic supra vs. 242:

Ἦ ῥα ποτ' εἰναέτη λάβεν ἀμείνιον ἔθηκας.

Vs. 577:

Καὶ χόλον ἀνδροφόνον φεύγειν ἀπὸ ληϊστήρων.

Lege, transpositis literis:

Καὶ λόχον ἀνδροφόνον φεύγειν ἀπὸ ληϊστήρων.

Λόχος proprie dicitur de latronibus. Vide Cl. Valckenarium ad Bion. Carm. 15.

V.

Geschichte des Ursprungs, Fortgangs, und Verfalls der Wissenschaften in Griechenland und Rom, von CHRISTOPH MEINERS, *ordentlichem Lehrer der Weltweisheit in Göttingen.*

i. e.

Historia Doctrinarum, nascentium, crescentium, labentium, apud Graecos & Romanos; auctore CHRISTOPH. MEINERS. *Philosophiae Professore ordinario Gottingensi.* 8. *Lemgoviae. Vol. I.* 1781. *pagg.* 752. *Vol. II.* 1782. *pagg.* 808.

Qui hac aetate in Germaniâ Historiam veteris Philosophiae ornant, duo in primis sunt viri: alter, de quo nuper diximus, Tiedemannus: alter, de quo nunc dicere constituimus, Meinersius: cum suis uterque laudibus tum hac communi probandus, quod ad hoc argumentum tractandum plus acuminis majoremque cognitionem Antiquitatis, quam antea ab eorum civibus factum esset, attulerunt. Quare, quum in hoc libro ad auctoris commendationem accedat

cedat quoque materiae gravitas & ſpatii magnitudo, eo minus facere posſumus; quin ei locum in majoribus cenſuris demus. Et conſilium quidem operis, quod ex inſcriptione *omnes Doctrinas* complecti videtur, in praefatione ita circumſcribitur ab auctore, ut ad *Philoſophiam*, *Oratoriam*, & *Hiſtoriam*, referatur, e Philoſophiae autem ambitu excludantur diſciplinae *Mathematicae* & quae nunc *Phyſica*, & *Hiſtoria Naturalis* dicuntur, nec attingantur, niſi quatenus a Graecis communi Philoſophiae nomine ac poteſtate comprehenſae fuerunt: poſteaquam vero auctae divelli a Philoſophiâ & peculiariter tractari coeperunt, earum Hiſtoriam doctioribus auctor relinquit viris. Hujus modeſtiae alia deprehendimus ſpecimina: veluti, ubi dicit, *ſe minime dubitare quin aliquando in hac ſcriptione erràverit, meliora ſine acerbitate docentibus gratiam ſe habiturum tantam quantam medico, qui ſe morbis liberasſet.* Digna, profecto, Philoſopho ſententia! Igitur ſperamus, eum & nos ab ipſo ſine acerbitate ſubinde disſentientes aequo animo laturum: & condonamus ejus candori & reliquis laudibus, ſi quando ei quid ab illâ modeſtiâ alienum excidit, veluti ubi (Praefat. p. 27 & 28.) de Critica ſuâ facultate, quam excutiendis monumentis Pythagoricae Hiſtoriae adhibuit, ita pronunciat: *videor mihi in illo loco ita verſatus esſe, ut pauca ſuperſint hujus altioris Criticae artis mysteria, quae non aperuerim & ad imitandum expoſuerim.*

Jam

Jam in formâ & ratione hujus scriptionis duo in primis laudanda sunt: alterum, quod rerum externarum & civilium historia adjecta est, sine qua doctrinarum origo & progressus satis intelligi non possunt: alterum, quod non modo argumentum jucunde ac perspicue enarratur, sed veterum monumentorum auctoritates etiam subinde aestimantur. In materiâ quidem est, quod nonnihil desideremus. Hujus enim sumendae quamquam liberum est cuique Scriptori judicium, tamen sumtae delectus habendus est ejusmodi, qui maxime valeat ad consilium propositumque operis explendum. Igitur, & illae cum Philosophiâ conjunctae disciplinae, Mathematicae & Physicae, frequentius erant attingendae: & certe Poëtarum historia inde ab initio rerum Graecarum delibanda erat; quippe omnium antiquissima fuit Poëtarum disciplina, per eamque aditus ad Philosophiam & reliquas doctrinas factus est. Sed, cum hoc totum, tum ipsius operis ratio & forma, ut e nostrâ relatione intelligatur, de tribus primis exponemus libris; ita quidem, ut rerum externarum partem summatim notemus, rerum internarum, seu philosophicarum argumentum paulo uberius recenseamus, animadversiones vero nostras, ne forte descriptionis perpetuitatem turbent, paginae quamque suae subjiciamus.

Lib. I. *De statu & conditione Graecorum antiquissimis temporibus.* „ Artes ac disciplinae Graecorum

primum in Joniâ, tum in Siciliâ & Italiâ floruerunt, denique certam in Atticâ sedem habuerunt. Externis quidem advenis nil debuerunt Graeci, nisi aliquam partem cultus Deorum, initia agriculturae, scriptionis rationem & quaedam verba. Coloniae Graecae maritimam Asiae oram & Italiam paulatim occuparunt: e quibus Coloniis maxime Creta bonis legibus & institutis floruit, auctore Minōe: cujus exemplum apud alios etiam Graecos valuit ad meliorem rationem civilem & bellicas vires. Everso Ilio, multi hujus expeditionis socii in externas regiones concesserunt, vel errore in eas delati, vel domo exclusi. Hinc in ipsâ Graeciâ tyranni paulatim exstiterunt; unde otium bellorum, sed incrementorum retardatio. Nec potentiorum adeo civitatum, Spartae, Athenarum, Corinthi, ea erat conditio, ut artes ac disciplinas proferrent. Deinceps

(a) Tota haec pars, quae est usque ad aetatem Sapientum, probabilis & jucunda est: in singulis ejus locis, quod aliquoties fieri poterat, nil reprehendimus. Illud universe monere debemus, eam nobis non satis accommodatam videri ad gradus incrementorum & progressus ingeniorum explicandos: quod praecipuum est officium Philosophi, a quo exspectabatur, ut rem a fonte repeteret & per caussarum continuationem deduceret. Igitur, nostro quidem judicio, ab antiquissimis hominibus ordiendum erat, vel fabulosis illis Atlante, Prometheo, vel omnino a certioribus, Dardano, Cadmo, Amphione: tum dicendum de Delphico Oraculo, ibique constituto Musico

ceps aliae in Asiam deductae Coloniae, Aeoliensium, Jonum, Dorum, civili libertate, soli ubertate, coeli clementiâ, locorum opportunitate, navigationis & mercaturae studiis, brevi ad insignem florem ac potentiam creverunt: in primis Jones: ex hisque magis, Colophon, Samus, Phocaea; maxime Miletus, mater ipsa octoginta coloniarum, quae prima Graecis Aegyptum aperuit. Tandem Asiatici Graeci a Croeso subacti sunt. Hoc temporis spatio artes apud eos exstiterunt, vel ipsorum ingeniis prolatae, vel rudes & inconditae a barbaris acceptae, sed excultae paulatim & ad summum adductae: ex illo genere fuisse videntur Marmoris Sculptura, Pictura, Architectura: ex hoc, Musica, Metallorum Fabrica, Plastice. Certe paucissima sunt, quae barbaris debeantur (*a*). Ceterum in his florentissimis Asiae civitatibus, in primis apud Jones, plerique fuerunt eorum, qui vulgo Septem Sapientum numero celebrantur:

Musico certamine a Philammone, de aliis Oraculis & Sibyllis, de Musicis certaminibus pastorum; quae omnia magnam vim excolendae vitae rationisque humanae habuerunt: deinceps de Orpheo, Musaeo, Mysteriis, & Poëtis ante Homerum cum sacris tum civilibus: jam de Homero, & Hesiodo, in quorum carminibus plurima sunt indicia, ex quibus illius aetatis conditio intelligatur: porro de variis paulatim nascentibus carminis generibus, de Poëtis Cyclicis, aliis, Archilocho, Pisandro, de Elegiâ Ephesi a Callino prolata, & Colophone excultâ a Mimnermo, cet.

brantur: quorum ſapientia continebatur administratione & peritiâ rerum cum publicarum tum privatarum, reſpondendo de rebus dubiis, ut fere apud Romanos viri prudentiâ & auctoritate praecipui civibus copiam conſilii ſui facere ſolebant Nam, quod apud Platonem ait Socrates (Hipp. maj.), pleroſque ante Anaxagoram ſapientes abſtinuiſſe a reip. tractatione, magis ad cavillationem Sophiſtae, quam e re & vero, dictum videtur. Praecepta eorum enunciabantur brevibus ſententiis & *griphis*: & ipſa, & eorum ad hominum notitiam conſecratio in templo Delphico, conveniunt illius aetatis ingenio. In his vero ſententiis a poſterioribus Scriptoribus turbatum est, ut, & novae iis ſupponerentur, & veteres aliae aliis tribuerentur, nec ſuam quisque poſſeſſionem retineret. Carmina vero unius videntur fuiſſe Solonis: reliquorum nulla: de *quibus*, quae dicun-

(*b*) Non idonea ratio, quare Diogenis & Athenaei teſtimonia repudientur; qui profecto non eo ſunt loco, ut *in antiquorum ſilentio* nullam habeant auctoritatem. Hanc rationem ſi reliquis antiquis monumentis adhibeamus, maxima eorum pars repudianda ſit. Certior omnino erat res, ſi antiquiorum mentio accederet: ſin minus, non continuo falſa haberi debet. Sed ſolet fere V. Cl. abſolute pronunciare, nec gradus veriſimilitudinis ſatis ubique notare.

(*c*) Hoc item non ſatis certo documento colligitur e ſilentio Herodoti & Platonis. Nobis res ipſa non abhorrere videtur ab illius aetatis ingenio. Accedit teſtimonium antiqui & graviſſimi auctoris, Theophraſti ap. Plutarch. Solon. p. 80 E.

(*d*) Hoc

dicuntur a Diogene Laërtio & Atheneao, graviorum antiquiorumque Scriptorum, maxime Platonis & Aristotelis, silentio repudianda sunt (*b*). Numerus Sapientum nec ipsorum aetate, nec postea, constanter definitus fuit: complures ferebantur, e quibus Plato primus septem celebravit; alii Scriptores delectum alio modo fecerunt. Ad fabulas rejiciendae sunt pervulgatae quamvis narratiunculae de Tripede (*c*), de Convivio & Conventu Sapientum (*d*): certe Plutarcho abjudicandus est libellus, qui perperam ejus nomine fertur, de Septem Sapientum Convivio (*e*). Huic aetati proximi fuerunt Gnomici, qui vitae praecepta carmine tradebant, Theognis, Phocylides, Mimnermus, Simonides, & qui in eodem argumento aliam, jam ab antiquioribus inchoatam, rationem Fabularum constituit Aesopus, quae non ad solam oble-

(*d*) Hoc judicium minus etiam, quam priora, rationis habet: quippe Platoni, qui conventum Septem Sapientum Delphis memorat Protag. p. 206. G. opponitur silentium Herodoti & rei ipsius difficultas.

(*e*) Quin libellus Plutarchi sit, non dubitamus; quamquam non omnes, qui ejus nomine feruntur, ad ejus auctoritatem referimus. Stilo & oratione paulum differt ab aliis ejusdem scriptis; sed ita, ut Plutarchus tamen agnoscatur. Diversitas exstitit ex argumenti & hominum colloquentium antiquitate; ad quam nonnihil accommodanda erat oratio. Sed suam ipse sententiam V. Cl. repudiabit forte, ut fecit in libello de Socratis Genio, quem aliquando suppostitium pronunciaverat. vid. p. 248.

oblectationem sed vitae disciplinam valeret, & verisimilitudinem haberet ab antiquissimi seculi opinione nondum illâ tum exstinctâ, quâ bruta cum rudibus hominibus consuetudine ac societate copulata fuissent (*f*). Mirum forte videatur, simplici illo necdum luxuriâ corrupto aevo, lascivissimorum carminum Poëtas exstitisse, Alcmanem, Alcaeum, Sapphum, Anacreontem, Ibycum, nec severiores adeo & Gnomicos ubique ab illâ orationis licentiâ abstinuisse. At vero, est hoc ipsum ingenio illius simplicitatis accommodatum: quod apud Romanos optimis temporibus in Saturnalibus ac Fescenninis carminibus fuisse constat. Neque etiam, praesertim in Poëtis, qui verbis lascivus est, idem re ac moribus dissolutus est. Porro apud Graecos & Romanos viri & graves & optimâ laude florentes, in joco tamen & lusu liberiores ac solutiores fuerunt. Est quoque illud animadvertendum, plerosque illos Poëtas

(*f*) Elegans observatio, quam cum reliquis, quae de *Aesopo* traduntur, in melioribus hujus Capitis partibus censemus.

(*g*) Haec item pars docte & acute explicita est. Ceterum exspectari poterat accuratior explicatio caussarum, quae valuerunt ad incrementa disciplinarum artiumque in hac & sequente aetate: igitur de ingeniis & operibus Poëtarum uberius dicendum erat: item exponendum de rebus externis & institutis civilibus, quibus literarum studia aucta sunt, veluti, Solonis, Pisistrati, aliorum sapientum, qui principes auctoritate in civitatibus suis fuerunt: tum, quid regibus quibusdam & tyrannis debeatur, Croeso, Polycrati, Geloni, Hieroni, aliis.

(*h*) Ita

tas verſatos eſſe vel in aulâ Polycratis Samii, hominis voluptatibus dediti, vel certe ex Aſiaticis Graecis fuiſſe, ad quos luxuriae ac mollitiei contagio a vicinis Lydis manavit" (*g*).

Lib. II. *De Jonicâ Philoſophiâ.* „ Ex his Graeciae Sapientibus unus, & e reliquis primus, fuit Thales Mileſius (*h*), qui inquireret de rerum ortu, magnitudine & motu Siderum, Animo humano, & fundamenta jaceret Geometriae. Harum rerum cognitionem per colloquium & conſuetudinem cum amicis communicavit, quorum praecipuus fuit Anaximander. Nec enim ſcholam habuit, quod a Sophiſtis demum factitatum. Nec libros ſcriptos reliquit: quod colligitur cum ex Ariſtotele, ita ejus placita memorante, ut quae non ex ipſius ſcriptis, ſed ex memoriae traditione, repetantur: tum e Plutarcho T. II. p. 402. qui primus mentionem fecit libri Thaletis, ſed ita, ut eum ſpurium judicaſſe videatur (*i*). Nec, Anaxi-

(*h*) Ita quidem pervulgata ſententia: quae ita accipienda, non ut primus omnium fuerit, ſed ut ſuperiorum famam obſcuraverit. Vid. idem prudentisſimus ſcriptor Theophraſtus ap. Simplic. in Ariſt. Phyſ. p. 6.

(*i*) Recte ex Ariſtotele argumentum ducitur. Ceterum illa Thaleti adſignata ſcripta accuratius diſtinguenda ſunt: nam Carmen de *Nauticâ Aſtrologiâ* a pluribus lectum erat: librum ſecundum *de Principiis* laudat, & locum ſolutâ oratione ex eo refert, auctor in primis κριτικὸς, Galenus, T. VIII. p. 513: de cujus auctoritate nunc non ſtatuimus. Satis multa de Thaletis ſcriptis Menag. ad D. L. I, 27. & Fabric. B. G. I. p.

Anaximandri aliquod scriptum fuisse, affirmare licet, nisi forte illud Compendium Placitorum suorum, de quo monuit Apollodorus ap. Diog. L. II, 2. Anaximenis vero, qui hunc audivit, liber memoratus ab eodem Laërtio, II, 3, suppofititius censendus est, si quidem ejus oratio fuit simplex ac sine imaginibus (*l*): ceterum, ejus nativitas, non cum Apollodoro, l. l., in Ol. 63, sed ante 56 vel 58 ponenda est, quo tempore, secundum Eusebium & Pseudo-Origenem, jam floruit. Et hi quidem tres soli numerandi sunt Veteres Jonici: primi nativitas incidit in Ol. 38, secundi in 42. Anaxagoras, natus Ol. 70, Anaximenem audire non potuit (*m*), & ab Aristotele non hujus, sed Hermotimi Clazomenii, discipulus nominatur (*n*). Philosophiam tam multis post Homerum seculis proditam esse, non est quod incredibile

p. 239. Iis, qui eum nil scripsisse statuunt, addendus Alexander Aphrod. in Arist. Metaph. p. 12.

(*l*) Utrum hoc de libro quodam ejus, an de *Epistolis*, dicat Laërtius, non satis liquet. Quod vero ait, eum usum esse γλώσσῃ Ἰάδι ἁπλῇ καὶ ἀπερίττῳ, nil aliud est nisi, *Jonicâ Dialecto, simplici & non elaboratâ, sine ornamentis.*

(*m*) Non omnino abhorret a verisimilitudine haec sententia. Mire turbatae sunt rationes temporum, nec satis conciliari inter se possunt, si tenendum sit, in quo Antiqui consentiunt, Anaximenem fuisse discipulum Anaximandri & magistrum Anaxagorae. Prius repudiandum est, si Apollodorum sequamur, qui apud Diog. L. II, 2, 3, prodidit Anaximandrum non multo post Ol. 58. mortuum, Anaximenem vero Ol. 63. natum

dibile videatur; si quidem reputemus, eundem ingeniorum progressum fuisse apud Romanos, Arabes, & recentiores Europae populos, quippe apud quos Poësis diu ante alias doctrinas floruit. Illud magis mirabile videatur, primos illos Graecorum Philosophos non argumentum in promtu positum & cum communis vitae necessitate & utilitate conjunctum, tractasse, sed abditum potius & impervium humano ingenio, de rerum ortu, Deorum generibus & naturâ, Animorum vi & ratione, Siderum magnitudine ac motu. Sed idem aliis gentibus accidisse constat, cum crescentibus ad ingenii cultum, tum labentibus rursus, tum subactis a politiore gente in ejusque studia traductis. Atqui Graeci doctrinas quibus praestiterunt, suis ipsi pepererunt ingeniis, non aliunde acce-

natum esse. Sed posterior Apollodori locus manifesto corruptus est: quem alii aliter corrigere tentarunt, ut vel ex Interpretibus intelligitur. Aliam viam tentavit Corfinius Fast. Att. T. III. p. 112, qui statuit, Laërtium in describendo Apollodori loco turbasse, cujus vera mens & scriptura haec fuerit, *Anaximandrum obiisse Ol. 63, Anaximenem vero natum esse quo tempore Sardes captae sunt, id est, Ol. 59.* Sed hoc ipsum priori, eique diserto, loco Apollodori repugnat. Hujus quidem auctoritas, modo scriptura sit sana, omnibus anteferenda sit, & Eusebio, & Origeni. Suidas & Eudocia, qui Laërtium descripserunt, nil adjumenti praestant: nisi quod ex illius varietate colligitur, in numero turbatum fuisse.

(n) In hujus rei documentum diserta Aristotelis loca excitanda erant.

acceperunt, quod vulgo creditum est, vel a Phoeniciis, vel Aegyptiis, qui minus etiam illis in hac parte profecerant (*o*). Jonica Philosophia multis locis consentiebat cum Poëtarum fabulis & Theogoniis, unde profecta erat. Hesiodus, peculiarius quam Homerus, non modo Deorum generationes, sed ortum variarum Naturae partium, cecinerat: Philosophi, peculiarius etiam, de ortu omnium rerum, materiâ, & vi efficiente, quaerebant. *Hesiodus* Chaos pro rerum principio habuerat: ita *Philosophi* principium quisque informabat infinitum ac divinum, initii interitusque expers: Thales Aquam, Anaximander mediam quandam Aëris & Aquae naturam, Anaximenes Aërem. Caussam efficientem, quae ex illo aeterno materiae principio cuncta creasset, Tha-

(*o*) Locus eleganter tractatus. Illud tamen animadvertendum erat, alias cum vitae utilitate conjunctiores disciplinas jam ante Thaletem tractatas fuisse: rationem morum & vitae praecepta, a poëtis, Homero & Hesiodo: civilem prudentiam factitatam a Minöe, Lycurgo, aliis: utrumque a Sapientibus, qui septem dicuntur: Arithmeticam a Palamede: Medicinam ab aliis. Porro, quaestio de Deorum & Animorum naturâ ita hominum animos attingit & sollicitat, ut prima fere habenda sit, quae illos ad philosophicam contemplationem invitaverit, & minime ad subtiles nugas referri debeat.

(*p*) Thales vim illam efficientem potius *cum materiâ complicatam*, quam *per se subsistentem*, informavit; quod, ut ex reliquis hujus loci monumentis apparet, tum ex eo, quod distinctio Mentis efficientis a materiâ, omnium consensu, Anaxagorae auctori tribuitur. Nec vero Thales animam sensu & cogi-

Thales inducebat vim moventem per ſe ſubſiſtentem, quam Animam vocasſe videtur: Anaximander duas contrarias vires Caloris & Frigoris, illam e quâ omnia orirentur, hanc in quam ſolverentur: nec ab eo disſenſisſe videtur Anaximenes. Thales, omnia Diis plena, quos ortos esſe, Anaximander eosdem mortales etiam, pronunciabat. Thales Mundum animatum ſtatuebat, Animamque ipſam vim non niſi moventem (*p*) & eam per omnia, homines, bruta, plantas, lapides, fuſam: Anaximander & Anaximenes quid de Animâ ſenſerint, non conſtat (*q*). Talium igitur opinionum auctores & patronos ad cognitionem Dei ſapientisſimi ac potentisſimi, omnium rerum creatoris ac moderatoris, non perveniſse, facile est ad existimandum (*r*). Pherecydes de Diis eodem fere modo

cogitatione privavit, eique ſolam vim movendi reliquit. Nam ab eâ omnia animari, & mundum plenum Deorum esſe, ſtatuit: vid. Aristot. de Anim. I, 5; qui eum etiam in iis ponit, qui animae naturam tribus definiverunt attributis: κινήσει, αἰσθήσει, ἀσωμάτῳ: ib. I, 2. Ceterum, hunc locum uberius & accuratius tractavit Tiedemannus, De Primis Graec. Philoſ. p. 136. ſeq.

(*q*) Recte. Nil enim, quod & nos ſciamus, proditum de eorum ſententiâ. Videntur tamen, aut nil, aut parum, a Thalete disſenſisſe. Nam Scriptores antiqui, ut fere aliorum, ita horum, ea praecipue memorarunt placita, quibus a magistris disſenſerant.

(*r*) Non ſatis definite pronunciatum. Deum a materiâ non disjunxerunt, nec tamen actione & gubernatione ſpoliarunt: hoc & ex antiquisſimis Scriptoribus colligitur, nec pugnat cum

modo atque Homerus & Hesiodus finxit, nisi quod Jovem cum Crono & Terrâ aeternum statuit. Idem primus fertur Animorum immortalitatem docuisse: quod potius de Metempsychosi accipiendum; quippe immortalitas diu ante illa tempora populari religione, sacris fabulis, & Mysteriis, tradi coepta erat (r). Porro illorum inventa de rebus Mathematicis & Astronomicis, quamquam ita varie prodita sunt in historicis monumentis, ut difficile sit suum cuique vindicare nec aliena tribuere, tamen ea, de quibus constat, in principiis harum doctrinarum & eâ mediocritate versantur, ut ab Aegyptiis Phoeniciisque nil didicisse videantur. Et Thales quidem primus in Graeciâ Lunae defectus praedixit, & Aegyptiorum sacerdotes rationem metiendae altitudinis pyramidum docuit" (s).

Lib.

cum reliquis Thaletis opinionibus: vid. Tiedem. p. 139. Igitur non κριτικῶς agunt, qui recentiorum veluti Plutarchi ac Stobaei, & aequalium, auctoritatem repudiant, ubi cum antiquioribus conciliari potest. Porro, notari poterat progressus & iter rationis humanae. Poëtae, corporeae naturae & phantasiae servientes, informabant Deos ut personas quasdam & naturas similes hominibus sed excelsiores, iisque & vitae actionem & humanarum rerum imperium adjungebant. His proximi Theologi in explicatione naturae solam vim efficientem consectabantur, & Jovem ex machinâ inducebant: quorum errorem deinde fugientes Physici in contrarium abierunt, & in solâ materiâ abditas & primas rerum caussas posuerunt. Luculentus est de hac re locus Plutarchi. T. II. p. 436.

(s) De

Lib. III. *De Sectâ Pythagoricâ.* Cap. I, *De Scriptoribus vitae ac rerum Pythagorae ejusque Scholae & Philosophiae.* „ Haec una ex omnibus Historiae Philosophicae partibus maxime est turbata Scriptorum vario dissensu, fingendi licentiâ, temeritate; ut probabiliter constitui nequeat, nisi Scriptorum, quorum vel libri vel fragmenta & mentiones de hoc argumento exstant, auctoritas & fides accurate ponderentur. Igitur in quinque fere classes redigendi sunt (*u*).

„ Prima est eorum, qui ante Aristotelem fuerunt; nec uberiori descriptione censendi sunt, quippe qui non nisi obiter aliquam hujus argumenti partem memorarunt: *Herodotus*, *Anaximander*, *Andron Ephesius*, *Isocrates*, *Plato*, *Jon Chius*, Comici, *Aristophanes*, *Aristophon*, *Antiphanes*, porro *Theopompus*, *Metrodorus* Epi-

(*s*) De Pherecyde item diligentius Tiedemannus l. l. Ciceronis verba Tusc. I, 16, ita sunt accipienda, ut hic primus fuerit, qui hanc sententiam diserte literis consignaret.

(*t*) Elegans & ingeniosa explicatio.

(*u*) Hujus censurae utilitatem quidem intellexit V. Cl. nec tamen illâ reliqui Historiae Philosophicae loci carere possunt. Et, ut recte aestimetur Scriptorum fides, non tantum videndum quomodo in uno hoc loco, sed etiam quomodo in aliis, quos tractarunt, locis versati sint. In hoc vero loco, quamquam non unâ parte dissentimus, tamen inchoati operis laus debetur Viro Cl. Nos fere retulimus novas ejus partes, id est, *judicia*: reliqua, dudum prodita in libris eruditissimorum

Epicharmi filius, *Eudoxus* denique, cujus negligentia ut a Strabone notatur, ita apparet e duobus ipsius dictis apud Porphyrium & Jamblichum" (x).

„In secundâ classe sunt *Aristoteles*, cui summa tribuenda est auctoritas, cum intelligentiae tum fidei, quam perperam complures recentiorum labefactare studuerunt (y): in ejus, quae servata sunt, scriptis haud infrequens est mentio Pythagoreorum: sed de iisdem peculiares ejus libri perierunt, & a posterioribus hujus argumenti Scriptoribus fere neglecti sunt. *Heraclidem Ponticum*, & vita ejus apud Laërtium, & dicta ad nostram notitiam servata, declarant fuisse homi-

morum virorum, Vossii, Fabricii, &, quem praecipue secutus videtur V. Cl., Jonsii, noluimus repetere.

(x) His addi poterat *Epimenides* & *Xenocrates* ap. Jamblichum V. P. 7: e quibus illius mentio non satis est expedita: vid. Fabric. B. G. T. I. p. 501. Porro *Democritus* e Diog. Laërt. IX, 46. Item *Speusippus*; vid. Fabric. ib. p. 520. *Eudoxi* vero auctoritatem ita levibus ratiunculis repudiari, mirum nobis accidit. Nam Strabo & aliis multis locis summam ei tribuit auctoritatem, nec eum credulitatis & negligentiae accusat iis locis, quos Vir Cl. notavit: qui loci nil habent, quod cum reliquâ Strabonis de Eudoxo existimatione conciliari nequeat. Porro apud Jamblichum V. P. 7., ponitur in iis, qui Pythagorae patrem fecerunt Apollinem: apud Porphyrium 7, prodidit, Pythagoram non solum abstinuisse animalium esu, sed ne venatoribus quidem & coquis, id est *laniis*, appropinquasse. Prioris loci, si certa est fides, haec est sententia, ut hoc Eudoxus non e suo judicio sed ex opinione vulgari referat. Posterior nil habet absurdi. Sed solet fere

hominem fabularum studiosum, vanum, superstitiosum; ut in reliquorum silentio nulla ejus habenda sit ratio. Non minus fuit credulitatis ac temeritatis in *Clearcho*, quoad colligitur ex ipsius de Pythagorâ dictis apud Gellium & Laërtium (z): fragmentis vero ab Athenaeo servatis non est neganda fides, quippe rei verisimilitudine & idoneorum Scriptorum assensu commendantur. *Aristoxenus*, in quo fuerunt omnes egregii Scriptoris dotes, proximus habendus est Aristoteli; nec derogat ejus aut intelligentiae communis de Lyside error, aut fidei maledicentia, quam in Socrate & Aristotele ostendisse dicitur (a).

Di-

fere V. Cl., unâ sententiâ condemnare Scriptores, si quid prodiderunt, quod ipse non probat.

(y) Placuit nobis haec Aristotelis defensio: attigit eam quoque Tiedemannus V. Cl. lib. I. p. 126. seq.

(z) Apud Gell. IV, 11, e Clearcho & Dicaearcho refertur Pythagorae commentum, quo se ante hanc vitam in aliis aliorum corporibus fuisse perhibebat. Atque hoc, ut ipse vidit V. Cl., ita potest accipi, non ut ab ipsis creditum, sed ut vulgo celebratum, sit. Apud Diog. L. I, 9, Clearcho tribuitur opinio, *Gymnosophistas e Magorum genere profectos esse*. Haec igitur opinio tantamne habet vim, ut ejus patronus, *credulitate & temeritate*, cum Heraclide conjungatur?

(a) Ut erga alios severum nimis ita erga hunc indulgentem se praebet V. C. Fuit omnino magnus vir Aristoxenus; quamquam de Lyside, quem eundem, ex incendio Cyloneo fugisse & Epaminondam instituisse, prodiderat, negligenter erravit; quum ipse ejus pater Spintharus cum Epaminondâ fuisset: vid. Plut. Gen. Socr. p. 592. Poterat alia erroris nomine

adjun-

Dicaearchus negligentiae accuſatur a Polybio: narrat quoque de Pythagorâ quaedam incredibilia (*b*): ſed haec non ſuo ipſum asſenſu, ſed aliorum fide, retulisſe, cum aliis indiciis colligitur, tum ex ipſius ingenio & aliis placitis, quae quidvis potius quam ſuper-

adjungere V. Cl. ap. Diog. L. VIII, 8, 21, & 14; *Pythagoram praecepta moralia ſumſisſe a Themiſtoclea, vel ſorore vel Delphicâ: & primum apud Graecos menſuras & pondera instituisſe.* Item e Grammaticâ quidem ratione Ariſtoxeno tribuenda ſunt 16, *diſcipulos Pythagorae fuisſe Charondam & Zaleucum.* Quid igitur cauſſae est, quod hunc Scriptorem non ut reliquos judicat, ad quos condemnandos ſatis est rationis in tribus erroribus? E libro quarto Aristoxeni *Sententiarum Pythagoricarum* locum exſtare apud Stob. p. 457, ſcribit Jonſius I, 14, 5, quem ſequitur Fabricius B. G. T. II. p. 275. Atqui est locus Platonis, cujus nomen excidit, e libro IV de Legibus. Ceterum a crimine maledicentiae quidem in Aristotelem ſatis liberatur, non item in Socratem & alios. Jamblichus complures locos Aristoxeni, ſuppresſo ejus nomine, in librum de Vit. Pythag. transtulit. De quibusdam ſuspicatus est V. Cl: de aliis etiam nostra est conjectura, quam infra in illius libri cenſurâ explicabimus. Nunc quaedam notemus, quae manifestis indiciis deprehendimus. Sect. 176, ſententia ex Aristoxeno refertur a Stobaeo Serm. LXXVII. p. 457 Item Sect. 183: τὰς μαθήσεις τὰς ὀρθῶς γινομένας, ἑκουσίως δεῖν εἴασαν (l. ἔφασαν) γίνεσθαι, ἀμφοτέρων βουλομένων, τοῦ τε διδάσκοντος καὶ τοῦ μανθάνοντος· ἀντιτείνοντος γὰρ ὁποτέρου δήποτε τῶν εἰρημένων, οὐκ ἂν ἐπιτελεσθῆναι κατὰ τρόπον τὸ προκείμενον ἔργον. Stobaeus Tit. Inedit. περὶ παιδείας in Jo. Damaſceni Parallelis MS. Florent: Ἐκ τῶν Ἀριστοξένου Πυθαγορικοῦ ἀποφάσεων· Ἔφασκον δὲ καὶ τὰς μαθήσεις πάσας, τῶν τε ἐπιστημῶν καὶ τῶν τεχνῶν, τὰς μὲν ἑκουσίους ὀρθάς τε εἶναι, καὶ εἰς τέλος ἀφικνεῖσθαι· τὰς δὲ ἀκουσίους φαύ-

superstitionem produnt. His addendi sunt *Cleanthes Stoicus*, & *Duris Samius* magnae quidem hic apud Veteres auctoritatis, nec tamen ab erroribus immunis; uterque de patriâ & gente Pythagorae mentionem fecit (*c*)."

„In

φιλους τε καὶ ἀτελῶς γίνεσθαι. Sect. 197, seq. de Archyta & aliis, ex ejus vitâ ab Aristoxeno scriptâ sumtum videtur; quippe Spintharus, hujus pater, memoratur. Sect. 205 exstat item apud Stob. Serm. X. p. 132. Porro, Sect. 209 magnam partem retulit Stob. Serm. XCIX. p. 542. Deinceps omnia ad Sect. 214 continuantur; ut appareat ea ex eodem esse Aristoxeno: qui ut alia pleraque sumsit e Pythagoreorum scriptis, ita haec ex Ocello Lucano, Cap. IV. usque ad finem. Ed. Gal. p. 534 — 537. Unde colligitur, Ocelli opusculum antiquius esse Aristoxeno. Nisi forte V. Cl. contendat, Ocelli scriptum e libris Aristoxeni compilatum esse; ut nimirum sententiam suam alibi proditam obtineat, qua & hoc & Timaei opusculum & reliqua Pythagoreorum fragmenta, spuria esse pronunciavit.

(*b*) *Dicaearchus* a Polybio & Strabone erroris arguitur. Ergo illius auctoritas nulla est? Quis vero tam est eruditus ac certus auctor, ut nullo umquam loco aut reprehensus aut reprehendendus fuerit. Mirum est quod de Peloponneso dixit, *omnes ejus civitates maritimas fuisse*, ap. Cic. Att. VI, 2. At de antiquissimo tempore dixit, nec *urbes*, sed *civitates*, i. e. *populos*: quorum nullus in Peloponneso fuisset, quin aliqua parte mare attigisset ac portum habuisset. Jam, quae de Pythagorae *obitu* & *commento* Metempsychoseos prodidit, ejusmodi sunt, ut etiam si de iis aliorum opinionem probasset, non continuo negligens & credulus haberi deberet.

(*c*) De *Cleanthe* laudari poterat Vosf. H. G. I, 16. & Fabric. B. G. T. II. p. 396. De *Duris Samii*, ut de aliorum, erroribus judicium mallemus non excidisset Viro Cl.

 Quis

„ In tertiâ classe sunt, *Timaeus*, cujus negligentiam, & cum in laudando tum vituperando temeritatem, notarunt gravissimi Auctores; ut, ubi rebus ab eo traditis non adsit verisimilitudo aut aliorum Scriptorum consensus, fides ejus nulla sit. *Hermippus*, laudatus quidem Josepho propter honorificam Iudaeorum mentionem, e quorum doctrinâ Pythagoras quaedam hausisset, nullius auctoritatis habendus, quum Pythagoram simul callide fraudulentum & stupide superstitiosum finxerit. *Neanthem* negligentiae accusat Plutarchus, & arguunt haud pauca incredibilia de Pythagoricis prodita (*d*). Major longe est auctoritas *Alexandri Polyhistoris*; licet enim credulitatem in sequendo Beroso ac Manethone, & vanitatem in affectandâ peregrinâ doctrinâ, ostendit, tamen in argumento de Pythagoricis veteres eorum & germanos libros adhibuisse videtur. *Diodorus Siculus*,

Quis enim ab erroribus immunis Scriptor? Sed qui sunt isti errores? Duo sunt: alter, a Timaeo reprehensus, de Charonda Locrorum Legislatore, ap. Cic. Att. VI, 1: alter, a nemine facile reprehendendus, de Socrate Athenis in Lapidarii officinâ serviente, ap. D. L. II, 19.

(*d*) De *Timaeo* & *Hermippo* consentimus, sed magis in judicio quam in rationibus: minus de *Neanthe*; nam & ejus narrata liberari possunt negligentiae suspicione, nec Plutarchi locus diligenter excussus eum negligentiâ & credulitate notat: Strabo quidem eum contra Demetrium Scepsium tuetur, I, p. 45.

(*e*) *Alexandri* & *Diodori* ea est auctoritas, ut tam levibus argumentis labefactari nequeat.

(*f*) His-

Siculus, eodem cenſendus loco; nam ut in aliis rebus nec diligens ſatis & nimius rerum peregrinarum admirator fuit, ita pleraque de Pythagoricis ab eo tradita ad meliores Auctores veluti Ariſtoxenum & Dicaearchum referenda ſunt (*e*). His addendi ſunt, qui obiter hoc argumentum attigerunt: *Hieronymus Peripateticus*, cujus una exſtat Pythagorae mentio, ſed ea minime veriſimilis: eum narraſſe, ſe apud inferos Heſiodi animam cruciari vidiſſe: quae narratio cum ab reliquo Pythagorae ingenio abhorret, tum ab ejus admiratione & ſtudio Heſiodi & aliorum Poëtarum. *Lycus* imperitiam ſuam oſtendit, cum dixit, Pythagorae patriam propter Auctorum diſſenſum definiri non poſſe (*f*). Nec *Sotion* gravis Auctor habendus; quippe haud pauca prodidit, in quibus acumen & diligentia deſideretur (*g*); igitur non audiendus, cum Pythagorae duo

(*f*) *Hieronymi* dictum non adeo abhorret a Pythagorae ingenio. *Lyci* potius modeſtia laudanda, quam ignorantia vituperanda, qui in tanto Scriptorum diſſenſu pronunciare noluerit.

(*g*) Hujus reprehenſionis tria teſtimonia profert V. Cl. Primum, quod dixerit, *Magos fas putare cum matribus & filiabus rem habere*, ap. Diog. L. Proëm. 7. Atqui conſentiunt idonei Auctores laudati a Menagio. Alterum, quod, contra totius Antiquitatis conſenſum, *Eudoxum Platonis diſcipulum nominaverit*, ap. Diog. L. VIII, 86. Atqui in hoc omnis conſentit Antiquitas: Cicero Div. II, 42. Strabo XIV. p. 656. & multi alii, quos laudant Interpretes ad Diog. L. l. l.

 Ter-

duo scripta tribuit, alterum, *de Naturâ Universi*, alterum, *Sacrum sermonem* (*h*). Sequuntur *Eratosthenes*, *Aristarchus*, *Philochorus*; e quibus prior, quamquam saepius a Strabone reprehensus, summam apud Veteres auctoritatem habuit: alter Pythagoram gente Tyrrhenum fecit: tertius de mulieribus claris Pythagoricis librum conscripsit, e quo illarum fortia facta a Jamblicho repetita esse credibile est. In *Ciceronis* (*i*) locis ii sunt praecipui, ubi de aetate Pythagorae dicitur. In eadem fere tempora incidunt duo Pythagorei, *Didymus* (*l*) & *Philo*: illius fragmenta non sunt tanta numero & momento, ut peculiariter de iis disceptetur: hic admirator sapientiae Judaicae, multis indiciis credulitatem temeritatemque prodidit. *Strabo* denique eruditissimus & acutissimus Scriptor, idemque veri indagator & errorum reprehensor acerrimus, tamen nonnumquam adeo

Tertium, quod perhibuerit, *Xenophanem primum statuisse, nil comprehendi posse*: in quo si erravit, ut quidem vult Diog. L. IX, 20, hoc ejusmodi est, ut hic error non nisi e falsâ interpretatione dicti existere possit. Igitur putamus, hanc Sotionis reprehensionem Viro Cl. aliud agenti excidisse.

(*h*) Hos libros alii quoque memorarunt Scriptores, de quibus videatur Menag. ad Diog. L. VIII, 7. & Fabric. B. G. T. I. p. 462. An germana fuerint Pythagorae scripta, non definimus; nec tamen verisimile est, eum nil scriptum reliquisse. Certe ex Heracliti dicto ap. Diog. L. I. I, 6. item ex Jonis Chii mentione ib. 8, colligitur, fuisse haud pauca Pythagorae scripta. Conf. Cl. Tiedemannus p. 342.

(i) De

adeo incogitanter pronunciavit, ut & ingenium ejus & doctrina desideretur: veluti de victu & moribus Getarum & laudibus Zamolxidis, de doctrinâ Aegyptiorum & Chaldaeorum, de peregrinationibus Pythagorae ad Orientales populos, & aliis rebus. (*m*)."

„ In quartam classem conferuntur Scriptores incertae aetatis. *Antiphon* in summe credulis & negligentibus habendus est, ob ea, quae parum verisimilia & a melioribus Auctoribus dissentientia prodidit de scholâ Pythagorae Samiâ, & speluncâ in qua cum amicis degisset, item de literis quibus eum Polycrates Amasidi commendasset. Nec multo melioris notae est *Sosicrates*; quippe, Heraclidem secutus, inventionem nominis *Philosophiae* ad Pythagoram retulit, Chilonem primum Ephorum statuit, & Aristippum quidquam scripsisse negavit (*n*). Denique *Lycon*,

(*i*) De *Cicerone* uberiorem exspectabamus disputationem.

(*l*) Potius *Academicus* fuisse videtur, ut probabiliter ostendit Jons. l. l. III, 1, 3.

(*m*) Judicium nimis durum, in quo & modestiam & diligentiam desideremus. Tanti quidem viri non ita continuo accusandi, si quid dixerunt, quod nobis non verisimile videatur. Facile est Strabonem vindicare; sed longius pro nostris finibus.

(*n*) Nec de *Antiphonte* omnino assentimur, & de *Sosicrate* dissentimus. De primo Spartae Ephoro, minime consentiebant Veteres; & πρῶτος ἔφορος ex verisimillimâ interpretatione Palmerii, non est *primus tempore Ephorus*, sed *primus dignitate eorum, qui cum eo fuerunt Ephori*: vid. Menag. ad Diog. L. I, 68. *Aristippum nil scripsisse*, non in negligentiae erro-

 ribus

Lycon, *Dionysiphanes*, *Hippobotus*, *Androcydes*, *Apollodorus Arithmeticus*, paucissima prodiderunt de hoc argumento: quae ipsa pleraque fere ejusmodi sunt, ut

ribus debet poni; nam nec ille unus hoc dixerat, & Sotion ac Panaetius complures, qui Aristippi nomine ferebantur, libros suppositítios judicaverant: vid. Diog. L. II, 85. Hic etiam plerorumque Socraticorum Dialogos spurios pronunciaverat, ib. 64: qui duo loci quomodo conciliandi sint, nunc non disputamus. Quod vero, Heraclidem secutus, *Sosicrates* Pythagoram auctorem nominis *Philosophiae* fecit, nemo reprehendet nisi is, qui constantem Antiquitatis consensum repudiare audeat. Est haec nova & inaudita Viri Cl. opinio, *non Pythagoram, sed Socratem fuisse auctorem hujus nominis*, p. 1181. Quae opinio, ut breviter dicamus, nobis non probatur. Si Socrates fuisset auctor, profecto, ejus rei mentio exstaret, vel apud Aristophanem in Nubibus, aut certe apud Xenophontem & Platonem. Nam hic quidem in fine Phaedri minime hoc significat, Socratem fuisse primum, qui loco σοφοῦ nomen φιλοσόφου induceret. Porro & hic & Xenophon ita in Dialogis colloquentes faciunt eos, qui nomine *Philosophiae* utuntur, ut illud non pro novo, sed pro pervulgato, habuerint. Nec in perditis Socraticorum scriptis nominis inventio ad Socratem relata fuit; neque enim nulla ejus rei prodita esset memoria; nec Cicero, ut nil aliud dicamus, vir doctus & prudens, & qui Socraticorum scripta haberet, Tusc. V, 3, originem nominis ad Pythagoram retulisset, Heraclidem secutus; quem non ab omni parte contemnendum esse, vel ex Ciceronis de eo existimatione colligitur. Atqui aliis locis sibi constat; v. c. de Orator. III, 16, ubi significat, Socratem nominis potestatem mutasse: *Is —— iis, qui haec, quae nos nunc quaerimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio atque in iis exercitatio* PHILOSOPHIA *nominaretur, hoc commune nomen eripuit*,

ut superstitionis vel negligentiae indicia habeant. De *Eudoro* postea dicetur, & eum post Nicomachum fuisse ostendetur."

In

puit, sapienterque sentiendi & ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, disputationibus suis separavit. In Graeciâ reliquâ & Joniâ nomen *Philosophiae* ante adventum profugorum Pythagoreorum non videtur fuisse frequentatum solemniter illâ quidem post vulgatâ significatione: sed tamen fuisse, nec a consuetudine abhorruisse, ostendit analogia, quâ similiter innumerabilia composita erant vocabula, φιλαρχία, φιλεταιρία, φιλογυμναστία, cet. Praeter Herodotum, quem laudat V. Cl., verbo φιλοσοφεῖν utuntur Thucydid. II, 40, Lysias Or. VIII, p. 113, XXIV, p. 169. Apud Jamblichum V. P. 44. proditur, Pythagoram se loco σοφοῦ appellasse φιλόσοφον: atqui hic locus, secundum quidem crisin ipsius Viri Cl., sumtus est e Dicaearcho, gravissimo Scriptore. In Fragmentis Pythagoreorum satis est frequens nomen: veluti Lysidis Epist. ap. Jamblich. V. P. 75, 76. Hipparch. p. 376, & alibi. Sed haec omnia Fragmenta, cum ipsis Ocelli & Timaei libellis, spuria pronunciat V. Cl: cujus rationes nobis quidem minime satisfaciunt, & leviores pro argumenti gravitate videntur. Sed, quandoquidem nunc non in illo libri loco censura nostra versatur, de unâ orationis formâ dicamus, quae ejusmodi est, ut Grammaticus, id est, homo qui usu & scientiâ Linguae Graecae valeat, tritasque babeat aures notandis orationis generibus, facile agnoscat varietatem Auctorum & eum Antiquitatis colorem, quem posteriores imitando exprimere non possent. Praeiverant hac in opinione Viro Cl. alii, quorum princeps est Conringius, eruditissimus quidem ille vir, sed idem interiore Grammaticâ ratione non satis subactus. Modestius certiusque hoc in loco versatus est Cl. Tiedemannus l. l. p. 191—211.

„ In quintâ ponuntur classi, qui post Christum natum fuerunt: hi vel mentionem tantum injecerunt hujus argumenti, veluti *Plinius*, *Plutarchus*, *Apulejus*, *Lucianus*, *Philostratus*; quibus longe minoris auctoritatis sunt Platonici e seculo quinto & sexto, & Patres Ecclesiastici: vel ex instituto de hac re exposuerunt, ut nobis quoque peculiarius de iis dicendum sit."

„ Primus est *Apollonius Tyaneus*; hujus enim nec alius cujusdam Apollonii esse locos apud *Porphyrium* & Jamblichum, intelligitur multis argumentis; primum per excellentiam & simpliciter Apollonius appellatur, ut apud Apulejum: deinde constat e Suida, Tyaneum scripsisse vitam Pythagorae, quod testimonium si quis Philostrati silentio labefactare velit, is cogitet Philostratum scripta Apollonii non ex instituto recensuisse, sed tantum datâ occasione memo-

(v) Locos illos apud Porph. & Jambl. e libro Apollonii *Tyanei* esse, suspicatus jam erat Jonsius, III, 5, 4: quem secutus videtur Fabric. B. G. T. I. p. 492, nec tamen repetiit sententiam suo loco T. IV. p. 60. Sed hoc totum nobis minime persuadent rationes a Viro Cl. allatae. Eum simpliciter *Apollonium* vocari, nil efficit pro sententiâ Viri Cl: potius contra eam valet. Nam si Tyaneus foret, aliquam ejus rei mentionem fecissent Porph. & Jambl: aut certe ejus auctoritatem prae reliquorum auctoritate extulissent, & plura ex eo libro attulissent. Nunc *Apollonius* vocatur, ut unus e reliquis. Apulejus Tyaneum simpliciter *Apollonium* nominare poterat, ut in recenti ejus memoriâ & enumeratione Magorum.

morasse: porro in illis fragmentis ita inducitur Pythagoras, ut eum ipse informaverat & similitudine vitae exprimere studuerat Apollonius; in qua similitudine si desideratur Pythagorae Indica peregrinatio, animadvertendum est, Philostrati Apollonium non statuisse Pythagoram apud Indos fuisse, sed sapientiam Aegyptiorum, apud quos fuisset Pythagoras, ab Indis profectam esse (*o*). Proximus est *Moderatus Gaditanus*, qui contendit, Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Aristoxenum, omnia bona a Pythagoreis sumsisse, nec iis reliquisse nisi nugas & res ad reprehendendum expositas: idem primus Arithmeticam eorum ad Idearum significationem traduxit: quorum utrumque insignem Antiquitatis ignorantiam ostendit: tamen in Arithmeticâ explicatione eum secutus est Plutarchus; hunc item recentiores Platonici

Magorum. Porro ratio & oratio illorum locorum apud Porph. & Jambl. habet simplicitatem, elegantiam, doctrinam, nec notas fanatici ingenii, quo Tyaneus censetur: nisi forte de Pythagorae e monte Carmelo descensu & navigatione: quae tamen ejusmodi sunt, ut ab alio quovis non imprudente nec contemnendo Platonico dici potuerint. Quid? quod eos reprehendit, qui Pythagoram e Pythaide matre ex Apolline conceptum prodiderant: ap. Jambl. 7. *Tyanei* Vitam Pythagorae unus memorat Suidas: cujus error forte inde ortus est, quod *Δόξας Πυθαγόρου* ap. Philostrat. VIII, 19, cum *Vitâ Pythagorae* ab alio Apollonio scriptâ confudit. Ceterum Apollonius ὁ *Μῦς*, quem e Strabone memorat V. Cl., longe alius & ab hoc loco alienus est.

tonici & Patres Ecclesiastici (p). Moderati rationem tenuit *Nicomachus*, multa etiam fabulosa de Pythagora memoravit, ut nullam in explicatione hujus argumenti habere possit auctoritatem. Nec fides habenda est *Diogeni* illi, e cujus opere *de Incredibilibus ultra Thulen* locum protulit Porphyrius, addens, eum accurate de Pythagora prodidisse: ceterum, eum non ante tertium, post Christum, seculum floruisse, apparet inde, quod in hoc argumento cum alios, tum Moderatum & Nicomachum, secutus est

(p) Horum nil probare possumus. Primum; si *Moderati* sint verba apud Porph. V. p. 53, possit in eo defendi, multa Platonem, Aristotelem, & reliquos a Pythagoreis sumsisse. Deinde, dudum ante Moderatum ab ipsis Pythagoricis numeros ad Idearum significationem relatos fuisse, apparet ex Aristotele, Cicerone, tum Alexandro ap. D. Laërtium, & Sexto Empirico, qui ex Veteribus hauserunt Pythagoricis: ne dicamus de Timaeo & Fragmentis Pythagoreorum. De Plutarcho novum est nec ullo argumento confirmatum. Sed forte hoc loco major etiam, quam in reliquis, festinatio Viri Cl. fuit. Narrat, Aldobrandinum ad Diog. L. VIII, 25, locum proferre è Moderati libro, qui tunc nondum intercidisset. Nos, ad rei novitatem inspecto loco, deprehendimus, Aldobrandinum de Porphyrii libro de V. P., tum nondum edito, loqui, & hunc ipsum locum proferre, quem ipse V. Cl. e Porphyrii editione refert. Ceterum instituti ratio postulabat, ut de Plinio, Plutarcho, Luciano, & omnino iis, qui exstant, Scriptoribus, accuratius exponeretur. Ne Aelianus quidem omittendus erat. E perditis autem addendi erant Antidides ap. Diog. L. VIII, 11, & Phavorinus ib. 12, 15.

est (*q*). *Numenius*, aequalis Plotini, & in ſcholâ Athenienſi doctor (*r*), Platonica item cum Pythagoricis conjunxit: Platonem multa Judaeis debere contendebat & Moyſis Attici nomine condecorabat, Magorum quoque Aegyptiorum non minus quam Moyſis miracula praedicabat; ut facile intelligatur, Pythagoram quoque ab eo in ſimili genere habitum fuisſe (*s*). *Diogenes Laërtius*, cujus totus octavus liber est de Pythagoricâ ſectâ, ceterum nullo compilator judicio, tamen a fraudis ſuspicione vacat: duas quidem hujus libri partes e bonis fontibus

(*q*) Recte hujus Diogenis repudiatur fides, quae nulla esſe potest propter argumentum libri fabuloſum. Quod a Porphyrio dicitur, *ἀκριβῶς de Pythagora tradidisſe*, non de historicâ diligentiâ, ſed de rerum ſingularium continuitate & copiâ, accipiendum. Eum non diu post Alexandrum M. fuisſe, auctor est Photius, cujus rationes forte confirmari posſint: vid. quos laudat Fabric. B. G. T. IV. 810. Conjectura quidem Viri Cl., *Diogenem apud Jamblichum inedita e Moderato & Nicomacho ſumſisſe*, adeo levis est, ut ratio ejus haberi nulla posſit.

(*r*) In notâ ſubjectâ excitatur *Porphyr. in Vita Plot.*, non diſerte ſignificato loco libri. Atqui nil est in toto libello, unde intelligatur Numenium aequalem Plotini & in Athenienſi ſcholâ doctorem fuisſe. Veriſimili ratione in Antonini Pii aetatem retulit eum Jonſius, III, 10, 4.

(*s*) Haec reliquis viri laudibus non obesſe debent. Doctrinae & orationis praestantiâ commendantur ejus fragmenta; in quibus etiam ſunt, ubi partes Historiae Philoſophicae diligenter explicantur.

tibus duxit; nam sodalitium & instituta Pythagoreorum ab Aristoxeno, doctrinae explicationem ab Aristotele & Alexandro sumsisse videtur. *Sextus Empiricus*, in cujus decimo libro longus est locus de Arithmeticâ Pythagoreorum, cum Diogene in praecipuis doctrinae placitis tantum consentit, quantum uterque a Moderato & Nicomacho dissentit (t)."

Jam nostra censura ad eum venit modum, ut locum de Porphyrio & Jamblicho, & reliqua libri tertii capita, in aliud, si quod erit, tempus reponere cogamur. Est omnino judicium de auctoritate Veterum Scriptorum una difficillima pars Criticae Artis; quippe quae continetur longo eoque Grammatico & accurato usu Veteris Historiae, cum Philosophicae, tum universae, ac totius eruditae Antiquitatis: postulat quoque justam & prudentem existimationem ingenii humani, ne forte eo inducamur, ut paucorum errorum caussâ, qui saepe ne sint quidem sed videantur tantum nobis errores, gravissimorum Auctorum fidem repudiemus. Quam rationem si nos Viro Cl. adhibuissemus, qui pluribus ab eo locis, nec forte sine idoneis argumentis, dis-

(t) Nimis vage pronunciatum. *Sextus* de recentioribus Physicis Pythagoreis agit, eosque distinguit ab antiquioribus, qui rerum principia in *numeris* posuerunt: non igitur dici potest repugnare *Moderato* & similibus.

dissensimus, facile est ad existimandum, quem in locum numerumque ejus auctoritas ponenda fuisset. Nos vero ab istâ ratione longe remoti sumus, Viri Cl. ingenium doctrinamque agnoscimus, & vehementer optamus, ut brevi nobis absolvat atque impertiat reliquam partem Operis, quod Volumine secundo jam locum de Sophistis, Socrate, ejusque discipulis, & Platone, complectitur.

RELATIONES BREVIORES.

I. *Dissertatio Philosophico-Critica de Philosophiae Ciceronianae loco, qui est de Divina Natura, quam, Quod Deus Bene Vertat, Praeside V. Cl., Daniele Wyttenbachio, Philosophiae Professore, ad publicam disceptationem proponit B. P. van Wesele Scholten, Amstelaedamo - Batavus. A. D. VII. Aprilis MDCCLXXXIII. Amstelaedami.* 4. *pagg.* 80. Hujus & proximae Disputationis ut mentionem faceremus, non tantum apud nos valuit Auctorum vitâ nobis ac disciplinâ cognitorum (quamvis magna commendatio), quantum & ipsum argumentum, & in primis doctrina, quae ejusmodi est, ut non modo in hac juventute, sed in viris adeo, haud mediocrem laudem, habere possit. Quaestio de Cicerone ut est illustris, ita dissensionibus doctorum hominum agitata. Nam quum vulgo ejus fons habeatur opus de Natura Deorum, in quo sub Academici Cottae personâ ita disputavit Cicero, ut magis Epicureorum & Stoicorum rationes reprehenderet, quam suam ipse sententiam aperiret; fuerunt, qui continuo in illud Academici nomen involarent, & Ciceronem de toto hoc loco dubitasse contenderent. Cujus erroris confu-

tationem

ſutationem hac Diſputatione ſuſcepit Auctor. Primum, ex accuratâ omnium librorum Ciceronianorum lectione locos hujus argumenti collegit: deinde juſtam iis adhibuit interpretationem, cum e Grammaticâ doctrinâ, tum ex obſervatione conſilii & propoſiti variorum Ciceronis librorum; ut appareret, quo quisque locus valeret, utrum e populari opinione an philoſophicâ doctrinâ, utrum e propriâ an alienâ ſententiâ, prolatus eſſet: denique totam illam materiam viâ & ratione digeſſit & in capita deſcripſit. Exordium est de Academicis, quorum varia dubitandi ratio & ſucceſſio inde a Socrate ac Platone uſque ad Philonem & Ciceronem deducitur, ut intelligatur, quibus in rebus, quomodo, & quatenus, hic dubitationem ſecutus ſit. Ipſum argumentum, more Veterum, in quatuor diſtributum est Capita. Primum est, *an ſit aliquod Numen Divinum*; de rationibus, quibus Cicero hanc quaestionem confirmaverit: ubi etiam oſtenditur conſilium operis de Natura Deorum, & quid Cicero e diſputationibus Velleji, Balbi, & Cottae, probaverit. Secundo exponitur, *quale ſit Numen*: ſummum quidem unicum eſſe: quae ſit ejus natura, quae virtutes, cum intelligentiae, tum voluntatis. Tertium est de *operibus Divinis*, Creatione, Providentiâ, cui ſubjunguntur quaestiones tres, de Divinatione, Fato, & Animi immortalitate. Quarto agitur de *Cultu Divino*, qui diſtribuitur in internum & externum. Jam Cice-

roni

ronis de singulis hujus quaestionis partibus sententiam referre, majus est quam pro instituti nostri finibus. Satis est universe dixisse, argumento huic multum lucis allatum esse ab Auctore, cum e diligenti materiae descriptione & interpretatione, de quâ modo diximus, tum e Philosophiae in primis Antiquae cognitione ductâ ab ipsis fontibus & Latinis & Graecis.

II. *Dissertatio Philosophico-Critica de Musonio Rufo, Philosopho Stoico, quam, Quod Deus Bene Vertat, Praeside V. Cl., Daniele Wyttenbachio, Philosophiae Professore, ad publicam disceptationem proponit Petrus Nieuwland, Amstelaedamo-Batavus. A. D. XIV. Aprilis MDCCLXXXIII. Amstelaedami. 4. pagg.* 50. Musonii nomen, quo minus vulgo auditur, eo magis dignum est, quod ad plurimorum cognitionem celebretur. Fuit enim hic vir clarus Neronis aetate in compluribus gravissimisque e Stoicâ sectâ Philosophis: ejusque Disputationes haud paucae in Stobaei opere ad nostram aetatem servatae sunt, quae, cum aliis multis laudibus, tum hac propriâ, commendantur, quod solae ex omnibus Stoicae doctrinae reliquiis ad Socraticam rationem elegantiamque compositae sunt. Hac igitur suavitate invitatus Auctor constituit illas aliquando peculiari editione frequentare, & nunc sibi de Vitâ & Placitis Musonii argumentum sumsit, in quo explicando progressuum in hoc genere suorum specimen

proderet.

proderet. Igitur duae sunt libelli partes: altera de Vitâ & Scriptis Viri; altera de Placitis. Illius summa huc redit. Musonius Rufus, Capitonis F. Tyrrhenus, natus Volsiniae extremis Augusti vel primis Tiberii annis; equestris fuit ordinis; sub Nerone juvenibus instituendis operam dedit; floruitque clarissimorum eo tempore virorum amicitiis, Thraseae Paeti, Bareae Sorani, Rubellii Plauti. A Nerone in Gyarum insulam relegatus, non vero, quod alii volunt, interfectus est. Redux, sub Vitellio, legationem ad Flavianos obiit: mox, initio imperii Flaviani, Egnatium Celerem, Bareae delatorem, accusavit, & ut condemnaretur effecit. Vespasianus, in urbem reversus, quum omnes Philosophos urbe expelleret, ab hujus decreti severitate unum excepit Musonium: qui postea etiam apud Titum gratiosus fuit. De reliquâ Viri vitâ & obitu nil constat. Duo in illâ loci, virorum doctorum dissensionibus agitati, probabiliter constituuntur. Alter est, ubi ostenditur, hunc Musonium eundem esse qui a Philostrato memoratur; e quo & Eunapio viri quidam docti alium Musonium, Cynicum, eadem aetate Romae florentem, item a Nerone vexatum & in exilium relegatum, finxerunt. Altero docetur, eum diversum esse a Turano Rufo, qui aratrum dirutis Hierosolymis impressisse perhibetur in Talmude: cujus mentionem potius accipiendam esse de Terentio Rufo, quem cum praesidio in Ju-

daeâ mansisse prodit Josephus. Jam Disputationes, quae sunt apud Stobaeum, ductae videntur ex opere Ἀπομνημονευμάτων Μουσωνίου, quod Pollio conscripsit ad Xenophonteum exemplum, ut fere postea similem rationem secutus est Arrianus in Epicteti Scholis conscribendis. Atque Pollio hic distinguitur a Valerio Pollione Alexandrino Grammatico, & a Pollione Tralliano Sophista: potius idem habendus qui Claudius Pollio, memoratus Plinio Ep. VII, 31. Porro notantur argumenta Disputationum: in quibus etiam sunt quatuor ineditae in Jo. Damasceni Parallelis Sacr. MS. Florent., & una in Obs. Misc. Vol. VII. e duobus codicibus, Lugduno-Batavo & Augustano, prodita a Wolfio. Secundâ Parte recensentur Placita Musonii, ex illis Disputationibus collecta, in suos locos digesta, docte ac perspicue illustrata, cum universe, tum ex accuratâ Stoicae rationis cognitione. Quas igitur Ciceronianae Disputationi tribuimus laudes accuratae diligentiae, elegantis doctrinae, critici acuminis, eas omnes cum hac disputatione & libenter & verissime communicamus.

III. *Christophori Saxi Tabulae Genealogicae, sive Stemmata Deorum, Regum, Principum, Virorum illustrium, qui per id tempus, quod Varroni Mythicum dicitur, vel vixisse, vel populis, a se nominatis, ortum dedisse vulgo creduntur, ad fidem Hesiodi, Apollodori, Hygini, & aliorum sic contexta, ut pervetus rerum memo-*

memoria, civitatum diversarum, imprimis Graecarum, propagines, Scriptorumque Annales, & Poëtarum carmina probabiliter intelligi possint. Trajecti ad Rhenum. fol. 1783. Dum in eo versatur egregius Auctor, ut Onomasticon Literarium nobis absolvat, novo interea nos afficit munere, edendo hoc libro, item profecto ex accuratâ Historiae doctrinâ, ad ejusque studium proferendum in primis accommodato. Consilium ex inscriptione satis intelligitur. Tabulae non sunt ex aliorum scriptis repetitae, sed ex antiquis Scriptoribus diligenti observatione collectae & denuo quasi ordinatae. Nam ipse fatetur Saxius „ ante ducentos circiter annos similem texuisse telam Reinerum Reineccium in praeclaro *de Familiis, quae in Monarchiis tribus prioribus rerum potitae sunt, Syntagmate*: ejusque solertiam in non paucis argumentorum punctis sibi profuisse: se tamen utilius judicasse, fontes ipsos salutare, quam hinc, licet sine multis salebris manantem, rivulum consectari:" Porro Nomina Propria non ita nude posita sunt, sed subinde adjunctam habent paucis verbis notationem factorum praecipuorum cum Veterum Scriptorum testimonio; ut, quoad ejus in hac brevitate fieri potuit, simul Compendii Historici munus expleatur. Denique adjectus est Index Elementarius Nominum, consilio eo magis laudando, quo est molestior haec opera scribenti, quoque fructuosior legentibus. Haec de formâ. Materiae

magnitudo ut cognoſcatur, Tabularum deinceps argumenta memoranda ſunt. Tres priores continent *Genealogias Deorum*. Proximae ſunt de Antiquisſimis Regnis. *Regni Theſſalici* prima, Japeti Stemma: ſecunda, Hellenis, Aeoli, & Crethei genus: tertia, Aeolidarum ſtirps, Siſyphi, Athamantis, Salmonei: quarta, Aeolidarum, nominatim Deionis: quinta Aeolidarum, nominatim Magnetis & Perieris. *Regni Argivi* prima, ſtirps Inachidarum: ſecunda, Delidarum: tertia, Perſeidarum & *Pelopidarum*: quarta, Heraclidarum. *Regni Spartani* prima, Lelegidarum: ſecunda, Heraclidarum. *Regni Sicyonii & Meſſenii*, ſingularis. *Regni Arcadici*, ſingularis. *Regni Elidis*, *Piſaei*, *Corinthiaci*, ſingularis. *Regni Attici* prima, Cecropidarum & Erechthidarum: ſecunda, Theſeidarum, Melanthidarum, Medontidarum, Alcmaeonidarum; accedit *Regni Megarici* ſuccesſio. *Regni Thebani* ſingularis. *Regni Trojani* ſingularis. Hactenus pertinet Operis pars, cujus profesſio in titulo exſtat. Accedit *Mantisſa Stemmatum aliorumque Regum*: prima Tabula est *Regum Judaicorum & Iſraeliticorum*: ſecunda, *Regum Macedoniae ante & post Alex. M.*: tertia, *Regum Aegyptiorum post Alex. M.*, ſeu Ptolemaeorum: quarta, *Regum Syriacorum post Alex. M.*, ſeu Seleucidarum: quinta, *Principum Hasmonaeorum*, ſeu Maccabaeorum: ſexta, *Herodiadarum*. Ex hac igitur materiae ac formae deſcriptione apparet, utilisſimum esſe

hunc

hunc librum omnibus accuratioris Veteris Historiae ſtudioſis.

IV. *Guidonis Ferrarii, de inſigni ſingularique Sicario, Narratio. pagg.* 16. 4. Libelli mentionem facimus, non argumenti, ſed orationis cauſâ, quae haud vulgares habet dotes, ac, paucis exceptis locis, univerſo quidem habitu colorem Antiquitatis refert. Veluti continuo, exordium, & ſimplex & grave, compoſitum videtur ad Veterum, in primis Sallustii ac Taciti rationem: *Gothardus, Pittaluga origine, & agnomine Genuenſis, Intracii in lacu Verbano natus. De hoc, qui infamia tantummodo claruit per hos annos, me ſcribere, non pigebit legentes: intelligent enim quanti ad ſalutem publicam interſit ingenia excoli a pueritia, quantaque nostris tributa ſit animis vis ad bene merendum de Republica, quando huic tanta ad male merendum fuit. Is robore corporis, multo magis animi valuit, quem labos, inedia, vigiliae, adverſae tempestates, pericula numquam fregerunt, aut intrepidum minus fecerunt. Videri potuit ad magna factus: at ſine cultu, nullisque bonis artibus imbuta mens, per petulantiam egit pueritiam, & per ferocitatem invaluit vehemens per ſe pronaque in iracundiam natura.*" Porro in ſignificandis moribus vim, brevitatem, ac perſpicuitatem habet, hic locus: „ *Quamquam, ut, quod a multis accepi, non disſimulem, non pauca in illo erant, quae videbantur ſingularia, neque ſine*

admiratione commemorabantur. Erat enim praevalida optimaque compositione corporis; facie non indecora, potius ingenua, nec prodente violenti indicium animi: facili affatu: consuetudine nihil subrustica: & officiis comitatique non deerat erga nobili honestoque loco natos, & Religioni aut Sacerdotio addictos. Quibus vitam ademerat, eorum animis requiem precabatur Rosario. Sacro publice, profestis etiam aliquoties diebus, in omnium frequentia intererat. Amicis aequa dabat consilia, & mendiculis stipem. Ceterum, ut initio dixi, cibi, potus, somni parcus: gratus animi, & memor a quibus beneficia habuisset: sique imprudens metum incussisset haud inimico, injuriam temperabat officiis". Sunt plures loci in quibus Scriptoris facultas appareat, vel in explicandis animi recessibus, vel in continuandâ per conversiones narratione, vel in singulis factis perspicue narrandis ac veluti oculorum sensui subjiciendis. Quorum omnium specimina excitare, ut longius est quam pro relationis brevitate; ita alienum a nostro instituto, ipsius sicarii uberiorem notitiam prodere. Scriptus est libellus initio superioris anni ad Ant. P. Crevennam, virum praestantissimum, cujus non minus humanitas ac doctrina, quam instructissima bibliotheca, hanc urbem ornant.

V. In manus nostras venit Conjecturarum in Strabonem libellus sine titulo: quas ab homine eruditissimo & acutissimo profectas esse, intelligenti cuique

cuique ad primam lectionem manifestum est: a Tyrwhitto autem, egregio viro, esse, ostendit ipsius Epistolium ad calcem adjectum, quod hic reponimus: „*Viro Amicissimo Georgio Jubb. S. T. P. Aedis Christi Canonico &c. S. P. D. Thomas Tyrwhitt. Habes hic quas non ita pridem postulasti, nescio an serio, conjecturas meas in Strabonem; & quidem typis descriptas, quo minus oculis negotium facessant. Si quid invenies quod amico tuo, quem novam Scriptoris illius editionem parare dixisti, usui fore judicabis, ut ei exemplaris copiam facias rogo. Vale & me ama. Londini. 12. Julii.* 1783." Non est dubitandum, quin has Conjecturas & Cl. Jubbius amico, & amicus ornandae editioni, necessarias judicaturus sit; si quidem uterque recte judicaverit. Loci Strabonis, qui tractantur, sunt fere numero centum & quinquaginta: paginae libelli quadraginta & octo. Conjecturae sunt breves, accutae, pleraeque omnes ita probabiles, ut peritum quemque percutiant quasi verisimilitudinis sensu. Editioni, quae jam inde a pluribus annis apud Oxonienses paratur, & propter multa optimorum codicum adjumenta summam eruditorum hominum exspectationem excitavit, praeesse audivimus Cl. Fawkenerum, illus Universitatis socium.

VI. *Emendationes Hymni Homerici in Cererem, e MSto Codice Moscovitico Bibliothecae S. Synodi exscripti & Lugduni Batavorum anno MDCCLXXX.*

 primum

primum editi. Praemittitur ejusdem Hymni notitia, judicium, aetatis divinatio. 8. pagg. 32. Neapoli. 1781. Duae sunt libelli partes: altera, de ratione & aetate Hymni: altera, de quorumdam locorum verâ lectione restituendâ. De illâ satis pro instituto nostro diximus supra p. 6: de hac verbo nunc monendum est. Igitur intelleximus, quod jam antea judicabamus, eruditissimo Ignarrae felicius Criticam succedere in Historiis & Inscriptionibus, quam in verbis & oratione Veterum Auctorum. Sunt tamen nonnullae conjecturae, minus quidem illae verae, quae veri speciem & quandam acuminis elegantiaeque commendationem habeant. Veluti v. 131 Ἴου καὶ ἀπὸ ῥίζης ἑκατὸν κάρα ἐξεπεφύκει Κυδῶντ'. ita ultima vox refingitur e vulgato Κῶδις τ'. V. 267: πόλεμον καὶ φύλοπιν αἰνὴν Αἰεὶ ἐν ἀλλήλοισι συνάξουσι ἤματα πάντα: editum est συναύξουσι. Sed his quidem locis alia jam medicina facta est in Editione. Est etiam ubi in easdem incidit conjecturas, quae in secundâ Editione prolatae sunt; v. c. 325: Αὖτις ἔπειτα θεοὺς μάκαρας Ζεὺς αἰὲν ἐόντας. Et haec quidem potiores sunt. Reliquae, quarum major fere pars ad tuendam vulgatam referuntur, minus habent vel speciei vel rationis.

VII. *APOLLODORI* Heynìani momentum uberiorem postulabat censuram; quam nos in illud reponebamus

mus tempus, quo ejus volumina, quae adhuc singula deinceps prodierant, omnia edita essent. Ergo, quum hoc ipso tempore ad nos perveniret quartum, quo editio absolvitur, volumen, & uberiori censurae deesset locus, non tamen committendum putavimus, quin vel brevi mentione materiam & argumentum cujusque voluminis significaremus. Primo, paginis 284, formae 12, exstat Graecum Apollodori opus sine versione. Secundo, paginis 520, Notae ad duos priores libros. Tertio, ab illa pagina ad 900, Notae ad tertium librum. Quarto, inde ad pag. 1408, varia continentur, Commentatio de Apollodori Bibliothecâ novâque ejus recensione, simulque universe de Literaturâ Mythicâ: Index (isque criticus) Scriptorum ab Apollodoro in Bibliothecâ laudatorum: Tabulae Genealogicae: Fragmenta Apollodori ex perditis cum Bibliothecae libris tum reliquis scriptis: Index locupletissimus Nominum & Fabularum: denique Index vocum Graecarum memorabilium. Jam nemo facile in Literis adeo est hospes, quin ab Heynio praeclara omnia exspectet. Quam quidem exspectationem abunde expletam esse, nos proximo, si quod erit, hujus Bibliothecae tempore ostendemus.

VIII. *AESCHYLI Tragoediae quae supersunt, ac deperditarum Fragmenta. Recensuit, varietate lectionis & Commentario perpetuo illustravit, Scholia Graeca, Apparatum Historicum, & Lexicon Aeschyleum*

lecum adjecit Christianus Godofr. Schütz, Eloqu. & Poes. Prof. Publ. Ord. in Academia Jenensi. 8. *Halae Saxonum.* 1712. Huic quoque libro majorem destinavimus locum. Editor nobis jam antea cognitus erat e scriptis nonnullis: veluti, Xenophonteis Memorabilibus Socratis adjectâ brevi animadversione repetitis, Commentatione Academicâ de Aeschylo, Fabulâ Prometheo peculiariter editâ. Atque in his speciminibus eam ostenderat doctrinam, ut ad majus opus minime invitis Musis accessurus videretur. Quam spem non vanam fuisse, ex hoc libro apparet. Consilium Editionis satis copiose in titulo declaratur. Volumen primum, quod adhuc unum vidimus, duas continet Fabulas, Prometheum & Septem ad Thebas, paginis 176, sine versione Latinâ, subjectâ cuique paginae varietate lectionis. Accedunt Commentarii ad utramque Fabulam & Excursus peculiares, paginis 412. Varietas lectionis cum vetus repetita est e superioribus editionibus, tum nova prolata e libris scriptis Guelferbytanis, item e Moscuensibus & Vitebergensibus. Haec igitur tota lectionum sylva diligenter quidem nec putide relata, eum tamen habet modum, qui potius conveniat in extremas voluminis partes, quam in locum Graecae orationi subjectum, ubi legentium studia quaerunt promtum paratumque intelligentiae subsidium vel ab emendatione vel ab interpretatione desumtum. Porro, & superiorum Editorum

torum, & aliorum virorum doctorum, qui aliis libris vel ex instituto vel obiter Aeschyli locos tractarunt, observationes diligenter & cum delectu judicioque memorantur & subinde ipsis illorum verbis referuntur. Sunt vero Animadversiones cum longae tum frequentes; quippe versantur in omni genere interpretationis, ostendendo sententiae nexu, constructione ac significatione verborum aperiundâ, artificio poëtico, Oeconomiâ dramatis, & fabulari ratione explicandâ. Doctrina si non abundans & recondita, certe est elegans & accurata, perspicue, subinde tamen justo verbosius, explicita ad intelligentiae facilitatem. Ad has dotes accedit Latinitatis bonitas, quae est supra vulgarem plerorumque Interpretum consuetudinem. Quo minus necesse fuerat, quod Editor subinde fecit, sententiam Latine bene redditam insuper Germanice significare. Frequentia & ratio Animadversionum, qua voces & constructiones satis etiam pervulgatae exponuntur, magis convenire videatur in editionem Auctoris usui tironum destinatam, quam in Aeschylum: ad quem qui accedunt, aliorum Poëtarum lectione subacti vel sunt vel esse debent. Sed nimirum Editor illud spectavit, ut hanc editionem omnium, quoad ejus fieri posset, usibus accommodaret. Neque consilio defuit successus. Nam & acutae adsunt verborum correctiones sententiarumque explicationes, quas doctiores cum fructu & voluptate legant: & minus doctis

doctis consulitur interpretationis frequentiâ, facilitate, perspicuitate; ut ne versionem quidem Latinam requirere possint, quippe cujus omissio in locis paulo etiam obscurioribus compensatur ipsâ interpretatione sententiae. Igitur, subductis omnibus rationibus, hanc editionem omnium utilissimam judicamus ad facilem accuratamque Tragici intelligentiam. Ceterum cognovimus novam item Aeschyli editionem institui Cantabrigiae a Rich. Porsono, V. Cl: de cujus acumine & doctrinâ bene nos sperare jubent egregia quaedam specimina, privatim nobis cognita, necdum in vulgus edita.

IX. *D. Johann Jacob Reiskens, von ihm selbst aufgesezte Lebensbeschreibung.* i. e. *Vita Doctoris Joannis Jacobi Reiskii, ab ipso conscripta.* 8. *Lipsiae* 1783. *pagg.* 816. Duae sunt libri partes, utraque jucunda & perutilis cognitu doctrinae *amantibus*, ut omnibus, ita praecipue Batavis, apud quos Reiskius complures annos transegit. Prima pars continet Vitam Reiskii ab ipso deductam usque ad A. 1771, & pertextam usque ad ejus obitum A. 1774, ab ejus viduâ, doctissimâ foeminâ. In illa descriptione apparet nativum Reiskii ingenium, animi morumque simplicitas, singulare veri studium, ut nec sibi nec aliis blandiatur, omnia aperiat & ita dicat ut ipsi visa sunt, vitia non minus quam virtutes, nec sua potius bene quam secus facta memoret. Igitur iis etiam, qui in genere doctrinae, in quo Reiskius

ver-

versatus est, peregrini sunt, lectio libri commendanda est, quippe qui materiam praebet Philosophiae ad ingenii humani rationes ac latebras aperiundas. Sunt quoque frequentes notationes, quibus vitae moresque adumbrantur eorum, cum quibus vel ipse fuit vel per literas egit. Quo in loco e nostratibus reperiuntur, Hemsterhusius, A. Schultensius, J. Alberti, Burmannus, Haverkampius, Dorvillius, Albinus, Abr. Gronovius, Bernardus, Abreschius, alii: de quibus nisi vera omnia prodidit, tamen, quid prodiderit & quomodo senserit, legisse juvabit. Habet item haec pars commemorationem librorum a Reiskio scriptorum, tam editorum quam ineditorum. Altera pars, eaque longe maxima, inde a p. 183. ad finem libri complectitur Epistolas virorum doctorum ad Reiskium, plerasque frequentes observationibus & correctionibus veterum Auctorum; ut nemo facile eas negligere posit accuratae & criticae doctrinae studiosus. Nobis hoc loco satis est nomina Scriptorum retulisse. Sunt ergo hi: Abreschius, Gesnerus, Krebsius, Oefelius, Dorvillius, Reimarus, Trillerus, Wernsdorfius, Wesselingius, & is, cujus plurimae doctissimaeque sunt Epistolae, Jo. Steph. Bernardus, vir Graece doctissimus, Amstelaedamensis quondam Medicus. Quorum autem vel singulares sunt vel pauciores Epistolae, hos reperimus: A. & J. J. Schultensios, Nic. Guil. Schroederum, Schoepflinum, Ger. Meermannum,

marinum, Bruckerum, Kocherum, P. Bondam, Bosium, A. Gronovium, Fabrum, Hanckium, Heilmannum, Richterum.

X. *Zur Moral: aus dem Griechischen ubersetzt von Ernestine Christine Reiske*, i. e. *Opuscula argumenti Moralis, e Graecis Germanica facta ab Ernestina Christina Reiskia.* 8. *Lipsiae. pagg.* 364. Ubi Reiskiae mentionem fecimus, non possumus praeterire hunc librum ejus, quo continentur, *Luciani*, Imagines, De Imaginibus, Toxaris: *Libanii*, ex opere Declamationum, Oratio viri morosi, Oratio boni fratris, Laus vitae rusticae, Comparatio ruris & urbis, item aliquot Epistolae: *Xenophontis* Hercules Prodicius: *Hippocratis* Epistola ad Damagetum: *Epicteti* Enchiridium: *Cebetis* Tabula: *Xenophontis Ephesii* Historia Amatoria, in compendium redacta. Haec omnia ita sunt versa, ut dubitemus magisne Graecae orationis intelligentiam an versionis elegantiam miremur, quae dum accurate refert Auctorum sententiam, nil tamen habet peregrini, nec versionem redolet, sed e Germanico solo nata videtur. Brevi eidem industriae debebimus Graeca opera Dionis Chrysostomi & Libanii, quae cum omnibus bonarum Literarum amantibus diu cupide exspectavimus.

XI. Magnam Academia Franequerana & vero Elegantiores Literae jacturam fecerunt obitu Joannis Schraderi, Viri Clarissimi. Nam per triginta quin-

quinque annos professionem Eloquentiae, Poëtices, & Historiarum, ita ornaverat, ut accuratae doctrinae studia proferret, cum exemplo, tum institutionis diligentiâ, tum prodendis ingenii monumentis: cujus triplicis dotis conjunctio minime frequens esse solet in Doctoribus. Et institutionis quidem fructus exstant in compluribus, qui ex ejus disciplinâ prodierunt, viris Antiquarum elegantiarum cognitione probe excultis; e quorum numero etiam sunt, qui Literas in Gymnasiis & Scholis cum laude doceant. Criticae vero Eruditionis maxime illius, quae in constituendâ Veterum Latinorum Poëtarum oratione cernitur, opera edidit duo praestantissima, alterum *Observationum*, alterum *Emendationum*. Graecae quoque doctrinae specimen prodidit juvenis, ut in eâ aetate, laudandum Musaeo animadversionibus illustrando. Porro, ut erat interioris Latinitatis scientissimus, ita Carminis eâ valebat facultate quâ pauci recentiorum, cum terso dictionis genere, tum modorum observatione. Jam sibi expoliendum sumserat utrumque carmen Geographicum Avieni: & eo fere deducta erat res, ut initium operae facerent Chalcographi; quum nuncius nobis adfertur de Viri morte: quae non quidem e morbi impetu, sed virium languore, profecta, eum nostris Literis eripuit die sexto vigesimo Novembris, nondum expleto aetatis anno secundo & sexagesimo. Sed laudibus

Schra-

Schraderi publice celebrandis; non defuturos speramus disertos viros. Nos committere noluimus, quin libello jam ad finem perducto hanc mentionem adjiceremus, & tristem nuncium cum eruditâ civitate communicaremus.

INDEX

INDEX AUCTORUM.

Cum eorum, quorum editiones & scripta recensentur, tum quorum loci a nobis illustrantur & corriguntur, in IV. Partibus Voluminis Secundi, Bibliothecae Criticae.

DE-

SCHUT-

XENO-